
NAZIONALE CENTRALE
BIBLIOTECA
DI FIRENZE
Fonti Storiche
*
132
CONSULTAZIONE

# DEGL'
# ISTORICI
## DELLE COSE
# VENEZIANE,
## I quali hanno ſcritto per Pubblico Decreto,


*TOMO QUINTO,*

CHE COMPRENDE I SEI PRIMI LIBRI DELL' ISTORIE VENEZIANE LATINAMENTE SCRITTE

*DAL SENATORE*

## ANDREA MOROSINI.

*Aggiuntavi la Vita dell' Autore, e un indice copioſiſſimo.*







IN VENEZIA, MDCCXVIIII.

Appreſſo il Loviſa.

*CON LICENZA DE' SUPERIORI, E PRIVILEGIO.*


ANDREAS MAUROCENUS SENATOR
RERUM VENETARUM SCRIPTOR
EXIMIUS.



# ANDREAE MAUROCENI,

## VENETI SENATORIS PRAESTANTISSIMI,

## (a) V I T A,

### (b) A NICOLAO CRASSO conscripta:

*A D*

### (c) DONATUM MAUROCENUM,

*Senatorem amplissimum, rationibus publicis ad calculum revocandis, provocationibus dandis, & quaestionibus habendis tota Venetae ditionis Continente summo cum imperio* III*virum*.

*Notis illustravit & auxit*

D. PETRUS-CATHARINUS ZENUS,
Venetus, e Clericor. Regular. Congregatione Somaschensi.

---

(a) *Vita*) Prodiit haec *Vita Venetiis*, *apud Evangelistam Deuchinum*, 1621. in fol.

(b) *A* Nicolao Crasso *conscripta*) *Nicolaus Crassus*, cognomento *Junior*, avum habuit *Nicolaum Crassum*, *Seniorem* dictum, qui magna cum eloquentiae ac integritatis laude Venetiis in patrio foro inter caussarum patronos versatus est; patrem verò *Marcum*, qui, alia vitae ratione inita, praeclarissimis muneribus functus, quae *civibus originariis* (hoc nomine honestissimum hominum ordinem Reipublicae operam, sine suffragii jure, praestantium significamus) mandari solent, Magnus regni cretensis Cancellarius III. kal. maj. anno 1612. renunciatus est. *Nicolaus Junior*, avi vestigiis insistens, caussas in foro agere maluit, nullique disertissimorum oratorum eloquentiae laude secundus fuit. Multa scripsit latine, italice, soluta, ac ligata oratione; quodque paucis contigit, omnia praeclare. De ejus vita, ejusque operibus consule librum, cui titulus inscriptus: *Le Glorie degli Incogniti*, &c. impressum Venetiis, apud Franciscum Valvasensem, 1647. in 4. pag. 341.

(c) Donatum Maurocenum) Quam conjunctim & amanter secum vixerint *Donatus* hic, & noster *Andreas*, cum ex ista *Crassi* epistola, tum maxime ex iis quae infra dicemus, manifestum fiet.

NI-


# NICOLAUS CRASSUS
## DONATO MAUROCENO,
### VENETO SENATORI.

*MUlta sunt, Donate, Senator amplissime, quae meam olim in Cretam profectionem caram mihi, atque fructuosam admodum faciant. Etenim & apud maximos illos Triumviros, quaestionibus exercendis summo cum imperio in oriente praefectos, fisci patronus, operam meum, quantulacumque est, Reipublicae (qua nihil unquam antiquius habui) multos annos praestiti, & patrem regni ipsius Cretae Magnum, ut vocant, Cancellarium designatum lubens, eas in regiones secutus sum; & quidquid denique in orientis regionibus Respublica possidet, Corcyram, Zacynthum, Cephalleniam, Cytheram, & Cretam exacte, diligenterque non intueri modo, quod pergratissimum accidit; sed etiam perlustrare, earumque gentium mores, instituta, leges penitus, atque exacte pernoscere licuit. Verumtamen biennium illud, quo tu pernobilis regni, Reipublicae nomine, Ducem egisti, tibique praecipue pro munere quidem meo, sed multo magis pro maxima tua in me benignitate semper adhaesi, incredibile dictu est, quantum attulerit mihi voluptatis, & fructus. Occurrunt animo saepius quae inter nos de literarum studiis frequentissime disserebamus: occurrunt sermones tui, non eruditi modo, & humanissimi; sed graves etiam, & optimi, a quibus & instructior, & melior etiam discessisse me semper arbitror: occurrit eximia illa tua in annona curanda diligentia, in jure dicendo aequitas, & sapientia, in delictis puniendis pietate mixta severitas; sed praecipue in dignitatibus, & muneribus ex legum praescripto tribuendis posita in oculis omnium, jureque jurando firmata integritas; ut exemplo non minus, quam sapienter institutis, quod principem virum in primis decet, in commune consuleres. Haec sane omnia, dum jucundissima quadam commemoratione mecum ipse reputo, venit in mentem tristis ille, & acerbus nobis allatus nuncius, dum una essemus, de* ANDREAE MAUROCENI, *Senatoris amplissimi, obitu, tibi sane & studiorum similitudine, & perveteri necessitudine conjunctissimi, & quem ego praecipue inter omnes unum amore, atque reverentia singulari prosecutus fueram; simulque & gravissimus animorum nostrorum sensus, & voces illae tuae, quibus me, ut* Vitam *ejus scribendam aggrederer, cohortatus es. Id vero, sicuti celeriter pollicitus fui, inque me facturum recepi, sic brevi quoque pro viribus effecissem, nisi multis, magnisque cum domesticis; tum forensibus negotiis implicatus, vix toto in triennio huic tantulae scriptioni tempus habuissem, atque id summis occupationibus quoque ereptum. Quod igitur hoc nomine tibi debeo, cum tu saepius cunctantem excitare soleas, nec diutius sustineri solutio possit, utcumque valeo, persolvere decrevi; tuae vero benignitatis est, quod ab iis, quibus non est solvendo, lentisque nominibus fieri solet, quodcumque offero, licet nec justi ponderis, nec melioris notae, aequi bonique ducere non tantum, sed inita etiam, subductaque ratione, si quid ex promissis amplius debeam, ut debeo certe plurimum, benigne tamen id omne condonare, atque adeo remittere. Vale.*

*Venetiis, pridie kal. sept. M. DC. XXI.*

AN-

# ANDREAE MAUROCENI
## VITA.



NDREAE MAUROCENI, Senatoris ampliſſimi, Vitam literis mandare decrevi; non quod clariſſimo nomini, & ad omnis poſteritatis memoriam venerando aliquid ſplendoris tenebricoſa ſcriptione poſſit accedere; ſed ut in oculis civium noſtrorum, atque in auribus omnium gentium, & nationum poſitum ſit exemplar perfecti, atque numeris omnibus abſoluti Senatoris, quod, veluti ſanctiſſimum virtutis ſimulacrum, in Republica conſecratum reſpicere poſſint omnes, auſpicatoque colere, & venerari. Etenim ſi colligere, atque in unum conferre velis virtutes omnes, ut pacis, togaeque artibus clarum, planeque divinum civem effingas, & cunctis gentibus, atque aetatibus ſpectandum proponas: non alium profecto effeceris, quam MAUROCENUM, in quo difficile ſit ſtatuere, utrum ingenii, & doctrinae, an morum, & virtutis gloria magis eminuerit. Si qua vero aetas hujuſcemodi viros tulerit, ut haec noſtra tulit, operae pretium ſemper, atque e Republica fore exiſtimavi, eorum praeclara dicta, factaque in album referri; ut non modo recentiſſima quaeque, & praeclariſſima exempla, ſed etiam ſpes ipſa gloriae, quae mortalium animos plurimum allicere, atque ad ſe attrahere ſolita eſt, juvenes ad imitandum impellat, ubi dignae virtutes, & egregia in rempublicam merita, veris quidem & meritis laudibus celebrari, atque doctorum hominum ſcriptis aeternitati commendari explorate cognoverint. Quod autem ſolet ceteris hac in re negotium faceſſere, de hoc ego ſuſque deque, idque palam teſtor: multos videlicet futuros, qui vitio gentis humanae, hiſtoriae fidem infirmare conentur: cum ita natura comparatum ſit, ut ea ſolum facile credant homines, quae ſe ſtudio, atque labore, & ingenio praeſtare confidunt: quidquid autem longe diſtat, atque clariſſimum eminet, fictum potius credere velint, quam ſe victos fateri. Etenim quaecumque ſcribo, multos, eoſdemque magnos, & omni exceptione majores teſtes habent, quos paſſim laudare, ſi lubet, liceat: nec ullus eſſe poteſt mendacio locus, dum ea narrantur, quae, cum heri, aut nudiuſtertius inſpecta fuerint, civitati univerſae tam nota ſunt, quam quae notiſſima. Illud ingenue fatendum eſt, munus me ſuſcepiſſe pulcherrimum, cuique nullo modo par ſim futurus, ſi rebus ipſis orationis vis, & ornamenta reſpondere debeant. Verumtamen, cum omnia in MAUROCENO virtus, atque doctrina occupaverit, nulluſque obtrectationi, & invidiae locus eſſe poſſit, aberit haec mea ſcribendi ratio ab omni artificio; quo Senatoris optimi virtus ipſa, non torquibus, & phaleris ornata, ſed nuda, ſimplexque ſine fuco, & fallaciis, oculis omnium ſpectanda ſubjiciatur. Sola igitur rerum commemoratione officio meo ſatisfaciam, quod aruſpices olim in rebus divinis uſurpabant, id vere, atque ex animo praefatus, *nihil addo de meo*.

Duae res in unum, eumdemque hominem aut vix, aut nullo modo convenire ſolent, ſumma in quavis arte liberali eruditio, & in republica adminiſtranda prudentia ſingularis: in quibus ſingulis qui primas ferunt, eos in ma-

magna semper laude positos admiramur. Hae igitur ambae ad MAUROCENUM honestandum ita concurrunt, difficile ut fuerit statuere, utrum prius, magisve summum debeat praedicari. Etenim si, quam literarum studiis diligentem, & assiduam operam dedit sine intermissione, quaeque posteritati reliquit suae doctrinae, atque adeo facundiae eximiae monumenta praeclarissima, inspexeris; eumdem a Reipublicae administratione nunquam recessisse, vix animum induxeris, ut credere valeas: sin autem tantarum Reipublicae dignitatum, quibus est omnibus egregie perfunctus, rationem habueris; eumdem literarum studiis tantopere addictum fuisse, nulla tibi ipse ratione persuadere poteris. At ille veram animi quietem, & tranquillitatem in bene, praeclareque agendo, non in otio reponens, & quidquid publicis negotiis subtrahere licebat, in suis deliciis, atque amoribus, id est in literis omnibus, libero homine dignis, avidissime conterere solitus, eruditissimi juxta viri, ac Senatoris prudentissimi personas duas gravissimas unus egregie sustinebat. Quaproper nos duas illius, tanquam duum virum, vitas posteritati jure optimo mandare debemus. Enimvero, cum talis, tantusque extiterit ANDREAS, non multum est illi ad nominis commendationem de claritate domestici generis petendum: nobis tamen, qui tantum posteritati virum describere constituimus, paucula quaedam videntur necessario dicenda.

Primum nobilitatis gradum facere consueverunt, in civitate nobilissima, & maxima natum educari; deinde claris parentibus ortum esse. Natus igitur est MAUROCENUS Venetiis, clarissima post homines natos, atque optima civitate, quam, si libertatis arcem, justitiae thronum, prudentiae regiam, Italiae ocellum, christianae reipublicae propugnaculum dixeris, vera quidem praedicabis, sed omnium sermonibus pervulgata, & longe minora veris, nullamque omnino vocem reperies, quae magnitudinem ejus comprehendere valeat; & quidquid dixeris, minus erit. Siquidem nemo tantis est naturae, atque industriae praesidiis instructus, qui urbis amplitudinem, situm, leges, instituta non modo oratione consequi speret, sed admiratione omnino possit adaequare. Cum vero antiquitas ipsa in humanis rebus proxime ad Deos accedere videatur, & fiant, quae sunt a praesenti memoria longe remota, quasi veneranda canicie quadam, multo sanctiora; haud facile dictu est, quantum clarissimo generi dignitatis adjungat temporis vetustas. At in Veneta Republica illud, ut alia omnia, sapientissime, ac prudentissime constitutum est, ut ii tantummodo ad reipublicae administrationem admittantur, qui vel ab urbe condita, perpetua, atque incorrupta majorum serie ad hanc usque aetatem impollutum genus traxere, vel ab ingentibus meritis civitatis, atque adeo comitiorum jure donati, successionis legitimae, & nunquam interruptae continuationem praeseferunt. Quod cum ita sit, inter eas familias MAUROCENI numerantur, quae cum ipsamet Republica de antiquitate certantes, dubium faciunt, utrum eas tantae patriae filias, anne matres merito appelles; cum illud pro certo habere debeas, nullam omnino reperiri, nullam excogitari posse majorem generis claritatem. Eminent vero praecipue MAUROCENI, cum omni tempore belli, pacisque artibus clarissimi floruerint; neque desint in pervetusto familiae splendore & (*a*) tres in Republica Du-

(*a*) *tres in Rep. Duces*) Magnum magnorum virorum proventum qualibet aetate tulit gens MAUROCENA, qui belli togaeque artibus, gestis domi forisque supremis magistratibus clari, ecclesiasticis dignitatibus insignes, literarum doctrinaeque laudibus celebres, nobilitatem

Duces, & omnes honorum gradus, quos eadem tribuit, & cardinaliciae, *(a)* quas vocant, purpurae, & regale *(b)* fastigium. Igitur ex hac gente natus est *Andreas* ipse, simulque sol eum hominem vidit, & patricium, non factum, sed natum, virtutisque splendore a clarissima suae gentis stirpe nunquam discedentem, ex quo magnam sibi gloriae accessionem fecit. Quemadmodum enim qui propria virtute non fulgent, alienae laudis gloriam aucupari, inque se trasferre non debent: ita qui ad majorum gloriam proprias virtutes adjungunt, duplicem mihi promereri laudem videntur; non minus quod nepotes fuerint, quam quod digni nepotes.

Ortus est *Andreas*, fortunato admodum, faustoque siderum concursu, postridie idus februarii anno a Christo nato M. D. LVIII. qui Veneto more numerabatur adhuc M. D. LVII. Patrem habuit *Jacobum*, virum prisca virtute, & fide, & Senatorem amplissimum, qui, multis exantlatis laboribus, publicisque muneribus summa cum laude persunctus, Reipublicae *Consiliarius*, qui inter summos honores habetur, renunciatus fuerat: avum *Andream*, qui virtutibus universis, pietate praecipue, atque innocentia inter omnes eminens, Cretae, ubi Reipublicae nomine, summo cum imperio praefectum agebat, cum ingenti regni totius dolore, atque lacrimis, biennio post *Andream* nepotem natum diem obiit, atque caelum, unde prius venerat, veluti jure postliminii, revisit. Mater vero fuit *Caecilia*, *Pauli Cornelii* filia, divi Marci Procuratoris, quae dignitas, secundum Principem, primum obtinet in Republica locum: sicuti *Cornelia* gens amplissima, atque nobilissima, *(c)* praeter Reipublicae Ducem, innumerabilesque Senatores, omnes continuos annos in supremis dignitatibus egregie versatos, *(d)* quamplurimos etiam tulit purpuratos Ecclesiae Patres

b tres

---

tem antiquissimam, & Reipublicae coaevam maxime illustrarunt. Singulos enumerare immensi prope operis esset. Quos tres in Republica Duces memorat *Crassus*, fuere *Dominicus*, anno 1148. ad principatum evectus; *Marinus*, 1249. *Michael*, 1382. Postremis hisce temporibus eamdem dignitatem consecutus est *Franciscus*, qui *Peloponnesiacus* ob *Peloponnesum* domitam dictus est. Tertium supremo rei maritimae praefecto, anno 1688. Reipublicae principatus delatus est: Reipublicae Principi, quartum suprema rei maritimae praefectura.

( *a* ) *& cardinalicias purpurae* ) *Petrus Maurocenus*, insignis jurisconsultus, a Gregorio XII. cardinalicia purpura donatus est. Hujus breviter meminere *Marcus Mantua* in *Epitome illustrium virorum, qui vel scripserunt, vel jurisprudentiam publice docuerunt*, &c. *Patavii, Gratiosus Perchacinus excudebat anno* 1555. in 8. pag. 54. & *Guidus Pancirollus De claris legum interpretibus, Venetiis, apud Marcum Antonium Brogiollum*, 1637. in 4. pag. 448. Eamdem dignitatem in gentem *Maurocenam* intulit deinde *Joannes-Franciscus*, cujus vitam scripsit *Stephanus Cosmus*, id temporis Congregationis Clericorum Regularium e Somascha Praepositus Generalis, dein Archiepiscopus Spalatensis. Exstat ita inscripta: *Memorie della vita di* Gio. Francesco Morosini, *Cardinale di S. R. Chiesa, e Vescovo di Brescia. In Venetia, appresso Gio. Battista Catani*, 1676. in 4.

( *b* ) *& regale fastigium* ) dictum intellige de *Thomasina Maurocena* quae *Stephano*, Ungariae principi, nupta *Andream* peperit, cognomento *Venetum*, Ungarorum regem. Vide sis *Sabellici* editionem postremam pag. 245.

( *c* ) *praeter Reipublicae Ducem* ) Haec cum *Crassus* scriberet, uno tantum Principe gens *Cornelia* gloriabatur, *Marco* scilicet, qui anno 1365. Princeps est renunciatus. Deinceps vero anno 1625. *Joannes* I. Dux creatus est; & anno 1659. *Franciscus*, ejus filius. Nunc JOANNES II. *Francisci* nepos, idem fastigium tenet.

( *d* ) *quam plurimos etiam tulit purpuratos Ecclesiae patres* ) Sex e gente *Cornelia* Cardinales recensere poterat *Crassus*: *Marcum* ab Alexandro VI. anno 1492. renunciatum; *Franciscum*, a Clemente VII. anno 1523. *Andream*, a Paullo III. anno 1534. *Aloysium*, a Julio III. anno 1550. *Federicum*, a Sixto V. anno 1585. & juniorem *Franciscum*, a Clemente VIII. anno 1592. Ego duos alios adjicio inferioribus temporibus inter Cardinales cooptatos: *Federicum* juniorem

ab

tres; neque solum (*a*) Reges, (*b*) sed etiam qui regnum ipsum incredibili, at maxime pia liberalitate patriae donaverint.

Tam clari vero parentes, cum nihil antiquius haberent, quam ut filium domesticis, hoc est sanctissimis praeceptis imbuerent, haud difficulter puerum, ad omnia summa natum, quique sive felicitate quadam, sive naturae bonitate rectam sponte viam ingrediebatur, ad suam consuetudinem, moremque deduxerunt. Ubi per aetatem licuit, praeceptorem ille nactus haud vulgarem, *Bernardinum* (*c*) *Parthenium*, qui non latinas modo sed graecas etiam literas egregie doceret, puerilibus in studiis non se pueriliter gerebat: immo vero usque adeo supra aequales adolescentes se se extulit, ut jam inde apud omnes magnam sui, nec illam sane dubiam, expectationem concitaret. (*d*) Erat enim celeri captu, expedita ratione, tenacique memoria ad prodigium stupendus, & elucebat ubique ingenium peracre, quodque caput est, gravitate quadam temperatum, & ad omne literarum genus bene, feliciterque natum; ut magister verba dumtaxat in promptu haberet, non verbera, magisque testis, & admirator, quam doctor existeret.

(*e*) Jam vero puram, & emendatam latini sermonis elegantiam imbiberat,

---

ab Urbano VIII. anno 1623. & ab Innocentio XII. anno 1698. GEORGIUM, JOANNIS Ducis fratrem, qui patavinam ecclesiam summa cum laude moderatur.

(*a*) *neque solum reges*) *Catharina Cornelia*, *Jacobi* II. Cypriorum regis uxor fuit, parens vero *Jacobi* III. cui etiam immatura morte praerepto ex mariti testamento successit.

(*b*) *Sed etiam qui regnum ... patriae donaverint.*) Eadem Cypri regnum libere Venetae Reipublicae largita est. Legendus hac de re *Petrus Bembus Histor. Ven.* editionis nostrae pag. 17.

(*c*) *praeceptorem ille nactus haud vulgarem*, Bernardinum Parthenium) Cum *Parthenius* erudiendis ac probandis iis, qui cancellariae muneribus fungi debent, praefectus esset, *Cancellariae magistrum* vocamus, *Joanni-Baptistae Rasario* suffectus est, ut graecas literas Venetiis publice traderet. Constat ex Senatus consulto VI. kal. novemb. 1573. edito, exscriptumque habeo ex *Regesto* IIIvirum rei literariae, pag. 257. Natus erat Spilimbergi, pago haud ignobili in Forojulio. Edidit *Commentarios in Horatii Flacci carmina atque Epodos. Ven. apud Dom. Nicolinum* 1584. in. 4. item *de Imitatione poetica libros quinque*, primum italice *Ven. ap. Gab. Jolitum* 1560. in 4. deinde latine *Ven. ap. Lud. Avancium*, 1565. in 4. Verum auctor *Vitae Fr. Paulli Veneti, ex ordine Servorum*, sub narrationis suae initium memorat, *Maurocenum*, una cum aliis pluribus ex Veneta nobilitate pueris, grammaticae ac rhetoricae rudimenta accepisse ab *Ambrosio Morello*, ejusdem *Paulli* avunculo. At *Lollinus* in *Mauroceni vita*, quam huic statim subjiciemus, narrat eum in literis graecis *Parthenio* doctore usum esse, latinis vero *Baldo-Antonio Ponna*.

(*d*) *Erat enim celeri captu*, &c.) Qua ingenii vi polleret *Andreas*, quod dederit primorum studiorum specimen, narrat *Aurelius Palazzolus*, *Panegyrico in funere* Andreae Mauroceni, edito *Ven. typ. Andr. Muschii*, 1620. in 4. „ Quae vero traderet praeceptor illius, ac mode-
„ rator, ita excipiebat, ut non excipere, sed expromere videretur, quae dudum impressa, &
„ insculpta laterent in animo. Quotidie sumebat aliquid, quod legeret, seponeret, stylo tra-
„ deret, &c. „

(*e*) *Jam vero puram & emendatam latini sermonis elegantiam imbiberat*, &c.) Postquam humanioribus literis, quantum satis puero fuerat, operam dederat, ad philosophiam, adhuc in patria degens, se totum contulit. Testatur *Palazzolus* laudato *Panegyrico*. „ Cum musarum,
„ poetarum, historicorum saltus peragrasset, & quasi accurata apis, atque solicita collegisset,
„ quidquid dulce videretur, ac suave ex illorum floribus delibandum, tandem in PHILOSO-
„ PHORUM penetralibus consedit & abdidit se. „ Narrat porro idem auctor, quantum in rebus philosophicis profecerit, cujus rei argumento fuisse memorat theses publice cum summa laude apud frequentissimam illustrium virorum coronam propugnatas. Id vero clarius etiam inde colligitur, quod anno 1586. XI. kal. jun. cum ad Senatum de publico philosophiae doctore legendo relatum esset, quod munus a prima harum scholarum institutione patriciis hominibus semper delatum est, *Andreae Mauroceni* rationem habitam, cum magna ejus laude, inveni,

rat, cum a verbis ad res ipsas opportune conversus, (*a*) *Aloysium Pisaurum*, virum patricium, logicam, & philosophiam e Senatus consulto publice profitentem audire coepit. Is vero adolescentem amplexus, in eam viam, qua ex vera, solidaque virtute in caelum itur, recta deduxit; cum mentis altitudinem, omni ex parte perfectam, homines ex philosophia sibi comparare doceret, non ad ostentationem, & inanem sapientiae laudem; sed ad usum vitae necessarium, & ad virtutem per semetipsam expetendam. Hinc virtutis amore inflammatus adolescens, omnem curam, & diligentiam in studiis ponere, omnemque movere lapidem non cessavit, ut supra facundiae laudem, philosophiae peritissimus evaderet: quod tanta animi alacritate, tantaque contentione procuravit, ut nihil fere temporis amitteret; immo vero cum quiescere aliquando vellet, & animum relaxare, non ludis, aut inertiae se dabat, ut alii, qui solent

*Ludere par impar, equitare in arundine longa;*

sed argumentandi rationes omnes, captiosasque dialecticorum probabilitates summa cum voluptate, atque fructu percurrebat: tantamque sibi argumentorum supellectilem comparaverat, ut in differendo subtilis, & omnium acutissimus dialecticus haberetur; possetque de omni re, quaecumque in disceptationem vocaretur, in utramque partem copiosissime disputare; & cunctis illis ludicris exercitationibus, quibus, ut Graecorum more juvenum alantur ingenia, solet unus aliquid proponere, quod ceteri oppugnare aggrediantur, ipsemet semper non interesse, quam praeesse, magis videretur. Non tamen diu velitationibus illis operam navavit, cum sophistarum, aut agyrtarum verius artificium subodoratus, clamaret: *Nolle se rem omnium pretiosissimam, tempus videlicet, in commenticiis, futilibusque quaestionibus miserrime perdere, ex quarum disputatione nunquam doctior, sed infestior saepe vaeritatis hostis discedere valeas: severeque plectendos* diceret *doctores illos, qui, pellucidis, atque purissimis Aristotelis, & Platonis fontibus omissis, unde vera, solidaque philosophia hauriri potest, lutulentas, & salebrosas recentiorum paludes, vepribus, atque dumetis undique consepras adolescentibus exhibent; ubi barbari, atque imperiti homines, contentionis cupidiores, quam veritatis, excogitatis distinctionum figmentis, & argumentorum improbe detortis conclusionibus, altissimas scientiarum contemplationes, non ad veritatis lucem, sed ad cimmerias tenebras, perpetuis verborum involucris, infaustis ominibus dirigunt, miseramque philosophiam, non vitae amplius, morumque magistram, non naturae, caelorumque indagatricem; sed artem faciunt ad fallendum vulgus captiosam, atque nugatoriam, in qua hominum quoque ingeniosissimorum totas aetates sine ullo fructu contritas passim est videre.*

Cum itaque *Mauroceni* prima aetas, tam vario virtutum genere florens, tamquam ver, futuram anni ubertatem maximam ostenderet, Pata-

 vium

veni, competitoribus *Luca Molino* in rebus philosophicis doctissimo viro, & *Angelo Gabrielio*, qui alios suffragiis vicit.

(*a*) Aloysium Pisaurum .... *audire coepit.*) Hoc idem *Crassus* affirmat in eo opere quod inscribitur, *Pisaura gens*, edito *Ven. ap. her. Combi*, 1652. in 4. pag. 75. „ At docendi muneri addictus ( *Pisaurus*, philosophiae in patrio gymnasio professor) ita se gessit, ut ex ejus academia, quasi ex equo trojano, amplissimi viri prodierint, *Augustinus Valerius*, ANDREAS MAUROCENUS, historicus, &c. „ Hallucinatur hic autem Crassus, dum inter *Pisauri* auditores *Valerium* hunc recenset, qui aliquot ante illum annos professus erat, & quem *Andreas* noster adhuc PUER *in Veneto gymnasio philosophiam interpretantem audiverat*, ut ipse testatur ad *Lollinum* scribens, *Opusculorum* pag. 221. Consule *Diarium italicum literatorum*, tomo V. pagg. 373. & 378.

(*a*) *cum*

vium se contulit ; ubi (*a*) cum (*b*) *Franciscum Piccolomineum*, (*c*) philosophum præstantissimum, audiret, nihil sibi ad omnem diligentiam reliqui facere, cessare nunquam, sibi ipsi instare, atque egregio cum semetipso certamine instituto, quotidie doctior evadere ; saepius comites, & famulos omnes a se dimittere, quo liberius, remotis arbitris, dulcissimis literarum studiis accuratius vacaret; nunquam se minus otiosum, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset, praedicare, ut ne cum cessare quidem opus esset, in suo studio cessaret, & dum animum relaxaret, tamen acrius intenderet. Nihil profecto tam alte natura constituit, quo labor, & diligentia non possit eniti. His artibus ille ingenuas omnes disciplinas non leviter, aut perfunctorie; sed serio diligenterque amplexus, studiorum prospero cursu, & feraci vigiliarum proventu ad summam, & inusitatam multiplicis doctrinae segetem pervenit, cum praecellentis ingenii velocitate, captu-

---

(*a*) *cum* Franciscum Piccolomineum, &c.) Gens *Piccolominea* noo antiquitate solum originis, sed magnorum virorum quocumque genere clarorum fecunditate nobilis est. Ortus est *Franciscus* Senis in Etruria, ubi familiae sedes. Primum logicam in patria ; dein Maceratae, ac Perusiae philosophiam docuit. A Senatu Veneto accitus anno 1560. philosophiam extraordinariam in prima sede, ac paullo post ordinariam in prima pariter sede Patavii professus est. Ita ajunt *Jacobus-Philippus Tomasinus* in *Illustrium virorum elogiis*, *Patavii*, *ap. Don. Pasquardum & socium*, 1630. in. 4. ac *Antonius Riccobonus de Gymnasio Patavino*, *Patavii*, *ap. Franc. Bolzettam*, 1598. in 4. Ex *Regesto* tamen IIIvirum patavini gymnasii moderatorum apparet, ex philosophiae extraordinariae exedra ad secundam sedem ordinariae, hinc ad primam provectum ; tum literas graecas ac latinas tradere jussum, donec iterum primae philosophiae ordinariae sedi restitutus est. Adeundum hoc *Regestum* pagg. 229. 241. 245. 254. 262. 272. 276.

(*b*) *cum* Franciscum Piccolomineum... *audiret*) Non unum tamen *Piccolomineum* audivit, sed alios etiam doctissimos viros, quibus id temporis gymnasium illud florebat. Id testatur *Lollinus* in ejus *Vita*; *Jacobus* etiam *Gaddius* in *Elogiographo* edito *Florentiae*, *typ. Amatoris Massae*, *& soc.* 1637. in 4. pag. 115. *Si trasferì all'italica Atene*, *madre di Venezia*, *e nutrice della sapienza*, *per adattarsi più facilmente l'ali di Platone ; dove dimorando lungamente*, *abbracciò la geometria*, *la musica*, *e l'altre parti della matematica*, *e della filosofia*. *Di questa i due lumi immortali*, Francesco Piccolomeni, *e* Jacopo Zabarella, *emoli e principi di fazzione letteraria*, *parimente amò e osservò*. Sed luculentior testis *Andreas* ipse, qui quadam epistola ad *Aloysium Lollinum*, Belluni episcopum, virum doctissimum, sibique maxima familiarite conjunctum, quae exstat inter ejusdem *Andreae Opuscula* pag. 212. his verbis eorum temporum meminit. „ O praeclara tempora, cum nobilitatis Venetae flos in amplissimo ac pulcherrimo „ literarum theatro se se ad egregios morea, atque disciplinas effingeret. Erant omnigena eru„ditione praestantes viri *Federicus Pendasius*, *Franciscus Piccolomineus*, *Jacobus Zabarella*, qui „ philosophiam profitebantur. Erat *Thomas Peregrinus*, peripateticae supernaturalis philoso„phiae columen, qui metaphysica interpretabatur. Erat *Melchior* ille *Guillandinus*, ingenua„rum artium promptuarium, qui amoenissimo praesidebat horto, plantarumque omnium „ imagines mente complexus, portento similis, cunctos ad stuporem usque excitabat. Quot ibi de „ abditis rerum causis, de naturae arcanis disceptationes? &c „ Neque hic praeteriri debet, quam tunc amicitiam cum *Joanne Francisco Mussato* inierit, viro literis graecis & latinis ornatissimo, cujus obitum, cum in id tempus incidisset, quo *Maurocenus* erat IIIvir literarius, deflet ipse brevi elogio, quod inter ejus *Opuscula* exstat, pag. 194. „ Quonam meo „ fato contigisse dicam, *Joannes Francisce Mussate*, ut qui tuam olim eximiam sapientiam „ ADOLESCENS suspexerim (ah nimium sero) extrema tua, mea jam incipiente senecta „ fructum ferre coeperim? Summo id felicitatis reponebam loco, me proximis hisce annis in„ter hujusce gymnasii Moderatores a Senatu cooptatum, talem virum nactum, quicum de „ iis rebus communicarem, de iisque differerem studiis, quibus JUVENTAM alueram, &c.

(*c*) *philosophum praestantissimum audiret*) Ut jurisprudentiae ac theologiae potius, quam philosophiae operam daret, Patavium *Maurocenum* concessisse, testari videtur *Palazzolus* in *panegyrico*. „ Latinis igitur literis Venetiis diligenter excultus, ibidem in philosophiae „ studio magna cum cura exercitatus, Patavium ad percipiendum studium LEGUM, ac RERUM DIVINARUM concessit. „

(*a*) *Elo-*

ptuque illo fere incredibili, vanis, ac futilibus quaeſtionibus prorſus abdicatis, diſciplinas omnes egregias complecteretur: eas vero philoſophiae partes, quibus mores formantur, & rerum humanarum, ac divinarum arcana exquiruntur, non calleret modo perexacte, ſed in omni vita praeclariſſime quoque exprimeret; ſapientiaeque ſtudium eximium non ſolum verbis, aut rerum abditarum exquiſita ſcientia, ſed morum gravitate, ac vitae innocentia praeſeferret.

(*a*) Eloquentiam praecipue coluit, atque exercuit, quae a natura ad ſalutem, & conſervationem hominum data, in qualibet republica ſemper primas tenuit, prudentique viro non utilis rantummodo, ſed neceſſaria omnino videtur exiſtere. Nam cogitatione, & animo ſi quis multa comprehendat, at oratione quod velit explicare neſciat, perinde eſt, quaſi nihil ille cogitarit: ſapientiamque ſine eloquentia theſaurum quidem, ſed latentem in tenebris, penituſque abditum, cui nequeat patere aditus, non inepte dixeris. (*b*) Cum itaque inhoneſtis omnibus voluptatibus nuntium *Andreas* remiſiſſet, vitamque in literarum ſtudiis ſuaviſſimam viveret, triennium in praeclariſſimo Patavino gymnaſio non ſine ingenti fructu glorioſe peregit.

(*c*) Ubi vero Patavio, ſicut per alias Italiae civitates, importuniſſima peſtilentia vagari coepit, inde invitus diſcedere coactus eſt: non tamen intermiſit, immo diligentius exercuit honeſtiſſima, & liberaliſſima literarum ſtudia, ut iis ornatus, excultus, atque expolitus, ſpecioſaque & ingenti doctrinae multiplicis, & hiſtoriarum ſupellectile comparata, ad rempublicam accederet inſtructiſſimus: cives illos, veluti deteſtabilem peſtem execrari ſolitus, qui literarum rudes rempublicam adminiſtrandam ſuſcipiunt, ut civitatis periculo, quin etiam exitio civilem tandem prudentiam ſibi ſero comparent. Sic igitur per omnes ille dignitatis gradus ad ſupremam exiſtimationis, & nominis claritatem pervenit, cum propter ingentia ejus merita honores omnes, ſuper alios alii continuati, eidem deferrentur; ille vero praeſtantiſſimis etiam literarum ſtudiis, quæ vel maximis in occupationibus,

---

(*a*) *Eloquentiam praecipue coluit*) Accipe a *Palazzolo* uberiora de exercitationibus iis, quibus eloquentiam Patavii excoluit. „ Interdum in illis Muſarum umbraculis, ubi erant conventus, ac concurſus hominum praeſtantiſſimorum, e ſuggeſtu dicentem, docentem, diſputantem, interpretantem, laudantem, quaerentem, vituperantem, commenta pulcherrima, atque digniſſima afferentem audires: intelligentiam, aciem, induſtriam, eruditionem memoriam notares. Ubi vero peroraſſet, & finem feciſſet dicendi, ſummis plauſibus, ac clamoribus excipiebatur. „

(*b*) *Cum itaque inhoneſtis omnibus voluptatibus nuncium* Andreas *remiſiſſet*) Quam alienus ab hujuſmodi voluptatibus fuerit *Andreas*, alibi luculentiſſimo teiſtmonio apparebit. Pudicitiam vero Patavii, ubi adoleſcentibus maxima & frequentiſſima pericula, ſanctiſſime ab ipſo cultam, praeter *Lollinum* in ejus vita, narrat etiam *Palazzolus*. „ Contra ille pudicitiam & continentiam oſculatus ac complexus eſt, ac ita complexus, ut nullae unquam ſirenes, quae in hoc maris ſinu innatare plurimae ac formoſiſſimae celebrantur, mellitis eum verbis, & ad fallendum compoſitis irretiverint, infatuaverint; ſed (permirum atque perrarum) rationem quaſi gubernaculum in hoc humanae vitae curſu adhibens, & rectam inſiſtens viam cum immortali conjunctam gloria, quaſi Argonauta vellus aureum, ideſt Integritatem atque pudorem in portum, ad extremum videlicet ſpiritum invexit, &c. „ Subjicit deinde auctor, quibus potiſſimum rationibus inoffenſam vitam inter tot inſidias decurrerit; ſcilicet otium declinando, opem a Superis precibus, ſacramentorum uſu, aliiſque pietatis chriſtianae exercitationibus implorando.

(*c*) *Ubi vero Patavio.... peſtilentia vagari coepit*) Teterrimam ejus anni, qui 1576. fuit, peſtilentiam deſcribit *Maurocenus*, *Hiſtoriae* ſuae libro XII. pag. 492. Narrat autem *Palazzolus*, *Maurocenum* Venetias rediiſſe, non ob peſtilentiae metum, ſed ob confectum ſtudiorum ſuo-

nibus, & muneribus nunquam intermisit, familiae vetustissimae gloriam a majoribus hereditariam, ac veluti per manus acceptam non tantum conservaret; sed enixe etiam augeret, atque amplificaret.

(*a*) Illud autem admiratione dignum admodum videtur, cum haec ageret *Maurocenus*, dum aliud ageret: tot nihilominus, tantaque conscripsisse, quae praecellentis, rarique ingenii existunt monumenta, cum veteribus etiam optimis comparanda, quorum gratia etiamnum post obitum sibi ipse superstes immortali eruditionis, & eloquentiae laude commendetur. Neque tamen sunt adhuc tanti viri scripta in vulgus edita; sed a doctis hominibus prae manibus habentur, cum ille ab omni ambitione remotus longissime, facilitatem istam edendi quaecumque scripseris, saepius improbaret; praeclareque constitueret, qui scribit, ut doctrinam vulget, nullatenus eum doctrinae inservire, sed gloriae. (*b*) Extant vero, *De Rebus Venetis in Syria gestis* liber singularis: *De iis, quae Veneta Respublica ad Histriae oras gessit adversus Othonem, Federici Imperatoris filium*, libri duo: *Tractatus de forma Reipublicae Venetae*: *Icon*, seu *vita Christophori Valerii*: *Leonardi Donati, Venetorum Principis*, *Vita*: *Villa Hieronymi, Fabritii ab Aquapendente*: praeter alia quamplurima opuscula, quae non minus eruditionem, & acumen, quam scribendi peritiam, elegantiamque abunde testantur.

Verum nihil praeclarius, atque ad famam posteritatis splendidius extitit, quam *Rerum Venetarum* uberrima *Historia*. Hanc Xvirum decreto, (*c*)cum anno M. D. XCVIII. *Paulo Parutae*, doctissimo viro, & Senatori praeclarissimo, eo in munere suffectus esset, latine scripsit, quaecumque Respublica gessisset ab anno M. D. XXI. usque ad M. DC. XV. diligenter complexus; eidem vero licet manus extrema nondum accesserit (nam (*d*) carptim scribere ne-

cess-

---

suorum curriculum. „ Postquam scientiarum orbem obivit, nihilque esse amplius videre„ tur, quod ille non perlustrasset, perlustratum non cognovisset, in patriam reversus est. „

(*a*) *Illud autem mirum... cum haec ageret* Mauroceous, &c.) Mirum sane videri debet, qood tantus Senator, a prima adolescentia ad rempublicam ingressus, numquam non gravissimis curis occupatus, tantum otii nactus fuit, ut tot alia, quorum bona pars in lucem est edita, nedum hanc tantae molis, tantique laboris *Historiam*, conscripserit. Paullo post itaque ait *Crassus*. „ Carptim scribere necessario cogebatur, siqoid a publicis negotiis temporis vaca„ ret; quaeque intermiserat, recolere vix otium erat; nedum oroare, expolire, atque ela„ borare. „ Eadem affirmat etiam in *Panegyrico Palazzolus*. „ Obruebat nimirum viri ani„ mum Respublica: idest rerum contentio maximarum. Lucubrabat. Ad primam lucem ibat „ in Senatum. Reversus domum, quod reliquum temporis, studiis reddebat. Perire omne „ tempus arbitrabatur, quod scriptis non daret, literis non impertiret. „ Quae omnia non oratorie amplificat auctor, sed citra ullom artificiom simpliciter oarrat. Neque enim laudat orator, sed medicus ejus aegritudinis caussas scrutatur, qua *Andreas* decessit. His accedit *Paullus Maurocenus*, qui ea epistola, qua Antonio Priolo Duci, & Excelso Xvirum Concilio fratris *Andreae Historiam* nuncupat, ait „ In illa conscribenda, quod a publiels cu- „ „ ris, & corporis aegritudinibus temporis reliquom erat, id omne fere ipsum contrivisse. „

(*b*) *Extant vero*, &c.) Operum omnium, quae *Andreas* conscripsit, tum quae typis edita, tum quae calamo tantum exarata, ad calcem ejus vitae loculentum eleochum dabimus.

(*c*) *cum* Paulo Parutae... *eo in munere suffectus esset*, &c.) Historiae rerum Venetarum scribeodae munus injunctum est *Mauroceno* Xvirum decreto anno 1598. X. kal. jan. post *Paulli Parutae* Equitis & divi Marci Procuratoris obitum. Anno vero 1599. IIII. kal. jan. Xviri pariter decrevere, ut ipsi quotanois ducenti ducati solverentur: quod etiam *Paullo Parutae* decretum fuisse, patet ex ejus *Vita* nuperrime cum ejus *Historia* edita.

(*d*) *nam carptim scribere cogebatur*) Exstat inter *Andreae Opuscula* pag. 199. epistola ad „ *Lollinum*, qua ipse de se idem testatur. „ Id unum me mordet, angit, atque excruciat „ quod *Historiam*, quam summis vigiliis fere usque ad haec tempora perduxi, ad umbilicum „ adducere nequeo: neque enim vel semihoram diei ac noctis quietam ducere licet.

(*a*) quae-

cessario cogebatur, si quid a publicis negotiis temporis vacaret, (*a*) quaeque intermiserat recolere vix otium erat, nedum ornare, expolire, atque elaborare) nulla (*b*) tamen ex iis desiderantur, quaecumque in gravissima, &

(*a*) *quaeque intermisserat, recolere vix otium,* &c.) Non dubitat tamen asserere *Palazzolus*, quaecumque Senator noster dictaret, ita elaborata fuisse visa, ut novis curis eadem expolire minime opus esset. ,, Raro commutabat, quae scriberet: rarius delebat. Omnia fluebant, ,, acumen styli subibant; ut quae illi sponte, & nullo pene studio excidissent, aptiora videren- ,, tur, quam aliorum, qui continuo eamdem tundunt incudem, extundunt, & excudunt la- ,, bore, &c. ,,

(*b*) *nulla tamen ex iis desiderantur,* &c.) Longum esset, omnia afferre de hac *rerum Venetarum Historia* testimonia: omnia tamen praetermittenda non sunt. *Joannes-Henricus Boeclerus Bibliographia critica; Lipsiae, sumpt. heredum Jo. Grossi*, 1715. in 8. pag. 184. ,, *Andreae Mauroceni Historia Veneta* minime spernenda est; sed merito PRAECIPUIS in re- ,, bus Venetorum MONUMENTIS accensetur. ,, *Jacobus Gaddius* vol. II. de *Scriptor. non Ecclesiast. Lugd. ex typogr. Jo. Pet. Cancel*, 1649. in fol. pag. 8. haud multis *Maurocenum* laudat: ,, *Maurocenus Andreas* senator & HISTORICUS inter Venetos NOBILISSIMUS ,, fuit. ,, Idem fusius in *Elogiographo*, pag. 216. *Compose, oltre alcune operette, la* Storia Veneaiana *divisa in molti libri, abbracciando i più notabili avvenimenti all' Europa, e all' Asia nel passate secolo succeduti. Non si troverà, tra' moderni almeno, istoriografo latino più copioso, e diligente, e grave, nè che discorra meglio degl' interessi della Republica, e de' Principi, del* Morosini, *il quale merita d' essere chiamato, a guisa del gran Tito Livio Padovano, al mio parere,* IDEA DI NOBIL ISTORICO, LATTEO FIUME DI ELOQUENZA ROMANA, *veramente maravigliosa in un senatore, profondo in molte scienze, e ne maneggi publici occupato.* Haec eadem oratoriis ornamentis convestita *Palazzolus* tulerat. ,, Haec (*per Venetos facta*) ille tam praeclare complexus est, ut si beati censendi sunt ii, qui aut faciunt scribenda, ,, aut legenda scribunt, beatum Senatum, beatum *Maurocenum* fateamur: illum quod fece- ,, rit: hunc quod scripserit. Divina tuis factis Respublica es; his scriptis sempiterna. At ,, quo stylo complexus? prosecutus? eo nimirum, ut copia Livium, verborum elegantia Cae- ,, sarem, frequentia sententiarum Thucydidem superaverit, posteris praeripuerit palmam sui conse- ,, quendi, &c. ,, *Nicolaus Crassus*, hujus *Vitae* auctor, alibi, nimirum in *Patriciorum Venetorum elogiis; Venetiis, ap. Euang. Deuchinum*, 1612. in 4. hisce verbis opus illud claudit ,, multa affirmans, vel consulto praetermissa, vel strictim expressa, ne viderentur in historiam ,, haec *Elogia* evadere: & vero praeclara facinora explicata uberius, ex *Venetis historiis* peti ,, poterunt, ab iis praesertim, quas *Andreas Maurocenus*, Senator amplissimus, maximus ,, *Sapiens*, & incredibili facundia, & latini sermonis elegantia, & rerum gestarum fide, vulga- ,, turus est. ,, Inter vivos enim degebat *Maurocenus*, cum *Crassus* haec scriberet. Addendum etiam, quae fuerit *Aloysii Lollini* de hac *Historia* sententia, quemadmodum apparet ex quadam ad *Andream* epistola, inter ejus *Epistolas miscellaneas* edita *Belluni, typ. Franc. Vieceri* 1642. in 4. pag. 324. ,, Accedit tui ingenii praestantia cum eruditione omnigena conjuncta; ,, sermonis vero latini copia tam dives, tam beata, ut vel ingenti *Venetae Historiae* scribendae ,, argumento, cujus sub pondere complures viri florentis facundiae succubuere, non modo suffe- ,, ctura, verum etiam superfutura videatur. ,, Neque hic ea praetereunda sunt, quae habet *Octavius Ferrarius* pag. 327. *Operum variorum. Patavii, typ. her. Pauli Frambotti*, 1668. in 4. ,, *Andreas* siquidem, Senator spectatissimus, Senatus consulto *Venetae civitatis Historiam* a *Bembi* fine condere jussus, injuncto muneri, atque omnium expectationi praeclare satisfecit. ,, *Bembo* quidem scribendi elegantia haud ita par, quod viro in specula honorum locato, & ,, ideo magna semper, ac varia domi, forisque curanti, comendae orationi tempus defuerit. ,, Sed operis magnitudine, consilii praestantia, libertate, & rerum maximarum usu, nemine ,, inferior. Nihil unquam falsi ausus, quod privato homini nequaquam impune cessisset. Quippe ,, continentia Regum bella rebus Venetis adnexa, & implicita, magnas necessitates, bel- ,, lorumque causas, & modos, curasque ancipites tradens, quibus ille magnam partem, aut ,, interfuerat, aut praefuerat, ut aliquid gratiae daret, nunquam animum induxit; ,, ac potentiorum offensas, quas veri studio sibi subeundas videbat, insuper habuit. ,, Accedat & celeberrimus *Fortunius Licetus*. Hic cum editurus esset quatuor libros *de his qui diu vivunt sine alimento*; prodiere autem *Patavii, ap. Pet. Bertellium*, 1612. in fol. eosque inscriberet *Andreae Mauroceno*, gravissima illa nuncupatoria epistola ipsum ita alloquitur: ,, Ea si- ,, quidem vitae integritate, judicii gravitate, ingenii praestantia, & cum ceteris disciplinis o- ,, mni-

& praeclarissima historia expetenda sunt. (*a*) Ingressus fuerat italico sermone eam contexere, ubi *Paruta* desierat, inde initio ducto: verumtamen cum non modo suis civibus, Italisque hominibus, sed exteris etiam, & longinquis nationibus scribendum probe animadverteret; ne rerum gestarum memoria intra Italiae fines circumscripta, & conclusa contineretur, immo propagaretur quam latissime ad omnium notitiam; propterea instituit retexere, quae prius orsus fuerat, atque altius ea repetere, & latine perscribere, (*b*) quae italice prodita literis a *Paruta* fuerant. Cum autem dicen-

---

„ mnibus, tum sacra theologia, naturali moralique philosophia, eloquentia vero praesertim „ pollere te, Serenissimae Reipublicae compertum est, ut non solum in summis & arduis negotiis te consulto & moderatore libentissime felicissimeque uti consueverit; verum etiam ex „ innumeris alta sapientia claris te unum olim elegerit, qui rerum a Venetis gloriose gestarum *Historiam* perpetuis famae annalibus insereres. Tu vero (mirum dictu) & sublimibus, „ frequentibus assiduisque urbis magistratibus numquam deficiens, & musarum studiis sedulo „ invigilans, simul Rempublicam praeclare gessisti, & praeclara Reipublicae gesta conscripsisti, &c. „

(*a*) *Ingressus fuerat italico sermone*, &c.) Contrarium de *Mauroceno* ac de *Paruta* contigit. Huic latine *Historiam* suam orso; ut narrat *Apostolus Zenus*, frater germanus meus, & cui non pauca eorum debeo, quae hic narrantur, in ejus *Vita*, quae ipsius *Historiae* per Lovisam nuper editae, praemissa est; placuit deinde italicis literis ex integro mandare. *Maurocenus* autem, *ingressus italico sermone eam contexere*, mutata deinde sententia, *instituit retexere quae prius orsus fuerat, & latine perscribere*. Hinc, quam varia sit hominum mens, satis apparet, cum alii iisdem rationibus capiantur, quibus alii deterrentur. Ex *Parutae epistola*, quae ejusdem vitae inserta est, inter ceteras hac potissimum ratione ad *Historiam* italice scribendam adductus ille videri potest. *Oltre ciò mi pareva non poter fuggire ogni biasimo, s'io tanto stimato havessi il* PIACERE AGLI STRANIERI *col porre ogni mio studio nella* lingua latina, *a' più di loro partecipe, l'* Historia *delle cose nostre, che niuna opera, o cura havessi voluto porre per piacere a' nostri medesimi Italiani: molti de' quali, persone per altro di alto ingegno, per havere altrove volta l' industria loro, non hanno cognitione della lingua latina*. Contra vero *Mauroceno* pulchrum visum est, si ea lingua scriberet, qua legi & ab exteris posset. Id ipse testatur in prooemio *Historiae* suae, pagina hujus editionis secunda. „ Post cujus obitum (nimirum *Paulli Parutae*) cum mihi a supremo Decemvirum Consilio injunctum esset, ut scriptis re„ rum, quae nostra aetate gestae sunt, memoriam complecterer, cuperetque animus, NON „ INTRA UNIUS PROVINCIAE FINES, sed quacumque priscae Romanorum linguae „ notitia pervasit, nobilissimae atque antiquissimae Reipublicae gesta perlegi, &c. „

(*a*) *quae italice prodita literis a* Paruta *fuerant*.) Eadem etiam ratione, ut scilicet exteris quoque gentibus per Venetos fortiter & sapienter facta innotescerent, nequaquam *Historiae* „ suae initium inde sumpsit, ubi *Paruta* desierat, hoc est ab anno M. D. LII. verum operae „ pretium se facturum existimavit (ita in eodem prooemio) si altius scriptorum exordia duce„ ret, atque ab iis potissimum temporibus, quae post pacem Bruxellis inter Franciscum, Gal„ lorum regem, & Carolum, Belgarum tunc ducem initam, & cum Venetis inducias pa„ ctas sequuta sunt. „ Ex iis igitur quae apud *Parutam*, leguntur rebus tantum omissis, quae ab ab anno M. D. XIII. per septem insequentes contigerant, *Historiam* suam exorsus ab anno M. D. XXI. quo ad Reipublicae principatum evectus est *Antonius Grimanus*, mira felicitate ad annum usque M. DC. XV. perduxit. Et fortasse interjectos eos septem annos complecti narratione meditabatur: sed praepropera mors prohibuit; ut etiam prohibuit, ne ea complecteretur, quae postremis vitae suae annis gesta sunt, quod *Paullus* frater in laudata nuncupatoria epistola videtur innuere. „ Sed AB ALTIORIBUS, uti moliebatur, INITIUM ne su„ meret, neve ad proxima propius accederet, fata obstitere. „

Non abs re erit hic significare, usque a *Lollini* aetate fuisse aliquos, „ qui italice vertere latinam *Mauroceni Historiam* conati sunt. Adeantur *Lollini* Epistolae pag. 251. „ Audio, „ te ne, an fratrem tuum? utriusque enim nomen ad nos fama detulit, de HISTORIA „ MAUROCENA IN ETRUSCUM SERMONEM VERTENDA cogitare; nec cona„ tum improbo, in multorum sane commodum cessurum. Quotus enim quisque nunc Roma„ na tractat, nisi Orbilius aliquis, in ludo verbere irrito adigens conatorum gregem, ut „ bilingues fiant? „ Quis fuerit is, cui epistolam hanc *Lollinus* dedit, divinare minime ausim. Id pro comperto affirmare possum, *Laurentium Pignorium Mauroceni Historiam*, priusquam ede-

dicendi formae variae sint, ac multiplices, quas Hermogenes, & alii Graeci rhetores *ideas* nominarunt; duo tamen praecipua dicendi genera vulgo existimantur: brevius unum, ac pressius; uberius alterum, magisque diffusum: optimum utrumque, quodque jure quodam suo magnos autores, atque etiam laudatores habeat. Utrum autem ex iis alteri praeferre debeas, nullum certe in consilium adhibere, praeter temetipsum potes; ut scilicet, natura duce, quo genius rapit, eo propendeas, ne *invita*, quod ajunt, *Minerva*, hanc potius, quam illam dicendi rationem amplecti studeas. Id autem cum egregie calleret *Maurocenus*, licet brevem, & succi plenam orationem plurimum laudaret, uti aureum nummum eo pretiosiorem, quo argenteos plures repraesentat una exigua nota; naturali tamen quadam propensione, & longo studio quaesita facundia amplum potius, quam pressum dicendi genus consectatus est, quod veluti magnum aliquod auri non signati pondus, eo jucundius, atque majoris pretii habetur, quo mole amplius: nec alia præstantioris boni nota insignior est, quam quod latius diffusum in plura emanet uberius. Liber ille vere aureus de *Oratore ad Brutum*; cui tantum *Maurocenus* ipse tribuere erat solitus, ut e manibus, aut e sinu vix unquam dimitteret; quaenam dicendi genera in usu, atque in pretio essent, quando praeclara illa lumina eloquentiae enitebant, Antonii, Crassi, Cottae, Caesares, Hortensii, atque Cicerones, exacte demonstrat. Quantum mutaverint tempora paulo post, cognoscitur ex iis, qui, Flavia gente orbi dominante, proximisque deinceps aetatibus supersunt autores; praecipue vero ex Historiis, & Annalibus Taciti, qui cum saecula multa in tenebris, ac situ perpetua quasi oblivione sepultus latuisset; hinc erutus nuper, quamvis & lacer, & mutilus, eruditorum nunc prope omnium studio excolitur. Avorum nostrorum memoria sensus alius fuit, cum primum latinae literae, intermortuae jampridem, reviviscere coeperunt, atque ornari denuo; quod scripta multa doctorum hominum testantur. Est enim in oratione ipsa profecto, ut in rebus omnibus circuitus & veluti orbis quidam in idem recurrens, utrecidant in usum praesentem, atque revocentur, quaecumque temporis intervallo fieri jam desierant. Cernimus hoc quotidie in tota hominum vita, in officiis, in moribus, in judiciis, ac legibus; nedum in habitu & cultu, & gestu, & sermonibus. Quae cum *Maurocenus* omnia egregie perpenderet, quamvis contractum, & pressum orationis genus hac nostra aetate perciperet probatius haberi; nihilominus alterum illud uberius, ac fusius, ad quod etiam sponte, ac natura lubens ferebatur, consulto praetulit: ea certe quasi praesagitione, futura tandem quae prius extiterant tempora, ut in condenda historia praestantissimi viri imitari constituant Livium potius, quam Tacitum, illum facundum quidem, ut constat, minus; addo etiam non magis prudentem. Haec igitur

c de

ederetur, emendare, suasque notas adjicere animo agitasse. Testatur hoc idem *Lollinus* epistola ad *Pignorium*, pag. 291. „ De MAUROCENA HISTORIA pauca adjiciam, quam „ a te RECUDI non accurate minus, quam amanter, quid ni gaudeam, alienissimo tempore „ parentis lima destitutam? &c. „ Huic epistolae cum responderet *Pignorius* (exstat ejus epistola inter *Lollinianas* pag. 292.) fatetur quidem *Mauroceni Historiam* in manus sumpsisse; verum purgat se, quod susceptum opus minime perfecit. „ Ad *Historiam*, quam innuis, AD- „ NOTAVI mearum nescio quid ineptiarum; & malui inscitiae notam subire, quam inofficiositatis. Universam ne perlustrarem, vetuit moles atlantea occupationum, quibus opprimor „ quaeque oppresso exprimunt ingenuorum studiorum & memoriam, & ipsum paene nomen. „

(a) *ut*.

de liberalibus *Mauroceni* ſtudiis, ac de praeclaris ingenii monumentis poſteritati ab eo relictis quae diceremus, habuimus.

Non modo autem praeclara ſtudia, & literas ipſas; ſed literatos etiam viros, atque ſtudiis deditos, quod in magno Senatore ſummae laudis locum occupat; in oculis ferebat, atque adeo in ſinu fovebat. Etenim cum ad ipſum literati omnes, tamquam communem doctorum hominum parentem, confugerent; ille vero eruditorum hominum colloquiis remittere frequenter animum videretur; inde factum eſt, (*a*) ut ad illius aedes, tamquam ad academiam aliquam cupidiſſimè cuncti ventitarent, nec ullus tamen eſſet, qui non inde inſtructior diſcederet. Præclare ſtatuerat ille magnum virum decere, nullum habere, niſi quem Reſpublica haberet, inimicum: amicos vero; quos recte latinus orator optimam, & pulcherrimam vitae ſupellectilem appellabat; omni ſtudio enitebatur ſibi comparare; ſed ejus notae, ut amici cujuſque animum cum ſuo commiſcere, & unum pene ex duobus efficere liceret. Quam ob rem cum ingenium illi non fucatum, aut fallax; ſed ſimplex, & verax, nulloque ſimulationis artificio eruditum eſſet, aſſentationis acerrimus hoſtis videbatur, quae modo in locum invaſit veritatis, & ingenuae, quæ inter amicos maxime decet, libertatis loquendi. Immo vero ex hominum vultu mores colligere ſolitus, eos tamquam humanae ſocietatis peſtes evitabat, qui vitiis maximis polluti, & contaminati, virtutis ſpeciem fuco, & quibuſdam veluti medicamentis illitam oſtentare ſolent; quorum inſidiis nihil poteſt eſſe in hominum neceſſitudine foedius, nihil perniciosius. Siquidem ubi parum aperta improbitas obeſſe poteſt, cum ſolo aſpectu, quo nihil ſit omnino deformius, cunctos a ſe deterreat; propterea formam honeſtatis gerere, & innocentiae perſonam induere ſolet, ut iis veluti cuniculis ſimplicium hominum mentes expugnet, atque ita in vitiorum poteſtatem impellat, ac pertrahat. Eloquentiam quoque a ſapientia ſejunctam, & ſordibus inquinatam inter domeſticae neceſſitudinis jura non admiſit; eos prae ceteris omnibus odio habens, quibus, ut caeſis antiquorum victimis, nihil praeter linguam, & ventrem ſuperaret.

Honeſtiſſimos ergo, atque doctiſſimos amicos expetiit, quorum omnium non virtute magis, & doctrina, quam amore, & arctiſſimo neceſſitatis vinculo gregem ducit (*b*) *Aloyſius Lollinus*, Venetus patricius, & Bellunenſis Epiſcopus. Is graecis, latiniſque literis impenſe eruditus, philoſophus, ſi quis alius, theologuſque ſapientiſſimus, literatorum omnium noſtrae aetatis ſummus dictator, non ſolum liberali omni arte, ac doctrina, ſed etiam ſcribendi elegantia omnem provocare antiquitatem facile poteſt: cum

(a) *ut ad illius aedes, tamquam ad academiam aliquam, omnes ventitarent.*) „ Erat „ *Maurocena* domus conventus elegantiae, literarum domicilium, muſeum humanitatis, eru„ ditionis emporium, Muſarum ac Gratiarum omnium ſacrarium auguſtiſſimum. „ *Palazzol.* in *Paneg. Maurocenus* ipſe ita ad *Lollinum* ſcribit, de vitae ratione, quam cum aeque docto ac ſibi amiciſſimo praeſule, Patavio reverſus, duxerat. Exſtat epiſtola inter ejus *Opuſcula*, pag. 211. „ Mutuis alloquiis, frequentibus congreſſionibus alebantur animi. In tuis, IN„ QUE NOSTRIS AEDIBUS de rerum natura, de moribus, de divinis rebus diſputationes „ habebantur. Aderant multi, quos perdiſcendi ſtudium attrahebat; ex noſtra nobilitate aliquot; intererat *Nicolaus*, frater meus, &c. „ Adeatur etiam auctor *Vitae Fr. Paulli Veneti*, ex ordine Servorum, pag. 71.

(b) Aloyſius Lollinus, &c.) De *Aloyſio Lollino* ſermo recurret in *Mauroceni Vita* ab eodem expoſita.

( a ) *ut*

cum incorruptis, & plane aureis moribus, vitaeque innocentia, & virtutum omnium cumulo, praesulis sanctissimi personam a Pontifice maximo sibi impositam peregregie, summoque cum omnium ordinum amore, atque plausu multis ab hinc annis sustineat, atque tueatur. Hunc *Maurocenus* ab ineunte ferme aetate praecipue, insigniterque inter omnes dilexit: cumque alter in Reipublicae administratione Venetiis, alter vero in ecclesiae sibi commissae cura Belluni, viveret; commune sui desiderium absentis crebris, & longis quoque epistolis mutuo leniebant, multaque latine simul conferebant, (*a*)ut incredibilem hujusce modi epistolae, si unquam evulgentur, doctis hominibus voluptatem, & fructum allaturae sint. (*b*) *Octavianum* quoque *Bonum*, & (*c*) *Joannem Basadonnam*, quorum alter modo Patavii praeturam, alter vero Brixiae praefecturam, gerunt, politioribus literis, eloquentia, & sacrarum, ac multarum disciplinarum doctrina insignes, eosdemque Senatores eminentissimos impense coluit. Arctissime vero complexus est (*d*) *Donatum Maurocenum*, quem maximarum virtutum, & scien-

 tia-

---

(a) *ut incredibilem hujusce modi* Epistolae, &c.) *Lollini Epistolae* in lucem editae sunt ita inscriptae: Aloysii Lollini, *Patritii Veneti, & Belluni Antistitis, viri praeclarissimi, Epistolae miscellaneae*, &c. *Belluni*, *typis Francisci Vieceri*, 1642. in 4. Nitidioribus typis dignissimum opus.

(b) Octavianum *quoque* Bonum) Quae *Maurocenum* inter ac *Bonum* amicitia intercederet, inde apparet, quod *Lollinus* huic *Lacrymas* suas *in funere Andreae Mauroceni* miserit suavissimo illo phalaecio, quod opus praeit:

„ Cui donum lacrymabile hoc Thalia
„ Scriptum carmine dat Simonidaeo,
„ Moestitudine tetricum severa?
„ An tibi optime convenit BONE uni?
„ Non quod te hilaremque, gaudiisque
„ Perfusum velit omnibus; libellus
„ Funus sed quia continet sodalis;
„ Nulli qui mage flebilis suorum,
„ Quam tibi, decus Adriae, recessit. „

Idem *Lollinus* in *Epistolis*, pag. 137. ad nomen ejus moresque scitissime alludens, eum vocat *virum plane nominis sui*; pag. vero 372. *aevi nostri Catonem*. Ejus obitum, dum vesicae calculo laboranti sectio adhiberetur, cum ibidem, tum pag. 349. deflet, addito longiore carmine hexametro, quo plurima narrat, quae viventi acciderant. Suum tamen erga *Octavianum* amorem nullibi clarius significavit, quam cum de fratris sui morte ad *Henricum-Catharinum Davilam* scribens, pag. 381. in haec erupit: „ Accedit *Octaviani Boni* obitus. FRATER is „ mihi ALTER erat, non naturae JURE, sed amoris, &c. „ Haec omnia eo libentius memoranda duxi, quod aeque *Lollini* ac *Mauroceni* amicus esset *Bonus*. Ceterum *Boni* saepius meminere in suis *Historiis Maurocenus* & *Baptista Nanius*.

(c) & Joannem Basadonnam) *Octavius Ferrarius* in *Peplo Veneto*, qui inter ejus *Opera varia* exstat pag. 330. perhonorifice memorat „ *Joannem Basadonnam*, non exacta modo pru- „ dentia, atque administrandae Reip. artibus, sed altioribus studiis inclytum, quibus hu- „ mana mens caelo admiscetur, orbesque aethereos scandens, instinctu Numinis plena, divina „ effata mortalibus communicat. „

(d) *Arctissime vero complexus est* Donatum Maurocenum) Non sanguinis, sed amicitiae vinculo *Maurocenos Andream* & *Donatum* conjunctos fuisse, declarat *Crassus* ea epistola, qua hanc *Andreae Vitam Donato* inscribit. Quanta etiam cum *Donato* sibi esset necessitudo, testatur *Andreas* ipse iis epistolis, quae exstant pagg. 186. 193. 195. 196. 205. 241. Praecipue vero pag. 204. cum *Nicolao Contareno* scriberet, ita *Donatum* commendat. „ Socium habes hujusce „ pulcherrimi instituti *Donatum Maurocenum*, virum clarissimum, in cujus ore & pectore Mi- „ nerva & Mercurius certam veluti sedem sibi defixisse videntur, &c. „ Inter *Lollinianas Epistolas* plurimae ad hunc datae inveniuntur. Cum vero *Lollinus* ad *Andream* nostrum literas daret, quae exstant pag. 133. „ Erit, ait, fortasse apud te, dum haec leges, *Donatus Maurocenus*, idem & horarum omnium comes, & doctrina ac comitate excultissimus: nam te absque „

LAE-

tiarum concursus, supra suavissimos mores, admirabilemque integritatem, ad Reipublicae munia vel invitum traxit; nec minus clarum facit ad praesens, & illustre, quam perpetuum, & memorabile posteris ejus nomen. (*a*) *Christophorum Valerium*, Senatorem numeris omnibus absolutum, qui e Byzantina legatione rediens, Corcyrae diem obiit, tristeque cunctis ordinibus desiderium sui reliquit, & amavit unice, & luxit graviter, atque acerbe. (*b*) Longum vero esset omnes Venetos patricios, eosdemque doctissimos viros recensere, quibus familiariter admodnm usus est. (*c*) Unum omittere non possum *Nicolaum Maurocenum* fratrem, eruditione clarissimum, atque graece, hebraice, & latine cumprimis doctum, qui ob ingentem literarum peritiam Reipublicae *Bibliothecarius*, cum primos honorum gradus, quosque per aetatem poterat, obtinuisset, jam septimum *continentis*, ut dicitur, *Sapiens* certissimum nunquam interiturae felicitatis locum inter caelites jampridem promeritus est; ampliora munera in Republica consecuturus, si praecoci morte in aetatis robore raptus non fuisset. Hunc non modo pro fraterna necessitudine, sed ob multas etiam, magnasque virtutes dilexit unice, & studiorum omnium socium, & autorem habuit, tulitque mortem ejus aliquantum acerbius, quam instituta vitae ratio permitteret, ac philosophia, a qua tamen doloris incredilis remedium haud incassum petiit.

(*a*) *Jo-*

---

„ LAELIO TUO istic feriari, quae utriusque vestrum est concordia, vix induci possum, ut „ credam. „

(a) Christophorum Vaierium) Meminit *Valerii Maurocenus* in sua *Historia* ad annnm 1612. pag. 706. editionis prioris. Quam vero illi esset amicus, argumento est *Elogium* illud, quod inter ejus *Opuscula* legitur pag. 161. de quo alibi longior nobis futurus est sermo.

(b) *Longum vero esset omnes Venetos patricios*, &c.) Praeter eos, quos *Crassus* enumerat patricii ordinis, ex ipsius *Mauroceni* epistolis pag. 175. colligi potest, familiariter usum esse *Maurecenum Francisco Ericio*, qui deinceps Venetiarum Dux creatus est. Huic data est epistolarum, prima, ubi amoenissimam villam *Fabricii ab Aquapendente* describit; nec non altera, quam invenies pag 207. qua *Elogium Christophori Valerii* a se elucubratum illi misit. Sed luculentius habeo testimonium in ejusdem *Ericii* Principis vita a *Marco Trivisano* conscripta, quam Venetiis impressit Jo. Petrus Pinellus anno 1651. in 4. Ibi pag. 64. haec habentur: *Furono di* Francesco (*Erizzo*) AMICI *tutti i buoni, e virtuosi cittadini: ma alcuno non fu cotanto congiunto d' affetto, e d' intrinsichezza, quanto Girolamo Soranzo Cavaliere e Procuratore di san Marco, Battista Nani*, Andrea, *e* Paolo Morosini, *fratelli, ambi scrittori eccellentissimi de' nostri Annali, & Istorie: quattro lumi al suo tempo splendidissimi di questa gloriosa patria*. Amicissime etiam complexus est *Benedictum Sanutum*, de cujus obitu sic ad *Prevosium* scribit, pag. 233. „ De illustrissimi viri *Benedicti Sanuti* obitu (quem recte se habere pridie intellexe„ ram) nuncio accepto, cohorrui. Affinis atque AMICI casum dolui vehementer. Eum enim „ amisi, quo nec virtnte, atqne integritate praestantiorem, nec mihi multis nominibus CHA„ RIOREM unquam habui, &c. „

(c) *Unum omittere non possum* Nicolaum Maurocenum *fratrem*) Merito ita *Nicolaum*, *Andreae* fratrem, commendat *Crassus*, quamquam satis commendare tantnm Senatorem nemo umquam potest. Decessit anno 1602. nocte, quae kalendas martias insecuta, cum *Sapiens Continentis* esset, ut in *necrologio* parochiali sancti Lucae: sed kalendis ipsis decessisse testatur *epitaphium*, quod ejus tumulo fortasse inscribendum *Andreas* frater confecerat; quodque aureis characteribus exaratum legi in libello ubi descriptum est Senatusconsultum, quo *Nicolao* marcianae bibliothecae praefectura demandata est anno 1601. 9. kal. decemb., una cum librorum Bessarionis elencho, qui in bibliotheca eadem asservantur. Tale vero est epitaphium.

NICOLAO. MAVROCENO

SENATORI. INTEGERRIMO. RELIGIONE. INSIGNI. DOCTRINA. EXIMIO. RERVM. VSV. PRAESTANTI. REIPVBLICAE. BIBLIOTHECARIO. QVINTVM CONTINENTIS. SAPIENTI. EO. IN. MVNERE. TERRIS. AD. COELVM. SUB-

LA-

(*a*) *Josephum quoque Bonfadium* illi ordini civium, qui Reipublicae sunt a secretis, erudiendo, ac probando Decemvirum decreto praefectum, cum rerum sacrarum peritia, & philosophiae studiis, tum humanioribus literis mirifice perpolitum, tantum adamavit, & magnifecit, ut ei *Jacobum*, & *Andream* nepotes, magni spiritus, & ingenii admirabilis, quos non minus ac filios diligebat, erudiendos tradiderit, eumdemque studiorum omnium non raro consultorem adhibere voluerit: (*b*) *Joannem Sozomenum*, jurisconsultum, qui graecas literas publice profitetur: (*c*) *Aurelium Palazzolum*, philosophum, & medicum praeclarissimum: & *Franciscum Cortesium*, philosophiae, & juris utriusque peritum, musarum omnium amores, atque delicias, carissimos habuit.

---

LATO. ANDREAS. FRATER. INCONSOLABILITER. MOERENS. PERPETVI. LVCTVS. ET. AMORIS. ERGO
VIX. AN. XXXXI. MENS. V. DIES. XX. OBIIT. M.DC.II. KAL. MARTII

*Nicolaus Orationes duas*, clarorum virorum opus, ex Italicis latinas fecit: altera est, qua *Joannes Georgius Trissinus* Andreae Gritto; altera, qua *Franciscus Querus*, N.N. Republicae Venetae principatum gratulantur. His accedit tertia, ab ipso composita *de philosophia cum humaniorum literarum studiis conjungenda*. Manu exscriptae in papiraceo libello in 4. exstant apud *Jacobum Cornelium*, *Georgii* Senatoris amplissimi filium, apud quem etiam alia non pauca *Maurocenorum* nostrorum monumenta. Illi enim *Maurocenae* gentis familiae, ex qua *Andreas* noster erat, nuper masculis omnibus destitutae, ornatissimae duae feminae supersunt, *Ursa* ac *Teresia*, *Zacharia Mauroceno* genitae, *Andreae* filio, *Paulli* nepote, qui scriptoris nostri frater germanus fuit. Prior *Petro Capellio*, *Dominici* filio, clarissimo Reipublicae nostrae lumini; altera magnae spei juveni *Jacobo Cornelio*, nupsit. Sed ut ad *Nicolaum* redeat sermo, *Andreas* noster ita cum *Lollino*, data ad eum epistola, que inter *Opuscula* invenitur, pag. 211. ubi plura ad ejusdem *Andreae* vitam spectantia leguntur, acerbissimam fratris mortem conquestus est. „ Immaturo fato ablatus est mihi SUAVISSIMUS FRATER, tui amantissimus, qui „ mihi omnes voluptatis ac jucunditatis sensus eripuit. „

(a) Josephum *quoque* Bonfadium) Quae hic *Crassus* attulit, satis probant, quantum *Maurocenus Bonfadium* diligeret, quantique faceret. *Bonfadii* vero doctrinam, eiusque erga Rempublicam nostram amorem probat ea, quae ab ipso edita est *De civilis administrationis optima forma disputatio, adversus oppugnantes aristocratiam, praecipue vero Jo. Bodinum, Guilielmum Barclajum, atque Justum Lipsium. Patavii, apud Laur. Pasquattum*, 1611. in 16. Prodiit quoque Venetiis ex praelo Andreae Muschii anno 1616. in 4. ejusdem *Bonfadii Oratio de studiis recte instituendis Venetorum civium, quicumque ad arcana Reipublicae sunt adsciscendi*.

(b) Joannem Sozomenum) *Lollino* ac *Mauroceno* carum fuisse *Sozomenum*, ipse *Lollinus* significat, *Mauroceno* scribens pag. 113. „ Misit ad me nuper SOZOMENUS NOSTER in „ scriptiones vivificae crucis duas graecas, &c. „ Non literas graecas tradidisse *Sozomenum* tantummodo, sed bibliothecae marcianae custodem datum fuisse, praeterea librorum in lucem edendorum examen illi commissum, apparet ex *Regesto* gymnasii Patavini Moderatorum pagg. 333. 378. Edidit *Sozomenus Venetiis, ex typogr. Andr. Muschii*, 1623. in 4. *Platonis de rebuspub. sive de justo libros decem, e graeco in latinum, & ex dialogo in perpetuum sermonem redactos, additis notis & argumentis.* In divi Laurentii martyris aede, ad aram Beatae Virginis in caelum assumptae, *Joanni Sozomeno* patri, *Julio* fratri, posterisque & sibi *Claudius Sozomenus*, Poleosis Episcopus, monumentum posuit *anno iubilei* M DC. Eam autem aram idem *Claudius erexit & dotavit*.

(c) Aurelium Palazzolum) *Palazzolo* medico uti consueverat *Maurocenus*. Innuit hoc *Palazzolus* ipse, cum mortuum laudaturus, de morbo quo decessit, verba facit. Quanti eum *Maurocenus* faceret, testatur hujus ad *Lollinum* epistola, pag. 223. „ *Aurelii Palazzoli*, „ medici, cujus solerti opera utor, *Panegyricum in Plazonii anatomen*, quem, me curante, „ his diebus exhibuit, ad te mitto. Est sana *Aurelius* ipse tibi, ob singularem benignitatem „ atque eximiam virtutem tuam, addictus, ac plane devinctus. „ Huic autem epistolae ita *Lollinus* respondet. „ De *Palazzoli* elogio plurimum te amo. Diu est, cum viro ob eru- „ ditionem faveo, eximiumque in te colendo studium atque pietatem multi facio. „ Sed nemo luculentior testis *Palazzolo* ipso, qui funebri laudatione Maecenatem suum ita alloquitur. „ Tu, ubi scripta aliquot mea (dicerem obscura, nisi ingenii tui splendor illustrasset) perlegisti, me nondum tibi de facie notum, sed sola commendatum fama virtutis, ac „ pro-

buit. (*a*) Patavii autem; praeter *Vincentium Contarenum*, (*b*) heu, quondam meum, (*c*) qui humaniores literas publice profitebatur, ac eruditione incomparabili, politioribus literis, & morum candore effecit, (*d*) ut magnos illos Scaligeros, & Lipsios Italia exteris nationibus non invideret; (*e*) (*f*) *Laurentium*

„ probitatis, amore, quid amore? etiam laude prosecutus es. Tu me voluntate accersisti, „ humanitate tractasti, liberalitate affecisti. Tu me scriptis tuis pulcherrimis ac politissimis „ detinebas. Tu me destinabas, quamquam mei inbecillitatem ingenii tantae imparem provinciae praemeferrem, Patavium, ubi e superiore aliqua sede docendi munere fungi possem, &c. „

(a) *Patavii autem, praeter* Vincentium Contarenum, &c.) Postquam *Contareno Lollinus* miserat suas *Lacrymas in funere Andreae Mauroceni*; responsumque honoris plenum ab ipso acceperat, iterum eidem scribit, hortaturque, ut tantum amicum a se illaudatum ne sineret. Exstat epistola pag. 206. „ Quem (*Maurocenum* scilicet) cum tu PERINDE CO-„ LUERIS AC EGO, non est seu humanitatis, qua cedis nemini, sive facultatis, qua ce-„ teris praestas, ejus nomen, quantum in te est, oblivione sinere urgeri. Unus tu, nec me „ fallit amor, AMICO, nobis importunissimo tempore erepto, otium paucarum horarum „ nactus, parentare potes elogio meritis ejus digniori, quam vel meum, vel ullius fuerit, „ &c. „ Ceterum viventi adhuc *Mauroceno* dederat sui erga ipsum amoris clarissimum argumentum *Contarenus*, cum ipsi, una ac Marco-Antonio Memo, Procuratori, Antonioque Priolo, Equiti ac Procuratori, quorum uterque Reipublicae Princeps deinde salutatus est, id vero temporis cum *Mauroceno* rei literariae triumviratum gerebat, eruditissimum opus dicavit *de frumentaria Romanorum largitione*, editum primum *Venetiis*, *apud Nicolaum Polum*, 1609. in 4. deinde ultra montes non semel recusum.

(b) *heu quondam meum*) Diem suum obierat *Vincentius* ab anno usque 1619.

(c) *humaniores literas*, &c.) Eas Patavii profitebatur *Contarenus*, hac illi provincia anno 1603. demandata. Anno autem 1617. ut *Tomasinus* in *Elogiis* refert, pag. 179. abdicato docendi munere, Polam concesserat, urbem olim nobilem in Istria, ut Romanarum antiquitatum semesa monumenta, quorum illic maxima copia, colligeret. Sed insalubri caelo, torridaque anni tempestate cum letalem morbum contraxisset, statim se Venetias recepit; ubi, nulla medicorum ope morbo umquam remisso, decessit eodem anno XIIII. kal. sept. Verum in anno recensendo, quo *Contarenus* exstinctus, non *Tomasini* quidem, sed operarum erratum puto: neque enim 1617. sed 1619. legendum existimo. Namque primum cum *Lollinus* iis epistolis, quae pag. 206. & 207. leguntur, cum ipso agat de *Lacrymis* a se editis in *Mauroceni* funere; constat eumdem *Mauroceno*, qui non nisi anno 1618. obiit, superstitem fuisse. Praeterea haec excerpsi ex *necrologio* ecclesiae sancti Benedicti Venetiarum. 1619. *adi* 19. *agosto*. *L' Eccellentiss. Sig.* Vicenzo Contariui, *q.* Alvise, *d'anni* 49. *ammalato già giorni dieci di febre maligna*, &c. In eadem sanbenedictina ecclesia tumulatus pariter fuit *Contarenus*. Praeter relatas ad ipsum *Lollini* epistolas, alia etiam exstat pag. 108. qua *Contareno* Pola ex Istria reditum gratulatur.

(d) *ut Scaligeros & Lipsios*, &c.) *Tomasinus* affirmat, tantam fuisse *Contareno* eruditionem, ut vulgo *Italiae Lipsius* appellaretur. Lipsii tamen illum adversarium potius quam imitatorem dixerim. In opere quod edidit *Variarum lectionum*, frequentius acriusque neminem, quam Lipsium impugnat. *Liber* vero *de frumentaria Romanorum largitione*, & *de militari Romanorum stipendio commentarius*, ut Lipsio contradiceret, editi sunt, cum ita civem suum *Petrum Bembum* ulturum se profiteatur. Alium similis argumenti libellum paraverat in Lipsium, quem inscripserat *de Romanorum re nummaria*. Exstat in *Maurocena* bibliotheca manu descriptus, quem si exorari se sineret nobilissimus & praestantissimus *Georgius Cornelius*, monumentorum literariorum *Maurocenae* domus heres dignissimus, ut ex iis tenebris emittere liceret in lucem, cum optime de literatis hominibus mereretur, tum uberrimum laudis fructum suo nomini compararet.

(e) Laurentium *quoque* Pignorium, *&* Martinum Sandellium Contareno *conjunctissimos*) Vigesimam primam *Symbolarum epistolicarum Pignorius Andreae Mauroceno* misit, gymnasii Patavini tum Moderatori. Hujus epistolae ille est finis: Sandellius, *&* Contarenus *salvere te jubent*. Vide clarissimorum virorum trigam, qui qua inter se conjuncti erant caritate, eadem *Maurocenum* nostrum prosequebantur.

(f) Laurentium Pignorium) Praeter eam, quam modo laudavimus, Epistolam, alia etiam *Pignorius* sui erga *Maurocenum* amoris dat testimonia. Praest *Lollini Lacrymis Pignorii* epistola, quae tota demortui laudibus, ac suae in eum voluntatis testimoniis referta est. Habes etiam hexametrum carmen ad *Lollinum*, quo *Pignorius* ejus dolorem ob communis amici jacturam levare

*tium* quoque *Pignorium*, & (a) *Martinum Sandellium*, *Contareno* conjunctissimos, & per omnia pares, amore, & veneratione summa prosecutus est.

At non solum doctrina, & amicorum delectus tantum virum apud omnes commendavit plurimum, immo vero, quod aliis summum est, gradus illi fuit. Etenim sic ille modestiam, & gravitatem sermonibus cunctis praesetulit, ut nec mendacium, nec intemperantius dictum, nec fraudem ullam vel joco probare posset, adeoque ab omni verborum obscoenitate temperaret, ut Vestalibus arbitris loqui crederes. Neque vero sermone solum, sed omni etiam vita pietatem supra quam dici possit egregie coluit; at solidam, sinceram, omninoque nudam; non contractione frontis, obtorta cervice, & gravi supercilio arcessitam; non fictam, & incessu, & motu, blandaque oratione ad hominum opiniones captandas simulate compositam: cum versipelles illos odio vatiniano prosequeretur, qui pietate, & religione, quasi nummis adulterinis, simplicibus hominibus fucum facere soliti, proborum virorum nomen sibi conciliant immerito. Ea vero continentia, & temperantia fuit, ut eximias formae pulchritudines, non libidinis, sed abstinentiae, ac virtutis incitamenta crederet: divitias, quas alii munera fortunae vocant, ipse insidias diceret, quas magnanimus vir, & invictus jure quodam suo contemnat, atque despiciat. Magnus enim, excelsusque animus, si immani, & effera habendi siti correptus non fuerit, nullum opulentius, atque praestantius patrimonium habere potest, quam ingentis virtutis, aeternaeque gloriae: at vero si avara febri aestuare coeperit, ut aeger aeque aureo, ac ligneo in lecto male cubat, cum suum morbum continenter ferat: sic nihil refert utrum in divitiis, an in paupertate aegrum animum ponat; suum secum trahit inexplebile desiderium. Omnia contemnere quilibet potest; cuncta possidere nemo. *Andreas* vero cum divitias omnes pro nihilo duceret, divitum etiam elatorum inflatos mores odio

---

vare nitilur; ne hic plura addam de *Pignorii* studio in emendanda illustrandaque *Mauroceni Historia*, quod supra innui; qua de re in epistola ibi laudata ita *Lollinus* ad eumdem scribit: „ Facia, quod istam tuam FIDEM in AMICOS etiam fato functos decet; dum famae *Mauroceni* consulis, PIETATI sedulitatique TUAE multum debiturae. „ Mutuum etiam erga *Pignorium* amorem testatur *Maurocenus* laudibua illis, quibus *Elogium Antonii Prioli*, Principis a *Pignorio* conscriptum prosecutus est. Vide ejus *Opusculorum* paginam postremam, ubi haec occurrunt: „ Salve interim, *Pignori*, pignore quolibet CARIOR, ac pretiosior. „ *Tomasinus* in *Elogiis* inter praecipuos *Pignorii* amicos *Andream Maurocenum* recenset.

(a) & Martinum Sandellium) De *Sandellio* afferre plura non possum quam haec, quae ad calcem exstant operis italici: *Nuovo discorso di Torquato Tasso, nel quale si ha notitia di molti accidenti della sua vita*, &c. *publicato da D.* Martino Sandelli, *Padovano:* prodiit Patavii, ap. Jo. Bapt. Martinum, 1629. in 4. *Ho letto, e copiato io* Martino Sandelli, *Dottore dell' una e l'altra legge*, e Rettore in san Martino di Padova, *il soprascritto Discorso del Sig. Torquato Tasso*, &c. Quam arcte *Andream Sandellius*, *Sandellium Andreas* noster complecteretur, satis liquere puto ex brevi illo, sed elegantissimo elogio, quo *Lollini Lacrymas Sandellius* commendat: ante ipsas *Lacrymas* una cum aliorum lucubrationibus editum est.

Non his tamen solummodo, quos *Crassus* recensuit, ex eruditorum numero, amice usus est *Maurocenus*. Ex ipsius epistolis carissimos illi fuisse colligo *Fabricium ab Aqua pendente*, pagg. 175. 197. 200. *Joannem-Franciscum Mussatum*, pagg. 194. & 205. *Prosperum Alpinum*, pag. 198. cujus etiam filium *Alpinum*, adhuc adolescentem, graviter commendat pag. 234. *Joannem Prevotium*, pagg. 198. 200. 224. 227. 235. 243. *Angelum Grillum*, Casinensem, pag. 207. *Octavium Meninum*, pag. 225. *Alexandrum Syncliticum*, pag. 230. praeter alios quamplurimos, quorum nequaquam extremus fuit, omnium laude dignus, *Fortunius Licetus*.

(a) *aditu*

odio prosecutus, *(a)* aditu facilis, congressu suavis, colloquio perhumanus, nihil unquam aut sermone insolens, aut incessu superbum; sed comitatem, benignitatem, modestiam semper praeseferebat; alacrique vultu, & humanioribus responsis quoslibet vel infimae fortunae homines a se dimittebat; & quod rarum in homine praecipue alto loco nato solet esse, humanitate, ac liberalitate animi facile cunctos superabat. Facere tamen non potuit, quin ardens, & concitatum ingenium ardenti aliquando affectu moveretur, ad iram plus aequo pronus. At si bene calculum ponas, quotus quisque est, qui non moveatur affectu? Iram ille tamen ut sumebat facile, facilius deponebat, omnemque cum ea scabitudinem ex animo sine cicatrice: quod hominem doctum, & vere sapientem non dedecet. Etenim ut incultis, asperisque regionibus diutius nives haerent; plano solo statim elabuntur: sic in pectoribus humanis feras mentes ira longius obsidet, eruditas praeterlabitur. Nec aliud est in omni *Andreae* privata vita, quod aliquam vel ab iniquo rerum aestimatore reprehensionem mereri possit, licet diligentissima indagatione cuncta perquirere a domesticis voluerimus: *tecti* namque *ad alienos esse possumus, intimi multo apertiora videant, necesse est. Cic.* At ille viam ingressus, quam praeclare Socrates ad gloriam proximam, & veluti compendiariam dicebat esse, ut qualis haberi vellet, talis esset; ab ea numquam recessit, eamdemque semper vitae rationem constanter secutus, idem semper & alienis, & intimis, vir probus pariter, & doctus non magis visus est, quam reapse fuit. Hactenus quae domesticum ejus studium, & privatam vitam exornarunt, exiliter quidem, & jejune, sed vere, atque fideliter scripsimus. Reliquum modo est, ut quae in Republica gesserit videamus, quo tantum virum posteritas omnis religiosa cum veneratione jure merito colat.

Cum igitur adolescens *Mauroceнus*, non minori probitatis, quam eruditionis fama clarus, veluti lenocinio quodam virtutis, & bonarum artium cunctis ordinibus commendatus, ac probatus esset, & praestantioris ingenii dotibus ad laudem emineret; vix togam virilem sumpserat, comitiorumque jure potitus erat, cum vigesimo aetatis anno, qui fuit M.D.LXXVIII. *(b)* VIII idus julii magistratus ei magno suffragiorum consensu delatus est ex iis, qui adolescentibus patriciis committi solent. Hi venumdandis pignoribus triumviri, de jure etiam congrui in urbe sententias ferunt, contractus omnes examinant, quosque ex legum praescripto celebratos cognoverint, iis, ut ratis, subscribunt. Creditoribus suffragantur, ut quae facile auferri, aut abscondi possint, res debitoris, eas magistratus interdicto remorari, ac sistere valeant. Quicumque vero testibus aliquid probare voluerit, ut veritas omni tempore constare, ipse autem ubique eorum testimonio uti queat, apud hos praecipue IIIviros testes illos producit: qui cum ad perpetuam actorum memoriam examinari dicantur, ex ea re praesertim his judicibus *Examinatorum* nomen merito fuit inditum; quorum tribunal inter ea, quae divi Marci Cu-

---

„ (a) *aditu facilis*, &c.) Pariter in sua panegyri *Palazzolus*. „ Ille vero sic omnibus se „ dabat ordinibus, sic vultum componebat, ut nemo esset, qui non vel humanitate captus, „ vel oratione devinctus abiret. „

(b) VIII. *idus julii*) Pridie. nonas julii, non autem VIII. idus contigit. Porro quae spectant ad magistratus *Mauroceno* delatos, omnia attenta cura ex monumentis iis collegi, quibus designati majoribus minoribusque comitiis per annos & dies magistratus summa fide digesti sunt. Horum mihi copiam fecere viri patricii, cum generis nobilitate, tum maxime egregiis virtutibus clarissimi *Bernardus Bembus*, Jacobi filius, & *Joannes-Baptista Venerius*, Sebastiani filius.

(a) *in*

*Curias* appellant, numeratur. Hoc igitur in munere cum *Andreas* intelligeret se Principis in cognoscendo personam gerere oportere, & publicam dignitatem sustinere, servare leges, & fidei suae commissa munia non meminisse modo, sed etiam exactissime obire; diligentia singulari tribunal primus occupabat, postremus deserebat, quo nemo studium, atque ejus operam desiderare posset. Quodque mirifice gloriam ejus, & famam apud omnes auxit, pro magistratus ipsius dignitate, ac jurisdictione praeclaram occasionem nactus, gravem & luculentam in XLvirali concilio orationem habuit, ejusque modi virum in jure dicundo se praebuit, quo nemo modestia, nemo aequitate, aut dignitate potior haberetur.

Cum vero primum per aetatem sibi fuit integrum, ardenti laudis studio, & communis consuetudinis impetu candidatus effectus, ingenti civitatis applausu, ac Senatorum fere cunctis suffragiis *ordinum Sapiens* est creatus. Is fuit annus M. D. LXXXIII. XV. kal. aprilis. *Ordinum Sapientes* vocamus quinque nobilissimos juvenes, qui non ante XXV. aetatis annum transactum, & non nisi senatorum suffragiis eliguntur, ut in excelso atque supremo Ducis collegio sex continuis mensibus intersint iis omnibus, quae in tanta Republica videntur consultatione indigere, suamque dicendi sententiam, tuendique jus habeant: praecipue de iis ad *Collegium*, atque Senatum referant, quae ad maritimam Reipublicae ditionem pertinent, unde *Sapientes maris* olim dicebantur. Hic aditus est ad ostendendam virtutem, & gloriam parandam, cum in praeclarissima frequentis Senatus luce, quod imitari debeant juvenes diu audire possint, & suimet etiam in dicendo periculum facere necessario debeant, ut non solum adolescentibus in celeberrimo illo totius orbis terrarum consessu, qua discendo, qua dicendo civilem prudentiam adipisci liceat; sed seniores etiam, longeque prudentissimi Senatores illustrium juvenum quasi delectum habere possint, & ex eo numero quoscumque aptiores viderint, designare: ut Senatus mihi horum juvenum academia quaedam, & gymnasium; hi vero juvenes Reipublicae initium quoddam, & quasi seminarium Senatus esse videantur. In horum igitur numerum cooptatus *Andreas*, vultu, sermone, sententia, expeditoque consilio supra quam dici possit admirabilis, totum se, quantus erat, brevi tempore explicuit; atque id eximiae suae virtutis specimen dedit, quo non magnam modo de se famam, & opinionem fecit; sed concitatam quam maximam expectationem visus est etiam longo intervallo superasse. Etenim in agendo, tractandisque hominum ingeniis jam tum senilis quaedam in eo maturitas apparebat; nec in magnis, arduisque negotiis capessendis alacritas, nec in gerendis consilium deesse comperiebatur.

Vix autem magno, atque amplissimo munere pro aetate perfunctus, cum gravissima etiam de capite, fortunisque hominum judicia intus, ut ajunt, & penitus in cute statuisset cognoscere, atque ita in civem perfectissimum, & numeris omnibus absolutum judicem evadere, VIII. idus novembris ejusdem anni XLvir creatus est, ut, quam prudentia, & eloquentia, atque doctrina sibi comparaverat, in praeclaro quoque gravitatis, & justitiae studio famam, nec frustra, quaereret. Habent, quaecumque in forensem controversiam vocari possunt, singula proprios judices suos, a quibus tamen omnibus ad collegia, conciliaque iis destinata provocare licet. Haec Quadragintaviralia sunt numero tria. Ad primum sententiarum fere omnium, quae quingentorum aureorum summam excedunt, quaeque ab urbanis magistratibus feruntur, aut ab iis, qui in suburbanis, *ducatus* nomine appellatis, jus dicunt

cunt, provocatio spectat, quod *civile vetus* vocatur. Referuntur ad alterum quae in cuncta Reipublicae ditione terra marique judicantur, si eamdem vim aureorum quingentorum superaverint. Hoc *civile novum* appellant. Tertium vero de iis cognoscit praecipue, quae crimina attingunt, ideoque capitale, vulgo *criminale* dicitur. Horum omnium conciliorum insignis est autoritas, atque in judiciis exercendis integritas, & sapientia singularis. Reipublicae vero dignitatem, & majestatem excelso throno, in quo consident sui cujusque concilii praesides, quos *Capita* vocant, sententiarumque autoritate repraesentant. Contra eas namque, si ratae, atque ex legum praescripto latae fuerint, ne hiscere quidem cuiquam fas est; & quidquam sanctius, atque augustius in tota Reipublicae administratione vix existimatur. Hisce in conciliis, qui extra ordinem suffecti non fuerint in aliorum locum, biennium agere summum possunt, cum post octo menses XLviri, qui *civiles novi* vocantur, in *civile vetus* continuo transeant; tandemque post menses totidem XLviri capitales evadant. Hisce vero & Senatus ingrediendi, ac in eo ferendi suffragii, quod praeclarum inprimis, & eximium habetur, jus datur. Neque tamen haec ipsa concilia cuiquam quo minus alios ad magistratus provehatur, impedimento esse possunt, antequam in capitale concilium cooptetur.

*Andreas* ergo primum (*a*) in *civile vetus* adscitus, cum justi, & aequi tenax periculo facto ostendisset, se doctrina quidem, & facundia in paucissimis esse; virtute vero, & integritate supra ceteros eminere, octo dumtaxat mensibus elapsis, (*b*) IIIvir *Auditor novus* sententiarum renuntiatus est; honestissimum sane munus, & quod ego inter Reipublicae maxima haud iniuria posuerim. Etenim quicumque in Reipublicae provincia qualibet judicantur, ad IIIviros *Auditores novos* provocare possunt, sicuti ab urbanis magistratibus ad *veteres Auditores* totidem: quibus omnibus aut provocantem a se rejicere, aut adeundi suos XLviros copiam facere est integrum. Cuicumque etiam est opus *Auditorum* auxilium, literas ab iis flagitat, facileque impetrat, per quas magistratibus universis in provinciis mandant, quidquid justum, & legibus atque juri consentaneum videtur. Quod sicuti immensi, ac prope infiniti est operis; ita justum cum primis, & salutarem, sed prudentem, atque etiam peritum judicem requirit; idque eo magis, quod unius tantum sententia aut provocationem, aut literas ratas habet, quamvis alii collegae omnino dissentiant. Hoc sane in munere *Maurocenus* praeclare ostendit, neminem aut justius, quam gravem virum, aut prudentius, quam doctum imperare posse. Etenim grato, ac pleno dignitatis aspectu summa aequitate jus dicere, tueri ab injuria infirmos; facile cuicumque, datis literis, opem ferre; facilius, ubi magistratui, ut solet, verba data cognosceret, auferre suffragium: uno verbo magistratum illum ita gerere, ut propter hoc ipsum valde celebre, & memorabile nomen ejusdem in foro adhuc vigeat.

Obtinuit etiam dignitates ex earum numero, quae annuos Reipublicae fructus curare consueverunt; quaeque ad publicas impensas faciendas attributae sunt, ut nullum prorsus extiterit muneris in civitate genus, quod non obivisse, aut

(a) *in civile vetus adscitus*) Immo in *civile novum* adscitum fuisse invenio in citatis comitiorum commentariis.

(b) III*vir Auditor novus renunciatus est*) Nimirum anno 1584. postridie nonas jul.

(a) *Pro-*

aut non attigisse saltem videretur. (*a*) *Provisor* itaque, ut ajunt, *officiis* praefectus anno M.D.LXXXIX. & M.D.XCI. (*b*) *Rationibus*, ut dicunt, *veteribus*; iis in magistratibus publicas res tractavit, ut suas, manus ab ipsis, ut ab alienis, abstinuit: ubi vero ex legum praescripto pecunia quaedam pro rata portione, ut fit, illi obveniebat ex iis, quae vel a tardis nominibus, vel ab aliis inflictae poenae nomine exiguntur, donabat lubens fere cunctis quidquid sibi obtigisset: cum veram virtutis vim esse diceret non solum illicitis, sed licitis etiam in rebus liberam se, & invictam praestare, nec ullo publico quaestu commisceri.

Sic virtutis commendatione verius, quam suffragiis elatus, cum novos semper honores, & majora praemia perpetuis in Rempublicam officiis suis promereretur, anno M.D.XCIII. prid. kal. (*c*) aprilis creatus est IIIvir *Advocator communis*: cujus ampla, & permagna Venetiis potestas, & dignitas, quippe cui universa prope Respublica permittitur. Jus ille dicit sive ex crimine causa constet falsi, perjurii, & eorum, quae vi, clam, ac dolo malo aguntur; sive ex controversia de iis, quae Princeps benemerentibus civibus elargiri solet. Reorum quaestionibus praeest, contra quos etiam apud XLviralia concilia causas agit. Ad eum provocant quicumque in Reipublicae ditione, atque in ipsa urbe judicia criminum, aut magnarum rerum contra se lata injusta, aut irrita arbitrantur. Collegia quotquot sunt in Republica, et iam sanctiora, ingreditur, atque egreditur, pro voluntatis arbitrio. Senatus consultis, & Xvirum decretis, legibus omnibus, cum libet, quasi tribunicia potestate intercedit. Quaeque *Auditor* civilibus in controversiis, eadem *Advocator* in criminibus jure suo agit. Quod autem peramplum, & honestissimum est, quaecumque judicem proprium habere non videntur, aut magnam quamdam autoritatem praecipue requirunt, ad ipsos IIIviros *Advocatores* deferuntur, qui purpurea, vereque senatoria toga, incessu, & majestate tantae Reipublicae decus, & publicam dignitatem sustinent, nec non praeseferunt. Ad hoc igitur munus praeclarissimum *Maurocenus* cum eximiam eruditae facundiae laudem, firmissima latera, & gestum oris decorum attulisset, ex historiarum, & civilis doctrinae cognitione singularem orationibus gratiam, & venerem adjungebat. (*d*) Quod vero summae prudentiae fuit, ingenitaeque probitatis, iniquioris causae nunquam defensor, tanto nativi sermonis candore Patrum animos demulcebat, ut eos in quam vellet partem facile pertraheret; quippe qui tam acri, quam solitus erat, oratione, quamvis non contenderet, autoritate tamen ipsa vehementer promoveret, ac fide. Dicebat vero forensi stylo, copiose, ac dilucide, & lingua celeri admodum, ac volubili; sed partite, distincte, necnon verbis propriis ut magnam eloquentiae suae famam egregie sustineret, & augeret in dies, ac majorem faceret; negotiumque nullum fere susciperet, quod non ad opta-

d 2 tum

(a) *Provisor officiis*) VIII. kal. quinctil. anno 1589.

(b) *Rationibus veteribus*) Idibus dec. 1591.

(c) *prid. kal. aprilis*, &c.) *Mauroceno* gravissimus hic magistratus demandatus est pridie kal. mart. non autem april. anno 1594. qui more Veneto adhuc erat 1593. Ita comitiorum ejus anni commentarius.

(d) *Quod vero summae prudentiae*, &c.) Qualem se in hoc magistratu gesserit *Maurocenus*, declarat ejus laudator *Palazzollus*. „ Hunc magistratum, qui justitiae fundamentum est, „ sic administravit ac gessit, ut tam benignum, quam justum & probi, & improbi experirentur. Non illum illitus argento hamus cepit: non opertus laqueus praeda irretivit: non dignitas, non munera illum, non dicam frangere, sed ne flectere unquam potuit a recto, &c. „

(a) *In-*

tum finem, exitumque sua facundia perduceret. Porro admirabili severitatis, & clementiae temperamento justitiam coluit; in proditores acerrimus, cum in reliquis criminibus puniendis exorabilem se, lenemque facile praeberet. Collegarum munia rogatus obsequio verius, quam ambitione adductus minime refugere, facilitate, & suavitate morum aequales allicere, inferioribus, ac egentibus praesto esse consueverat. In foro autem, ubi aliquando simplicitas calliditate, pudor impudentia, facundia verbositate, & veritas mendacio vincitur, aures ipse omnibus, nemo ipsi verba dare poterat. Ex hoc itaque munere veluti gradu facto, cum honores summos, tum quae summos parit honores, incredibilem benevolentiam sibi civium omnium peperit.

Quapropter statim (*a*) inter *Sapientes* adscitus fuit, quos *continentis* appellant, ex eorum numero, quibus Reipublicae gubernacula committuntur. Hi namque in excelso Ducis *Collegio* consultant omnia, praecipue vero quae milites attingunt, & Reipublicae ditionem in continente, unde eis nomen inditum: leges quoque in Senatu rogant, & alia simul amplissima munera obire solent. Horum in collegium adhibitus *Andreas*, concitatum illud, & forense orationis genus, quo IIIvir *Advocator* usus fuerat, mirum quantum immutavit. Etenim cum nihil vulgare, aut exiguum agitaret animo, senatoriam indutus gravitatem, non rerum tumore, & sententiarum vanissimo strepitu, non mellitis verborum globulis, dictisque quasi papavere, & sesamo sparsis; sed gravi, solida, & maxime nervosa oratione exactae prudentiae, atque senatoriae facundiae nomen consecutus est: cum nullus omnium vel suavi, blandoque sermonis genere alliciendis animis, vel concitato verborum fulgure perterrendis efficacior, atque vehementior existimaretur. Nihil autem antiquius unquam duxit, quam in rebus tractandis eam fidem, & animi fortitudinem egregie tueri, quae a boni civis officio, constantique erga Rempublicam studio neutiquam recederet. Quo factum est, ut cum arduum valde sit hominum expectationi jam excitatae semper respondere; semper ille tamen, ut in ceteris fecerat dignitatibus, hominum de se opinionem facillime superaret: gratissima vero patria tanti viri spem in honoribus tribuendis vinceret, cum ei non solum (*b*) tres continuos annos per vices idem munus permitteret; sed etiam (*c*) IIIvirum *Advocatorem*, (*d*) non petentem, sed ne cogitantem quidem, iterum crearet; (*e*) eodemque anno, qui fuit M.D.XCVII. quod ejus praecipua in excelso collegio egeret opera, optaret (*f*) quartum *continentis Sapientem*, moxque insequentibus annis tam frequenter,

(a) *Inter Sapientes adscitus fuit, quos continentis appellant*) Anno 1595. XII. kal. april. primum inter *continentis Sapientes Andreas* cooptatus est.

(b) *tres continuos annos*, &c.) Idem etiam munus *Mauroceno* Senatus detulit iterum anno 1596. V. kal. april. tertium autem anno 1597. pridie easdem kalendas.

(c) III*virum Advocatorem . . . iterum crearet.*) Iterum creatus est IIIvir *Advocator* anno 1597. VII. kal. nov.

(d) *non petentem*, &c.) „ Huic (nempe *Sapientum* eorum muneri, qui continentem mo-„ derantur) tanta fide, vigilantia, integritate, sapientia praefuit, ut legum denuo *Tribu*-„ *num* creaverint NON PRENSANTEM, NON PETENTEM. „ *Palazz. in Paneg.*

(e) *eodemque anno*, &c.) Anno 1597. tertium adscitus inter *Sapientes continentis Maurocenus*, ut diximus, non quartum. Ita ex comitiorum commentariis.

(f) *quartum continentis Sapientem*, &c.) Quartum igitur hoc munere perfunctus est anno 1599. cum pridie kal. apr. renunciatus esset.

(a) *ut*

ter, (*a*) ut denique undecimum, quod perpaucis accidere ſolet, coactus fuerit capeſſere hanc partem Reipublicae.

Anno tamen M.DC. VIII. kal. octobris, (*b*) in Senatum lectus eſt, cum praeclariſſimorum in *Maurocena* gente civium ob ingentem numerum, qui ad ſenatoriam dignitatem pro meritis aſpirat, difficillimum ſemper fuerit, maximeque operoſum in eum gradum conſcendere. Cautum enim legibus eſt, ne plures quinque ex eadem gente in Senatum legantur. Quamobrem cum multae familiae, plurimique lectiſſimi viri e *Maurocena* gente tamquam ex equo Trojano prodeant, ipſa virtutis, & meritorum copia difficilem ſibimet ipſis reddunt ad Senatum aditum: quem tamen *Andreas* ipſe facillimum habuit, cum ſenatoriam prudentiam ſingularem, praecellentis doctrinae praeſidio, & multo rerum uſu conſtitutam gereret, magnique animi, & praeſtantis ingenii documenta quotidie daret, quae gratiam illi apud omnes conciliarent propter egregiam opinionem, admirationemque virtutis.

Ad ſupremum itaque honeſtiſſimae famae decus, & incredibilem autoritatem evaſit in graviſſimis rebus; cumque inter principes viros jure quodam ſuo cenſeretur, (*c*) eam obtinuit brevi dignitatem, quae inter primas Reipublicae habetur ab omnibus, nec minus re, quam nomine magna *Magni Sapientis* nomine deſignatur. Hi pariter atque ii, quos *Ordinum* & *Continentis* vocari diximus, Senatorum ſuffragiis eliguntur; ſed numero ſex, & vero ex iis, qui in Senatu ipſo principem locum obtinent, longoque rerum uſu, & maximis in Rempublicam meritis ceteros omnes multum poſt ſe reliquerunt. His ipſis, ubi tantam dignitatem ſemel adepti fuerint, (*d*) ſenatoriam veſtem nunquam deponere fas eſt, quod etiam *Conſiliariis* contingit inter eos

---

(a) *ut denique undecimum*, &c.) Siquidem inter *continentis Sapientes* cooptatus etiam eſt annis 1600. V. kal. apr. 1601. prid. kal. apr. 1602. III. ante eaſdem kalendas; 1603. prid. kal. jul. eademque pariter die annis 1604. 1605. ac demum VI. kal. ſept. anno 1607.

(b) *in Senatum lectus eſt*) Terdecies in Senatum lectus eſt *Maurocenus*, ut teſtantur citati ſaepius commentarii; eum per alios annos ampliſſimorum magiſtratuum, quos gerebat, cauſſa in Senatum nihilominus cum ſuffragii jure admitteretur.

(c) *eam obtinuit dignitatem, quae ... Magni Sapientis nomine deſignatur.*) *Magni Sapientis*, quem etiam *Sapientem conſilii* vocamus, ampliſſima dignitas primum delata eſt *Mauroceno* anno 1605. poſtridie kal. oct.

(d) *Senatoriam veſtem nunquam deponere fas eſt*) *Andreae* noſtri aetate conſuetudo adhuc illa Venetiis obtinebat, ut qui ſemel *Conſilii Sapiens* aut *Conſiliarius* fuiſſet, praeterea qui equeſtris ordinis inſignia conſecuti eſſent, totius vitae tempore veſtem laxis, & ad terram fluentibus manicis geſtarent, quam *ducalem* vocant, ideo fortaſſe, quod taliter manicatam veſtem primum ſoli *Duci* ferre mos fuit. Quam plurimi propterea ex patriciis erant, qui ita induti incedebant. Anno itaque M. DC. XXXVI. *Andrea Mauroceno*, *Paulli*, qui *Andreae* noſtro frater erat, filio, ac Antonio Venerio, *Conſiliariis*, nec non Joanne-Baptiſta Fuſcareno, ac Joanne Cernovicchio, qui inter quadragintaviralis conſilii *Capita* erant, referentibus, *Majus Conſilium* juſſit, ne cui per totum vitae tempus *ducalem* veſtem indui, praeterquam aedis ſancti Marci Procuratoribus, Principis fratri, ejuſve filio natu maximo, ac Magno Cancellario, liceret: ceteri, abdicato magiſtratu, laxioribus etiam manicis veſtem, quae magiſtratus inſigne eſt, exuerent. Equitibus interiores veſtes purpurei coloris, communi tamen aliis patriciis toga ſuperinducta, togae vero praecingendae zonam auro praetextam, aureiſque bullis, auro quoque praetextam *ſtolam* geſtare, permiſſum eſſet: *ſtolam* vocamus vulgo, patriciae veſtis brevem appendicem duabus ferme ulnis longam, dimidia latam, non illi quidem aſſutam, ſed dividuam, quae expaſſa ex capite, cui tegendo antiquitus, ut narrant, cucullus erat, in ſiniſtrum humerum dejecta eſt. Hanc auro praetextam, ordinis inſigne, noſtris etiam temporibus Equites ferunt; veſtium purpurearum uſu interjectis temporibus ſponte ſua intercidit, abrogante nemine. Id memorant *Baptiſta Nanius Hiſtoriae Reipublicae Venetae* tomo priore, & *Alexander Vianolus Hiſtoriae Venetae* parte altera, ad annum 1636. Qui inſuper narrant, mitius cenſuiſſe,

eos magistratus, qui certo temporis spatio definiri solent; ex iis autem, qui perpetuam obtinent dignitatem, *Procuratoribus* divi Marci, Equitumque ordini conceditur; praeterea nemini. Senos hi menses, ut *Sapientes* alii, munus obeunt; quod si recte, atque e republica sapienter gesserint, iterum, ac saepius per vices idem, sed electi, subeunt. *Andreas* vero cum anno M.DC.V. V. idus octobris ad excelsam hanc dignitatem pervenisset, eamdem etiam posterioribus annis, dum sapientissimi, atque prudentissimi civis opera Respublica egeret, usque ad annum M. DC. XVII. *(a)* undecimum summa cum laude consecutus est, tanto Reipub. fructu, & cunctorum Senatorum applausu, ut supremis vitae suae temporibus, cum semestre tantae dignitati obeundae spatium legibus definitum esset, totidemque intervallum mensium expectandum foret, ne tamen hujus viri exacta prudentia, & spectata virtus in excelso Collegio tamdiu desideraretur, id consilii a sapientissimis viris initum fuerit, *(b)* quo *Sapiens continenti* praefectus eligeretur: titulo quidem infra *Magnos Sapientes*; re tamen ipsa, si publicum spectetur judicium, supra eximias quasque dignitates. Atque ita, quod perpaucis admodum contingere consuevit, bonorum omnium consensu *Mauroceno* tributum est, ut non per vices, quemadmodum cives alii solent; sed continuo, & sine ulla intermissione, suam operam praestaret Reipublicae.

Qua de causa *(c)* *Consiliarius* etiam anno M. DC. X. dictus est. Quod munus, ut relinqueret aliis locum, amplius non quaesivit. Verumtamen XXIV. continuos annos, qua *Continentis*, qua *Magnus Sapiens* & *Consiliarius* in purpura semper, cui tantis virtutibus splendorem addebat non vulgarem, ad Reipublicae clavum conspicuus resedit, ne quam officii intermissionem facere, aut pati videretur.

Tanta vero floruit sapientiae opinione, ut non modo cunctorum belli, pacisque consiliorum particeps, quae dignitatis, & honoris illius partes erant; sed saepius quoque autor, gravissima quaeque Reipublicae negotia summa cum gloria tractaret, ac prospere conficeret. Cum vero tantam dignitatis accessionem sibi factam perspiceret, vir suavi quadam comitate cunctis ordinibus semper carus, nescio quomodo benignitatem quoque auxisse visus est; ut egregia quadam ratione modestiam cum animo praecelso, cum mansuetudine majestatem temperaret, & raram faceret gravitas cum humanitate mixturam, nullique difficilem, aut morosum unquam se praeberet; immo vultus alacritate, & blandi sermonis efficacia eos etiam, qui repulsam patiebantur, laetos a se dimitteret. Quamobrem saepius idem stadium percucurrit, repetitis, ut fieri solet, ejusdem honoris vicibus, in quo sibi ipsi tamquam

---

fuisse, ipsum Reipublicae Principem Franciscum Ericium; Franciscum Basadonnam, Joannem Pisanum, Dominicum Ruzzinum *Consiliarios*; ac Franciscum Barbadicum, ex quadragintaviralis consilii *Capitibus*; eosque *Majori Consilio* nequidquam auctores fuisse, ne se rogari, nisi lenita nimis invidiosae legis severitate pateretur; latae vero contra eorum sententiam legi intercedere etiam frustra conatos esse *Advocatores communis*, ut appellant, Hieronymos Trivisanum ac Pisaurum, ac Marinum Bragadinum.

(a) *undecimum consecutus est*) Accipe temporum seriem, quibus deinceps hac tanti in Republica momenti dignitate ornatus est *Andreas* noster. 1606. IIII. kal. oct. 1608. XVII. kal: maj. 1609. III. kal. apr. 1611. III. non. dec. 1613. prid. kal. jan. 1614. 1615. eadem die; 1616. V. kal. jan. 1617. III. ante easdem kalendas.

(b) *quo Sapiens continenti praefectus eligeretur.*) Incidit hoc in diem VI. ante kal. sept. anno 1617. ut supra innuimus.

(c) *Consiliarius anno* M. D. X.) XI. kal. sept.

(a) *Xvi-*

quam alteri aemulabatur, quaedamque rerum gestarum ad gerenda contentio fieri videbatur; cum melior semper prudentiorque haberetur consultor, cum etiam prudentiorem, ac meliorem omnino fieri non posse crederes, & virtutis clarissimae admirationem verteret in stuporem. Siquidem ita cuncta praedicere videbatur, ut qui prudentissimum vocaret, minus diceret, quam deberet, quamque veritas ferret. Quae autem fuerint acta in gravissimo, atque celeberrimo illo orbis terrae Senatu, totis XXIV. annis, quibus *Maurocenus* eidem praefuit verius, quam interfuit, *Historia* ab eodem elegantissime perscripta satis superque declarat. Quam vero ipse partem iis in rebus secutus fuerit, cum ipse nusquam in animum suum induxerit, quas frequenter habuit gravissimas, & celeberrimas conciones, in vulgus dare; sed alios potius, eosdemque sapientissimos Senatores placitorum suorum fecerit autores; non mihi videtur aequum modo ea particulatim narrare, quae ille ne verbo quidem annuere voluerit. Detur igitur sapientissimi Senatoris aut modestiae, aut prudentiae, aut certe non dubiae voluntati, quod cum ipse actorum fere omnium consultor fuerit, nescire tamen posteritas ex *Historia* illius valeat, quam in partem propenderit, & sententiam dixerit: illud certo sciant omnes, nihil unquam illi sanctius Reipublicae dignitate fuisse; omnia duxisse libertate posteriora. Honores quippe satis tempestive adeptus, iisdem semper artibus exercuit, quibus adeptus erat per omnes gradus ascendens; quo vero celsiore loco viri egregii posita fuit & virtus, & pietas; eo etiam clarius, & splendidius in Republica enituit, dum ille *Sapiens magnus*, & *Consiliarius*, qui duo magistratus amplissimi omnium, atque summi habentur, in excelso Collegio, tamquam in specula collocatus, quam longissime prospicere, Remque publicam sua vigilantia, ac pietate ab omni perturbatione vacuam reddere sui muneris esse judicaret.

Magnum, est in Republica nostra, ac fortasse omnium maximum (a) Xvirum Concilium, in quo una cum Xviris Princeps ipse, atque seni *Consiliarii* Principi assidentes, non modo in atrocioribus criminibus jus dicunt; sed etiam quaecumque ad Reipublicae quietem spectare maxime videntur, autoritate vere suprema decernunt, ac sanciunt. Scribas Reipublicae a secretis ex altero eodemque honestissimo civium ordine cunctos creant. Patriciorum cujusvis generis omnes culpae ab ipsis praecipue & cognoscuntur, & plectuntur. Quod si cives regere, quam hostes vincere praeclarius est, atque habetur, majorem profecto gloriam sanctissimis legibus, & judiciis, quam classium, aut exercituum imperatores partis victoriis, parare sibi Decemviros credendum est. *Maurocenus* autem hoc in concilio non unam, aut alteram; sed leges Decemvirum omnes ex concilii totius consulto, una cum Francisco Contareno, Equite, ac divi Marci Procuratore sapientissimo, atque clarissimo Senatore, digessit, composuit, ac e tenebris ferme, & squalore in lucem restituit; magnumque illud opus permagni usus, atque fructus tantis Senatoribus debet ferre acceptum Respublica. In judiciis vero cum magis ad lenitatem, quam ad severitatem natura propensus esset; severior tamen judex existimabatur. Res enim publicas duabus praecipue rebus contineri, praemio, & poena frequenter in ore habebat: proinde neque rationi, neque justitiae convenire magnum illud Xvirum concilium, quod gravissima tan-

(a) *Xvirum Concilium*, &c.) *Maurocenus* ter in sanctissimum Xvirum Collegium allectus est: primum scilicet anno 1606. III. non. dec. iterum anno 1615. X. kal. sept. tertium 1617. VIII. id. sext.

(a) *Crean-*

tantum, ac atrocissima quaeque delicta punire solet, ad humanitatem, & indulgentiam traducere: cum magna scelerum facinora non solum ad poenam, sed multo magis ad exemplum, atque adeo metum conspicuis, atrocibusque suppliciis ex usu Reipublicae debeant jure vindicari. Non tamen ipsi, quod aliis fere semper contingit, severa virtus vel comparavit pro laude probrum, vel odium, aut invidiam peperit pro gratia: immo vero, quod arduum apud mortales in primis accidit, cum summa gloria benevolentiam quamdam singularem, omniumque civium studia numquam non conciliavit. Sciebant enim omnes, integerrimum virum delicta cuncta non odio dumtaxat habere, sed acerbe etiam castiganda, & coercenda ducere; nihilominus quosque reos, ac sontes acerbo cum animi sensu fere invitum punire.

Multas praeterea, easdemque maximas dignitates obtinuit, quas nimis longum esset singulas referre, sic omnes honorum ordines, & gradus emensus, ut in dies majori laude cumulatus ad majora conscenderet. *(a)* Creantur, cum Princeps diem obiit, emendandis, si quid opus est, legibus Vviri, qui

---

(a) *Creantur emendandis legibus Vviri.*) Trium diversorum magistratuum hic, & insequenti oratione mentio fit a *Crasso*, quorum inter se discimen paucis juvat subjicere. Primus, qui paullo post initum novi Ducis principatum, non autem *cum Princeps diem obiit*, creatur, Vvirum est *legibus corrigendis*. Eorum munus satis lucide hic *Crassus* exponit. Alter est *Ducis promissioni corrigendae*. Vviri pariter gerunt, ii vero statim a Ducis obitu, interregni tempore creati; qui leges ad Ducem spectantes emendat, ipsas abrogantes, derogantes, subrogantes, ut opus videtur: quas servaturum se quoniam Dux recens salutatus, jurejurando interposito, *promittit*, iisdem *promissio ducalis* nomen vulgo est factum. Vviri autem officio perfuncti, magistratu se se abdicant. Tertius IIIvirum est *Quaesitorum*: vulgus *Inquisitores* dicit. Interregni tempore & hi creantur. Eorum muneris est, in vitam demortui Principis *inquirere*, ac de servata *promissione* cognoscere. Hinc aliquando contigit, ut multa ejus heredibus irrogaretur. Vide *Franciscum Sansovinum* ad calcem libri XI. descriptionis Venetiarum, vulgo *la Venetia*. Omnes hi magistratus majoribus comitiis, creantur: eorum tamen nullus ulli umquam, praeterquam senatoriis viris, prudentia, morum integritate, summorumque magistratuum administratione clarissimis demandatur.

Exstincto Marco-Antonio Memo Principi *Andreas* IIIvir Quaesitor datus est anno 1615. postridie kal. nov. At *promissioni ducali* corrigendae Vviratum semel iterumque gessit eodem anno 1618. primo post obitum Joannis Bembi XIII. kal. apr. deinde IIII. id maj. post obitum Nicolai Donati creatus.

Iisdem Principibus recens inauguratis, Vvir legibus corrigendis ter *Maurocenus* est delectus. Primum Marco-Antonio Memo principatum gerente, anno 1612. X. kal. jan. Iterum 1616. VI. kal. quinct. Joanne Bembo principatum ineunte. Tertium post Nicolai Donati inaugurationem, 1618. prid. non maj. Eorum quae tertium Vvir gesserit *Maurocenus*, nihil memoriae proditum est. Etenim Donati Principis obitu primum, mox etiam ipsius *Mauroceni*, qui paullo post Antonii Prioli inaugurationem decessit, nihil memorabile fieri potuit. Contra *Mauroceni* collegarumque acta, Principibus Memo ac Bembo, digesta sunt in *Volumine Statutorum, legum, ac jurium DD. Venetorum*, quod prodiit Venetiis, typis Pinellianis, 1665. in 4. pag. 290. & 293. 2. Quin etiam conditarum per ipsum legum, cum primum hoc magistratu functus est, idem meminit in sua Historia, sub exitum anni 1613. „ Domi, ex veteri Reipublicae in-
„ stituto, cum ab inito Marci-Antonii Memi principatu *quinque* instaurandis *corrigendisque le-*
„ *gibus*, majoribus comitiis delecti fuissent: Nicolaus Donatus, Leonardi Ducis frater: A-
„ loysius Georgius: Leonardus Mocenicus: Antonius Grimanus: *Andreas Maurocenus*: ii,
„ inter se consultatione habita, leges de testamentis scripto, vel in procinctu condendis, de-
„ que dotibus solvendis, majoribus comitiis tulere, quibus iniquorum hominum malignitati
& fraudi obviam itum, &c. „

Alium etiam magistratum anno 1605. IIII. kal. apr. Senatus suffragiis delatum *Maurocenus* gessit, custodiae legum praepositus: *legum Conservatorem* dicimus. Alium autem *custodiendis*, alium *corrigendis legibus* magistratum esse, ex ipso nomine apparet: quemadmodum alium esse *corrigendis legibus*, alium *corrigendae promissioni ducali* Vviratum, ex iis quae supra dicta sunt, colligi potest: ille enim, quae ad civitatis universae regimen spectant; hic, quae ad Principis

qui non modo legum vitia corrigere, ut nomen indicat (nam *legum Correctores* vulgo nominantur) sed easdem condere, & antiquare novis rogationibus possunt. Id autem praeclarissime Respublica constitutum habet, ut quotiescumque interregnum accidit, cum leges omnes per sapientissimos illos Vviros excutiantur, tum eae praesertim, quae Ducis personam attingunt, ubi usuvenit, novarum legum rogationibus corrigantur. Aliis autem IIIviris demandatur hoc munus, qui prudentia, & integritate quam maxime polleant. Accedunt etiam IIIviri totidem ejusdem notae, qui in mortui Ducis acta diligenter inquirant; bene atque ex legum praescripto, an secus se gesserit: qui ex eo, quo funguntur, munere *Inquisitores* appellantur: prudenti sane, atque laudabili maxime ratione, cum diu salva consistere non possit Respublica, nisi perpetua in ea legum vigeat autoritas; neque tyrannus unquam exoriri possit, ubi, circumscripta certis legibus potestate, ex earum, & non ex hominum arbitrio universa geruntur. Has dignitates, ut plerasque alias, non sibi semel, sed iterum delatas, ac saepius, nunquam fastidivit, cum nihil ex rebus humanis *Maurocenus* praeclarius, quam de patria benemereri arbitraretur; nullumque ex magnis laboribus perhorresceret, nullum ex parvis se indignum existimaret; sed quodcumque Senatus imponeret oneris, alacri semper, atque lubenti animo perferret.

(a) Patavino quoque gymnasio moderando IIIvir *Reformator*, ut ajunt, frequenter creatus (hic honos eis tantum viris tribui consuevit, qui egregiae doctrinae nomine commendantur, quique autoritatem, & gloriam maximis in Rempublicam meritis consecuti sunt) oblatum munus, per se amplissimum, atque celeberrimum, libentius etiam propterea obire videbatur, quod publice in tanto gymnasio literas profitentes (b) non modo cognoscere poterat eruditos homines, sed promovere, juvare, ac ornare facillime.

e *Pro-*

---

pis auctoritatem respiciunt, leges instaurat & emendat: quod fortasse minus a *Crasso* animadversum est.

(a) *Patavino quoque gymnasio moderando*, &c.) Patavinum gymnasium, universamque rem literariam ter moderatus. Haec provincia primum illi collata anno 1608. V. id. febr. Iterum 1612. IIII. non. aug. Tertium IIII. non. sept. 1616. quem magistratum cum gereret, vita functus est.

(b) *non modo cognoscere poterat eruditos homines, sed promovere*) Quantum ab eruditissimis viris, ex iis praecipue qui in patavino gymnasio publice docebant, *Maurocenus* noster observaretur ac diligeretur, supra memoravimus. Paucis modo quos ille ad ejusdem gymnasii subsellia promoverit, referemus.

Id *Mauroceno* se debuisse vir eruditione plurimisque editis operibus clarissimus *Fortunius Licetus* ipse testatus est, nuncupato ejus nomini opere quod inscribitur: *De his qui diu vivunt sine alimento*. Quod ad grati animi sui significationem a se factum esse professus est idem *Fortunius* libro *de propriorum operum historia*, quem edidit *Patavii*, *typis Paulli Frambotei*, 1634. in 4. hisce verbis „ Dicavi volumen *Andreae Mauroceno*, Senatori Venero, qui pa- „ tavini gymnasii moderator anno M. DC. VIIII. cum collegis Triumviris literariis ME PA- „ TAVINAM AD CATHEDRAM PHILOSOPHIAE primum extra ordinem VOCA- „ VERAT atque traduxerat. „ Toties laudatus Bellunensis Episcopus ita epistolam ad *Licetum* exorsus est, pag. 209. „ Magno non ita pridem reste studii erga te mei, eodemque „ sponsore tui in me amoris, sum privatus *Andrea Mauroceno*, utriusque nostrum cupidissi- „ mo, &c. „

Anno 1617. prid. non. oct. juri canonico horis vespertinis docendo ut praeficeretur, operam dedit, *Alexander Syncliticus*, qui a *Tomasino* dicitur „ vir omni laude dignus, & in- „ ter juris professores primarius, consiliis & voce toto orbe celeberrimus. „ Adi *Lollinianas Epistolas*, pagg. 8. ac 22. nec non *Mauroceni Opuscula* pag. 230.

*Mauroceni* quoque praecipue opera *Joannes Prevotius*, vir doctissimus, quemque ille plurimi faciebat, honestissimo stipendio conductus est, ut *simplicia* in hortis patavinis ostenderet,

*Procuratoriam* , quam vocant , dignitatem , quae , si Principem exceperis, primas obtinet , idcirco non obtinuit , quia nunquam petiit : neque illa solet unquam tribui , nisi candidatis ; nec ipse candidatum profiteri voluit , ab omni ambitione quippe longe remotissimus .

Qui tamen eminentissimum locum occupant , honorum duo gradus , Ducis , & sacri Præsidis , sive Patriarchae ; ii *Mauroceno* utrique haud quaquam petenti , immo ne tale quidquam suspicanti , parum abfuit , quin obtigerint , ultro demandati . (*a*) Etenim anno M. DC. XV. cum in Matthaei Zanis, Patriarchae sanctissimi, locum Venetum de more civem sufficere oporteret ; solerentque Patres Senatorem aliquem designare illustri pietatis , & doctrinae laude celebratum : *Maurocenus* inter ceteros , licet *continentis Sapiens* , neque adhuc maximis illis , ad quas paucis post mensibus pervenit , dignitatibus functus , suffragatorum multorum voluntatem , immo civitatis universae studium in se unus converterat . Ita certabant in eo virtutes omnes tanto fastigio dignae , scientia , facundia , mores integri , & quae primas agit , innocentia vitae , atque in Deum Optimum Maximum pietas singularis . Neque certe illi tantam veluti de manibus eripere dignitatem quispiam praeter eum poterat , qui tum creatus fuit , Franciscus Vendramenus , Senator amplissimus , qui deinde a Paulo V. Pontifice Maximo Cardinalis est dictus .

(*b*) Anno vero M. DC. XVIII. qui postremus ejus vitae annus quoque fuit ; cum in Duce eligendo , qui Joanni Bembo succederet , electores inter se haud facile convenirent , eosque commemorare pergerent , atque nominare , qui etiamsi candidati non flagitabant , tam excelsum tamen honoris apicem merebantur : ipse quoque relatus est facile in eorum numerum , eumque suffragiorum numerum obtinuit , qui virtutem , & maxima in Rempublicam viri merita testaretur , & aeque rerum aestimatori cuique facillime ostenderet : cum ille , audita re , subridens , *Laetari se multum* , diceret , *babuisse Rempublicam non solum Nicolaum Donatum , qui Princeps renunciatus tandem fuerat ; sed alios etiam quamplurimos qui sibi praeferri possent : oportere cives probos nullius ambitionis , sed unius Reipublicae rationem maximam babere , ut dignioribus ceteri semper non gravate concedant , & oblatus etiam magistratus respuatur constanter , si minus rei gerendae nos aptos sentiamus ; atque adeo , si res ita ferat , deponatur omnine,*

---

ret , ut *Tomasinus* affirmat in *Elogiis virorum literis & sapientia illustrium* , cum *Prevotii* elogium affert . „ Viro cl. *Prospero Alpino* jam satis defuncto , *Andreae* potissimum *Mauroce-* „ *ni* consilio horti juxta publici cura , additis LX. florenis , ipsi ( *Prevotio* ) committitur . „ Ex *Mauroceni* epistolis quae exstat pag. 235. ad *Prevotium* data , ipsi hanc novam provinciam demandatam videtur gratulari .

(a) *Etenim anno* M. DC. XV.) Senatus novo Patriarchae in locum Matthaei Zanis creando habitus est V. kal. sept. anno M. DC. V. non autem M. DC. XV. ut *Crassus* narrat ; sed typographi errorem puto . Centum & septem suffragia *Maurocenum* crearunt . Praelatus nihilominus illi est Franciscus Vendramenus , centum triginta tribus suffragiis creatus .

(b) *Anno vero* M. DC. XVIII.) Joanni Bembo exstincto cum Principem suffecturi unus & quadraginta electores convenissent , ea fuere inter Patres certamina , ut quamvis suffragia iniri VIII. kal. april. coepissent , nonis tantum april. subrogato Nicolao Donato , conventus dimissus sit . Quinquies & tricies inita suffragia sunt : clarissimorum procerum nomina calculis subjecta , inter quos *Mauroceni* nostri habita est ratio . Cum enim III. kal. apr. decimotertio suffragia inirentur , primo *Maurocenus* novem suffragiis probatus est : undecim deinde , cum III. non. apr. jam vicesimonono in suffragia iretur ; postea duodecim , cum prid. non. ejusdem mensis fessi certaminibus Patres tricesimoquarto ad suffragia essent vocati . Neque aliud certe tanto Senatori obfuit , quominus Reipublicae Princeps renunciaretur , quam nondum matura supremo magistratui aetas , qui non nisi confecto maximorum honorum curriculo , valde senibus deferri solet .

(a) *cum*

*mino, ut praestantioribus viris, & praecipue senioribus, quippe qui magis idonei videantur, permitti queat.*

At paulo post, (a) cum tot jam annos Reipublicae causa & in excelso collegio labores maximos subiret, & quae incurrere solent, subcisiva tempora perire sine fructu nulla pateretur, sed literarum studiis, & Historiae scribendae daret, (b) sensim debilitatis, ac ingravescente etiam aetate fractis corpusculi viribus, tantis oneribus ferendis diutius par esse non po-



(a) *cum tot jam annos*) Difficile dictu est, quibus quantisque, & quam assiduis curis ea Reipublicae pars administretur, quae ad *Consilii Sapientes* pertinet. *Aloysius Lollinus* datis ad Senatorem nostrum literis, pag. 52. maxime exercitam *Sapientum* vitam ita describit: ,, Occupationes sane vero publicae ἐξαμβλωσίβιυς Castoras vos reddunt, proceres politicos. Semissis anni cuique integer ita a vobis Reipublicae insumitur, ut vix respirandi otium supersit. Semissis vitae muniis sit reliquus, nec ille quidem totus, aut omnino liber, cujus quippe pars non quotacumque, sed plerumque potior, eisdem ferme distinetur curis. ,, Etenim *Maurocenus* per sex alios menses, post abdicatum *Sapientis* munus, gravissimis, ideoque curarum plenis magistratibus, ut solet, praeficiebatur, ne umquam vacaret. Propterea aliam ad eum epistolam pag. 325. ita incipit: ,, Nimium siles, vir amplissime, hoc est, ut ego quidem interpretor, NIMIUM TE PUBLICA RES OCCUPAT, cui aetatem, cogitationes omnes, linguam devovisti. Etsi te silere ἄκυρον fortasse fuerit dixisse, cum tu interea concionibus tuis curiam demulceas; gravioribusque curis otium rependis nuper valetudini insumptum. ,, Quantum tamen vir patriae amantissimus laboris in Reipublicae administrationem impenderit, *Mauroceno* ipso luculentius nemo significavit, qui consanguineo & amico suo *Nicolao Contareno*, ut ex ejus *Opusculis* apparet, pag. 209. quietem qua ille Patavii fruebatur sibi quoque maxime optans, haec scribit: ,, Quid vetat (dices) quo minus huc convoles? An te fatigem narrando, quae melius, quam ego, nosti? Vivendi hoc impliealum curis genus quod perhorresco, fugientem me sequitur, vitaeque meae brevis summam intercipit: expellere si connitar, tamen usque recurret. Quid plura? NULLA MIHI REQUIESA REBUS PUBLICIS, quae nocturnis diurnisque negotiis corpus animumque ipsum deterunt. ,, Ideoque epistola etiam ad *Lollinum*, pag. 199. conquestus est, publicis se curis impedıri, quo minus affectam *Historiam* suam ultima admota manu perficeret. ,, Id unum me mordet, angit, atque excruciat, quod HISTORIAM, quam summis vigiliis fere usque ad haec tempora perduxi, AD UMBILICUM ADDUCERE NEQUEO; neque enim vel semihoram diei ac noctis quietam ducere licet: annuet fortasse meis votis aliquando Deus opt. max. ,,

(b) *sensim debilitatis ... ac fractis corpusculi viribus*, &c.) Mirum nemini, quod viro tam molestis aliis ex aliis curis implicito, neque ideo a musis alieno ita corpus debilitatum sit, ut aetate in senium vergente multis gravissimisque morbis affectus fuerit. Primum extremo suae vitae tempore vehementissimo oculorum dolore affiictari coepit. Hac de re ita ad *Prevotium*, medicum celeberrimum, scribit. pag. 201. ,, Ego, mi *Prevoti*, anni hujus initio, cum nondum bene confirmatus ad Collegium accessissem, in graviorem morbum incidi; nam VEHEMENTISSIMIS OCULORUM DOLORIBUS alternis noctibus EXCRUCIOR, quas saepe insomnes traduco; neque adhuc remedia vincere malum queunt, &c. ,, Quotannis, statis tempestatibus, hujusmodi dolore captum intelligo; siquidem quadam epistola, pag. 214. sibi ait amici *Lollini* literas redditas ,, ANNIVERSARIO fere OCULORUM DOLORE LABORANTI, atque in tenebricoso loco sedenti. ,, Cui epistolae non inficetum responsum dat *Lollinus* his verbis, quod inter *Epistolas miscellaneas* exstat pag. 150. quamvis operarum incuria sit 350. ,, Illud medio de fonte tot leporum peramarum fuit, quod te OPHTHALMIA laborasse scribis. Te ne adeo, quem totum oculeum esse in Reipublicae, literarumque rem in primis foret, OCULORUM laboribus tentari? Irascor Asclepiadum cohorti cujus crimen est, quod tantum doctrinarum lumen tenebras inhabitat, &c. ,, Ad oculorum dolorem, alium quoque accessisse, *Lollino* deinde significat *Maurocenus*. ,, Unde nam exordiar, Praesul amplissime? an a tuis suavissimis literis, an a meis acerbissimis doloribus? Illae animum erigunt, recreant, pascunt; hi corpus deprimunt, torquent, excruciant. Nam cum anni initio ab ophthalmia, qua mirum in modum vexatus fueram, convaluissem, atque iterum ad Collegii pensum rediissem, me gravior morbus excepit, quo alternis noctibus CAPITIS OCULORUMQUE DOLORE vehementissime maceror; neque ullis adhuc remediis pertinax malum evinci potuit; medici potius morbi novitate atque obstinatione vincuntur. ,, Non ideo tamen musarum amantissimum virum potuisse umquam a li-

potuit. (a) Itaque cum in Senatu maximis de rebus semel atque iterum differuisset, acerrimeque & concitate admodum perorasset, ut in more habebat, continuo morbum ex ingenti labore contraxit; qui levis prius, ac nullius fere momenti creditus, brevi in adeo periculosum, & gravem evasit, ut, saeviente atrociter febre, decem dierum spatio os illud eloquentissimum, & sapientissimum aeterno damnarit silentio. Cum autem periculosius aegrotaret, gliscente in dies morbo, sacris, quae ad expiandum animum pertinent, rite procuratis, contractas animi sordes religiose diluit; epuloque caelesti, quo sanctissimum CHRISTI JESU corpus porrigitur, confirmatus, XIII. kal. julii ex hominibus non magis exemptus, quam exaequatus, si hoc fas est dictu, Divis ipsis, immortalitatem recepit verius, quam mortem obivit. Moriens sine ullo vultus, & corporis motu, adeo placide, ac tranquille ex hac vita decessit, ut videretur levi somno sopitus quiescere: neque sanctius quisquam, aut lenius diem extremum clausit. Neque modo luctus, & lacrymas ordinibus cunctis; sed huic aetati magnum, ac triste desiderium sui, posteris etiam virtutis memoriam sempiternam reliquit. (b) Lugebat Senatus, moerebat equester ordo, plebs erat quasi senio, & squalore confecta; omnis aetas, sexus, & gradus afflictabatur; domus denique,

&

---

„ a literarum studiis avocari, ex iis quae sequuntur, intelligo: „ Ex his, quae mea nunc sit „ vitae ratio, cognoscere potes. A publicis negotiis abstinere cogor: sed id in lucro reponerem, nisi mihi lectione & scriptione penitus interdictum esset. Aures tantum restant, quae „ me auditu exereent: anagnoste, idest lectore utor, qui labantem quandoque animum le„ ctione parum operosa, at utiliori sustentet. „ *Angelo Grillo*, Casinensi, epistola, quae inter *Opuscula* invenitur pag. 207. aliud etiam anniversarium valetudinis suae vitium *Maurocenus* narrat. „ ANNIVERSARIO STOMACHI DOLORE jam aliquot dies LABORAN„ TI mihi nihil vel ad leniendos cruciatus opportunius, vel ad constantiam salubrius, tui de „ me memoria accidere potuit, &c.,

(a) *Itaque cum in Senatu*, &c.) Extremi illius morbi, quo decessit, caussas & vim ita describit medicus ac laudator ejus *Palazzolus*. „ Sed dum in Senatu vela in altum pro„ vehunt, ac multi subinde venti irascendi, dolendi, indignandi abripinnt orantem, ex „ multa atque contenta jactatione naufragium fecit. Sic enim incaluit, ut bilis in summum „ corporis effusa sit. Dixi, & quantum in me fuit, contendi, ut decumberet, & per ali„ quot dies a publicis curis avocaret animum. Satis fractum, satis confectum esse. *At Se„ natum*, inquit, *cogendum jussi*. *Salus mea plane mihi invisa, si non sit cum Reipublicae sa„ lute conjuncta*. O vocem patriae salutarem, &c. Accitus tandem *Amaltheus* (*Octavius* nempe, *Hieronymi* filius, clarissimi viri) ille Aesculapius, ille

„ ——— *Quo non praesentius ullum*

„ *Auxilium venit* ———

„ Adhibita a nobis sunt quaecumque studium, industria, ingenium arte, experientia, exer„ citatione consequi potest. Sed morbi pervicacia conatus omnes elusit: praesertim cum in„ commoda uteretur valetudine, & multis studiis atque vigiliis exhausta, &c. Idcirco defun„ cto inspiciendi & exenterandi causa dissecto, jecoris, lienis, & pulmonis pars, qua altior „ & editior, sanguine & tamquam spiritu carere jam coeperat. Ad haec * *oc„ caluerat* ductus, qua bilis in primis ad intestina fertur; ut nulla jam relevare eum, & in „ integrum restituere vel industria, vel remedia possent. Ita divinus ille animus summum il„ lum locum & excelsum, plenum stellarum repetiit. „

* *forte* occalluerat

(b) *Lugebat Senatus*, &c.) „ Luctuosus fuit omnibus illius obitus atque discessus. Te „ enim, *Maurocene* optime ac sapientissime, jam enim te mea haec vox affatur & alloquitur, „ ubi ubi es; te, inquam, Collegium, quod sapientiae acumine quasi admirabile reddidisti; „ forum, quod negotiis plenum, controversiis perturbatum, jure & aequitate placasti; comi„ tia, quae facundia & eloquentia detinuisti; Ecclesia, quam religione ac sanctitate ornasti; „ domus, ubi pietatem; Senatus, ubi fidem posuisti; bibliotheca libris optimis, & undique „ conquisitis instructa; & illa, illa inquam lucerna, socia lucubrationum tuarum, lugere, „ ac patronum suum requirere quodammodo visae sunt. „ *Aurel. Palazzol. in Paneg.*

(a) Ni-

& plateae tam beneficum, tam salutarem, & prudentem senatorem deflere videbantur. Fuit omnium cum gemitu ad divi Lucae tumulatus. *Paulus* frater; dicerem ego tantarum virtutum heres, si aut debitas laudes pateretur ejus viri modestia, aut res ipsa palam, quod existit, non loqueretur; hic igitur, quem minorem natu, sed non ulla virtute *Andreas*, veluti filium unice dilexit, veluti genitor ab eo vicissim observatus, sepulchrum de more faciundum, exstruendumque curavit.

Famam quidem tam clari nominis nullus tumulus, nulla unquam teget vetustas temporis, nulla oblivio. (*a*) *Nicolaus Contarenus*, ejus consobrinus, Senator gravissimus, in Veneta Historia conscribenda Decemvirum jussu confestim substitutus est: vir non modo literis, atque adeo disciplinis omnibus mirum in modum excultus, & eloquentissimus; sed qui pro temporum ratione a musis ad martem deflectere, utilemque Reipublicae & gloriosam sibi operam militiae, & in castris, ubi (*b*) summo cum imperio praefectum agit, praestare possit.

Non esset hercle, quod *Mauroceni* formam, atque effigiem referrem, cum illa non tam nobilium artificum expressa tabulis, aut signis, quam alte in hominum praestantissimorum mentibus impressa perenni, ac nunquam intermoriturae gloriae memoria sit jam conservata; (*c*) *Jacobus* autem nepos, jam *ordinum Sapiens*, ipso ingenuae frontis honore tanti patrui imaginem; sed multo magis moribus, & doctrina ita referat, ut tam egregii nepotis causa beati *Andreae* manes habeant, unde supra humanae felicitatis fastigium efferre se valeant. Facies fuit illi non multo rubore suffusa; sed quasi repraesentaret animum, decora, modesta, & ingenua: lata frons, promissa barba, oculi hilariores, & venusti; sed qui assiduo literarum studio nonnihil lippitudinis contraxerant, qua vel invitus *Andreas* literarum amorem ubique ostentaret: statura breviori, atque humiliori, quam cum elato capitis integumento, socculisque ac incessu incassum augere tentaret: excelsa ingentis animi magnitudine, & tantis virtutibus, veluti cumulis superimpositis, mirum quantum amplificavit, atque in majus extulit. Ita vero natura compara-

---

(a) Nicolaus Contarenus, *ejus consobrinus*, &c.) *Amitinus Andreae Mauroceno* proprie fuit *Nicolaus Contarenus*. Siquidem hunc *Joannes-Gabriel Contarenus*, *Nicolai* filius, Senator amplissimus, ex *Paulla Maurocena* susceperat, lectissima femina, *Andreae Mauroceni* filia, ac *Jacobi*, *Andreae* nostri parentis, sorore. *Contarenus* vero, sicuti *Andreae* in Historiae conscribendae munere, ita *Nicolao*, *Andreae* fratri, in Nicenae bibliothecae praefectura suffectus est. Anno tandem 1630. januario mense patriae principatum obtinnit. Exstat apud heredes, praestantissimos viros, manu exarata, duosque in tomos digesta *Venetarum rerum historia*, quam ille ab anno 1597. exorsus, usque ad sua tempora deduxit, sermone italico descriptam. Etiamnum adolescens Venetiis, ex typographia Joannis-Baptistae Somaschi, 1576. in 4. librum satis doctum evulgavit *De perfectione rerum*; qui editus iterum est Lugduni, apud Franciscum Feure, 1587. in 8. Vide praefationem ad *Sabellici* historias. *Nicolaum Contarenum Maurocenus Opusculorum* pag. 202. appellat *virum philosophicis disciplinis ornatissimum*; ubi etiam magnificas ejus aedes Patavii in Vantio sitas luculenter describit, laudatque otium ejus, & cum literatis viris consuetudinem *Lollinus Contareno* scribens *Epistol.* pag. 54. *Philosophi* cognomentum addit; *eque* cognomento ait illum *communi consensione civium vocari* Habuit autem *Andreas Nicolaum*, non tam cognationis, quam amicitiae jure sibi devinctum in primis: quod satis probant eae, quae in iisdem *Opusculis* epistolae occurrunt, pagg. 202. 209. 240. 245.

(b) *summo cum imperio praefectum agit*) Legatus cum imperio in Reipublicae ditionibus ultra Mincium erat tunc Nicolaus, *Provisorem* vulgo dicimus, quae legatio ipsi fuerat demandata anno 1621. XIIII. kal. mart.

(c) Jacobus, *jam ordinum Sapiens*) anno 1620. VIII. kal. oct. eam a Senatu dignitatem obtinuit.

ratum est, ut qui nos movet animus, brevi corpore inclusus, tamquam collectis minori in ambitu viribus, majori virtute membra regere, & facilius ad excogitandum moveri, celeriusque cuncta comprehendere, & explicare videatur. Nos itaque, quando ante oculos obversabitur species tanti Senatoris, tum intelligere debemus, eum, quem jam descripsimus, animum excelsum, ingentem in brevi corpore adfuisse una cum tot, tantisque prorsus admirandis naturae, ingenii, & virtutum omnium ornamentis; atque ita ceu magni hospitis exiguum hospitium, quod fieri saepe videmus, venerabundi admirari.

Reliquum modo esset, ut praeterea apophthegmata, seu brevia quaedam dicta memoriae mandarem, ex quibus longe clarius, & apertius, cum ab intimis sensibus proficiscantur, quam ex oris lineamentis mores hominum judicari possunt; talis enim plurimum hominibus oratio, qualis vita: nec unquam fere alius serio dictis, alius animo color. Enimvero neque nos ea diligenter potuimus colligere, quae collecta integrum, & bene longum volumen exigerent; & *Maurocenus* sermone quotidiano veteribus potius elegantium scriptorum dictis usurpandis, quam recentibus a se excogitatis delectabatur. Nonnulla tamen attingam, perpaucis contentus, quae curioso lectori satis esse possint. Cum igitur quemdam hortaretur, donum ut recusaret; ille vero nihil jucundius esse diceret, quam rem magni pretii nullo pretio obtinere, subjecit *Andreas*: *At saepe maximum pretium ejus rei existit, pro qua nullum datur*. Cum dolori alter plus aequo indulgeret, tempusque medicinam facturum diceret frequenter: *Vulgus*, inquit *Andreas*, *diu ferendo solet, prudentes diu cogitando leviorem facere molestiam debent*. Cum quidam *scloppetti*, ut modo vocant, incertum ictum reprehendens, militem, qui satis non collimaret, acriter castigaret, ridens Andreas, *An putas*, inquit, *hominem, quia fulmen accipit, Jovem esse*? Nonnulli hominum, Deorumque fidem implorabant, pacis nomine, & specie non semel decepti, cum *Andreas populos quosdam esse* diceret, *quibus nihil fidei habendum: cum pacis, & belli nominibus, tamquam nummis utantur, non ad fidem praestandam, sed ad arces, & civitates sibi comparandas: meliores certe cum bellum aperte movent, quam cum pacis, & amicitiae nomine insidias tegunt*. Cum vero legibus cunctis, necnon magistratibus in omni vita religiosissime obtemperaret, *Nihil hominibus gravius esse*, ajebat, *quam injuste servire: nihil vero suavius quam juste parere*. Cum amicus quoddam ejus dictum liberius carperet, & vetus illud usurparet, *Veritas odium parit*: *Immo*, inquit Andreas, *quod in hominibus fieri frequenter videmus, ut nepos avum suum potius referat, quam patrem*; *id etiam in veritate usuvenit, ut ea, quae ex amore nascitur, amorem*; *odium vero parere soleat, quae oritur ex odio*. *Amicorum offensiones, non aurificis trutina, sed quadam amoris lance ponderandas*, affirmabat. Blaterones quosdam, & qui nihil penitus tacere possunt, *bajulorum pessimum esse genus quoddam*, praedicabat: *Quid enim gravius hominem illum ferre posse, cui tacere grave sit, natura cuique levissimum*? Divinas preces aliquando altius domi recitabat: cum amicus argueret, ille vero statim: *An igitur me rogare existimas, quae palam etiam non possim*? Cum virum quemdam nobilissimum solaretur, dixisse illi memini: *Ut fumus non nisi alta, atque summa petit, sic ambitio, qui sunt in altissimo loco, praecipue persequitur: verumtamen quo petit altiora, aeque ac fumus, eo citius evanescit*. Hoc veluti oraculo huic scriptioni finis imponendus: tanti vero Senatoris illustris memoria grata cum recordatione perpetuo celebranda, ut amplissimo civi, tam praeclare de Republica merito, si non meritis par gratia, at certe pro viribus nostris debita referri videatur.

LE-

# L E C T O R I.

ANDREAE MAUROCENI *Vitam duo aetatis suae clarissima lumina, ipsi aequales atque amicissimi enarrarunt* : Aloysius Lollinus , *Bellunensis Episcopus ; &* Nicolaus Crassus . *Utramque in hac nova ejus* Historiae *editione daturus , quam* Crassus *exposuit , praemisi , cum uberior mihi visa sit , ac ex ea lucidius appareat , qui cum privatim tum publice tantus vir fuerit. Accipe nunc alteram*, Lollini *opus*, *quae priorem quoque Historiae editionem praeit . Neque enim committam , quod toties in aliis jure reprehenditur , ut aliquid eorum desiderari hic velim , quae primum excusam historiam ornant. Satis praeterea hunc* Lollini *laborem commendant sermonis elegantia* ; *stili etiam , nisi forte alicui supra hujusmodi scriptionis genus exsurgere videatur , juncta suavitati granditas ; sed praecipue clarum auctoris nomen , ac ea , quae ab ineunte adolescentia cum* Mauroceno *nostro ipsi intercessit necessitudo , quam morum similitudo facile inter eos conciliavit , eorumdemque studiorum communio . Si qua cupis mutuae inter tantos viros amicitiae testimonia , adi* Lollini Epistolas Miscellaneas , *quarum haud paucas ad* Maurocenum *datas invenies , plures etiam ad alios , ubi* Mauroceni *mentio saepissime recurrit : adi lucubrationes illas , quibus amici obitum* Lollinus *deflet, quarum suo loco nos quoque meminerimus ; ne quid addam de hac* Vita , *quam auctor scripsisse tantum profitetur , ut esset* AMORIS FIDEI*que suae* MONUMENTUM *: adi* Mauroceni *ipsius epistolas inter ejus* Opuscula , *haud multas illas quidem , sed pro dimidia ferme parte* Lollino *scriptas . Ipse tamen me tenere minime possum , quin ad hujus tam arctae familiariaritatis argumentum pauca hic afferam excerpta ex quadam ejus epistola, ad* Lollinum *suum data* Venetiis , idibus decembris , *M. DC. XVI. quae extat inter* Opuscula , *pag.* 211. *quod eo libentius facio , quod hinc etiam nonnulla ad scribentis vitam spectantia colligi possunt*.

„ *Quid enim ad memoriam jucundius , quam illius temporis reminisci , quo , post turcicum bellum , pace cum potentissimo rege icta , anno superioris saeculi septuagesimoquarto , felici meo fato in celeberrimo totius orbis gymnasio* TE PRIMUM AGNOVI . *Dii boni ! quantum sublimis ingenii tui virtus eluxit ? quos in omni scientiarum genere profectus edebas ? quam in omnium ore versabaris , dum aedes tuae omnium studiosorum perfugium essent ? Nihil tunc mihi optatius , quam te videre , audire , alloqui , jucundissimos sermones de communibus studiis serere . O praeclara tempora ! cum nobilitatis Venetae flos in amplissimo ac pulcherrimo literarum theatro sese ad egregios mores , atque disciplinas effingeret , &c.* „

*Transiere beata illa otia : in patriam concessimus . Toga virili sumpta , aliquantisper ego e statione deflexi . Tu pervigil , acer dies noctesque cum linguarum cognitioni , tum scientiis impense operam navabas . Mutuis alloquiis , frequentibus congressionibus alebantur animi . In tuis , inque nostris aedibus de rerum natura , de moribus , de divinis rebus disputationes habebantur. Aderant multi , quos perdiscendi studium attrahebat , ex nostra nobilitate aliquot : intererat* Nicolaus , *frater meus , qui te unice colebat , quem tu mirifice adeo diligebas , ut numquam sejungeremini .* (a) *Alcyonios recolo dies , quibus per liquentia haec lateque extenta stagna incre-*

(a) *Alcyonios recolo dies* ) Aut mysteria ipse mihi fingo, aut *alcyonii dies* hic non sereni tantum sunt & pacati. Quis enim tanta serenitate dies, quo nostris , non solum per intersecantes urbem euripos, sed *per late extenta stagna* mos sit vehi ? Num & *alcyonis* sereni tantum sunt dies apud *Lollinum* epistola ad Maurocenum , pag. 67 ? „ Sic nunc consilii tui rationem probo vehementer, quod ejusmodi tuis gravissimis occupationibus diverticulum paraveris, ubi quasi de via fessus, & complures dies sis aliquando libentissime, & ALCYONIIS vel

„ *incredibili voluptate vehebamur. Sed cum ego, ac frater ad rempublicam vocaremur,* „ *tu eam vitae rationem instituisti, qua studiis & tranquillitati commodius consulere* „ *posses. Nam Bellunensis Antistes creatus, pietatis, religionisque officia cum o-* „ *mnium literarum genere ita conjunxisti, ut hodie (parce, precor, neque id assenta-* „ *tioni, a qua longissime absum, tribuito)* Θαῦμα *habearis. Immaturo fato ablatus* „ *est mihi suavissimus frater, tuique amantissimus, qui mihi omnes voluptatis ac ju-* „ *cunditatis sensus eripuit: solus stadium hoc publicorum munerum percurrere coactus* „ *sum, quam laboriose, quanta cum meae valetudinis jactura, non commemoro. Inca-* „ *nui, consenui, jam ad calcem deveni, cito colligenda vasa sunt. At tu, amplissime* „ *Praesul, eumdem semper vitae tenorem servans, diu vivas laetus, felix, cunctis cu-* „ *mulatus bonis; quique ex uberrimis sapientiae fontibus sacrum replesti pectus, pate-* „ *re quaeso, ut inde stillae aliquot ad nos dimanent. Jam satis in vitae nostrae cam-* „ *po expatiatus sum, jam vividis coloribus expressam brevem hanc mortalitatis usu-* „ *ram animo inspexi. Utinam, quemadmodum* PARIBUS, *licet dissimilibus,* PAS- „ SIBUS *hoc quidquid spatii fuit, emensi sumus ad eamdem metam, perennem nempe* „ *beatitudinem, perveniamus. Vide, obsecro, Antistes optime, quo me imaginatio* „ *rapuit. Agnosce fratris olim mihi carissimi, tibi addictissimi manes, meamque in* „ *te observantiam; studium fove, atque amplectere: idque pro certo habeas, nihil in* „ *hac vita contingere mihi jucundius posse, quam si abs te, viro egregio, quem sum-* „ *ma veneratione prosequor, me vicissim amari intellexero.* „

*Ceterum huic* Vitae *vix pauca adjiciam, praeter aliquas margini numerorum notas, quibus admonearis, ut ea quae* Lollinus *narrat, cum iis conferas, quae a* Crasso *, aut in nostris ad* Crassum *Adnotationibus afferuntur.*

AN-

---

„ vel media in rerum hyeme **FRUARIS**. „ Si quid latet, puto utrumque ad illud aucupii genus alludere, quod capiendis mergis per hyemem, eosque potissimum dies, qui *alcyonii* proprie a doctis vocantur, nobilitas nostra exercet. Est autem jucundum quidem, sed laboris plenum ac difficultatis. Namque parvulis levissimisque cymbulis, in hunc unum usum constructis, mollibus pulvinis instrati, quantum late patent aestuaria, aliquando etiam longius in altum provecti, hac illac circumvehuntur, ut marinas aves undis, in quas cibum captantes assidue se immergunt, tandem emergentes excipiant. Has autem gracile caput aqua efferentes (cibo enim infarsae ceterum corpus aegre trahere foras possunt) ut aspiciunt, statim in genua erecti, globum ex argilla ea arte arcu emittunt, ut capite petitas exsternent, & stuporem velut quemdam injiciant. Ita paene intermortuas, & summis aquis supernatantes cymba assecuti, praeda potiuntur. Quoniam vero per quam difficilis est tam certus ictus, quoties prospere directus est, ob gaudium vectores cymbae aureo, vel saltem argenteo nummo graviori donant; aves vero domum delatas, expansis alis, foribus affigere solent in orbem, aliamve figuram pro earum numero dispositas, honesti laxamenti, captaeque ex eo voluptatis argumentum. Hoc exercitationis genere oblectatos *Maurocenum* ac *Lollinum*, adhuc praecipue juvenes eum suspicor, eorum laudibus nequaquam obtrectare mihi videor. Ceterum de auctoris mente lector judicet.



# ANDREAE MAUROCENI,

## SENATORIS PRAESTANTISSIMI,

## (*) VITA,

## (**)AUCTORE AMPLISSIMO VIRO ALOYSIO LOLLINO, BELLUNENSIUM EPISCOPO.

---

(*) *Vita*) Hujus *Vitae* a se perscriptae meminit idem *Lollinus* epistola quae exstat pag. 229. ad *Henricum Catharinum Davilam*, clarum illum bellorum civilium gallicorum scriptorem. ,, *Historiae Mauroceni* nostri sub praelo sunt, quibus ego auctarium paro VITAM AUCTORIS. Pannum purpurae, inquies. Quid agerem? importunis amicorum precibus urgebar: ii non aliter, quam parendo, sibi satisfieri passuri erant. ,, In eamdem sententiam pag. 301. scribit etiam *Bartholomaeo*, Carthusiae Vedanae praefecto, quem nunciatum ipsi fuerat, aggressum fuisse *vitam cujusdam ordinis sui columinis & coriphaei*. ,, Similis plane nobis desudatus est labor, ANDREAE MAUROCENI, amicorum omnium optimi, DICTA, FACTA, MORES lineis apellaeis dignos, describentibus rudi penniciilo. Hic pudorem forsitan in me requires, qui majores nido alas explicarim. Quid facerem? nemo alius erat, qui se exorari pateretur, ut subiret onus. Usque adeo nos arcta hodie annona premit eorum pariter, qui scribenda faciant, & qui facta scriptis exprimant, & qua decet arte. ,, Alia quoque epistola pag. 298. hanc vitam eidem emendandam mittit. ,, MAUROCENI Vitam ad te mitto. Non tam a te laudari pergratum fuerit, quam corripi. Illud amori, morique tribuam, hoc libertati, alienique profectus studio, quo flagrare maxime par est, tantum ab obtrectatione & livore dissitos, quantum candori propiores & dilectioni. ,, Verum quo in pretio habenda illa sit, satis declarat *Laurentius Pignorius* epistola ad *Lollinum*, inter *Lollinianas* pag. 293. ,, LUCUBRATIONEM TUAM ut viderem, permisit vir amplissimus Donatus Maurocenus, elegantem illam profecto, & multum decoris addituram historicae scriptioni *Mauroceni* nostri. ,,

(**) *Auctore* Aloysio Lollino) Antiquissima *Lollinorum* gens in eam patriciorum Venetorum coloniam transcripta est, quae Senatusconsulto in Cretam deducta fuit. ALOYSIUS,

 *Paulli*

*Paulli* filius, hujus nobilissimae gentis ultimus fuit; quo exstincto, in nomen adscita est, fortunarum etiam heres, *Justinianorum* paris nobilitatis familia, qui nunc *Justiniani-Lollini* appellantur. Ille enim ecclesiasticam vitam amplexus, renunciatus est Bellunensis Episcopus a Clemente VIII. anno 1596. IIII. kal. sextil. teste *Ughello Italia Sacra*, tomo V. col. 197. Urbano VIII. sedente, ipsum vita functum idem narrat anno *millesimo sexcentesimo vigesimo* SEXTO. Verum *Ughelli* erratum facile deprehendes, si apud eumdem legeris, *Joannem* *Delphinum* datum fuisse *Lollino* successorem eodem anno 1626. V. id. febr. Neque enim fieri potuit, ut tam paucos dies dumtaxat Bellunensis sedes vacaverit. Praeterea *Donatus Bernardius*, cujus & infra meminero, Opuscula *Lollini* duo, quibus titulus: *Praefatio Iambico carmini NOCTUA inscripto destinata*, &c. & *Epistolica dissertatio de non deserendo grege*: edidit Venetiis, anno M. DC. XXV. ut ex libri fronte apparet. Hic autem epistola nuncupatoria, data IDIBUS AUGUSTI ejusdem anni, qua illa obtulit *Amplissimo Jurisconsultorum Bellunensium Collegio*, cum vocet *Lollinum τὸν μακαρίτην*, sibique affirmet ab eo *multiplicem atque amplam divini ingenii supellectilem* LEGATAM; plane significat, optimum doctissimumque Antistitem idibus augusti anni 1625. jam defunctum. Ut vero certiora afferam hujus rei argumenta, ajo, apud *Bartholomaeum Celinum*, nobilem Bellunensem, qui modo ad transigendas civitatis suae res Venetiis degit, inspectum a me *Lollini testamentum*, ipsius manu conscriptum anno 1624. V. id. nov. cui adnotatum est a publico notario, eum defunctum esse anno 1625. hora septima ejus noctis quae diem IIII. ante kal. april. praecedit. In aede cathedrali Bellunensi, in medio presbyterio est *Lollini* tumulus cum epitaphio:

ALOYSII. LOLLINI. EPISCOPI
QVOD
MORTI. OBNOXIVM. FVERAT
HIC. CONDITVR
M. DC. XXV

In librum Actorum ejusdem ecclesiae cathedralis haec relata sunt:

M. DC. XXV. *kal. aprilis* ANNO SACRO

*Obitus Illustriss. & Reverendiss. D. D.* ALOYSII LOLLINI, *Episcopi Belluni, summo omnium hominum, ordinumque moerore in ecclesia nostra cathedrali, quam honestissimo funere, post laudationem, atque omne genus pietatis, honoris, & officii flebiliter sepulti.*

Recenset *Ughellus* nonnulla ex ejus operibus, non tamen omnia; atque in his etiam non semel est emendandus. Vivens *Lollinus* nihil typis evulgavit, nisi fallor, praeter *Lacrymas in Mauroceni funere*, quarum crebro occurrit in meis hisce *adnotationibus* mentio; atque hanc, quae *Historiam* praeit, *Mauroceni Vitam*. Moriens *Donato Bernardio*, civi Bellunensi, familiari suo, quidquid scripserat, legavit, ut apud ipsum custodiretur, vel etiam, si ita illi visum esset, heredum suorum aere evulgaretur. Si quis cupit, quinam fuerint *Lollini* mores quaenam vita, intelligere, ab ipso *Lollino* quaerat, praecipue inter Opera, quibus titulus, *Episcopalium curarum characteres*, pag. 153. in *Dissertatione epistolari de non deserendo grege*; ac pag. 237. in *Soliloquio*; quaerat etiam inter *Epistolas Miscellaneas*, pag. 455. in epistola ad *Laurentium Regosiam*. Operum vero, quae ipse inedita reliquit, luculentus index exstat in praefato opusculo, quod inscribitur: *Praefatio iambico carmini NOCTUA inscripto destinata, in qua suarum lucubrationum recensum agit*, &c. atque in *Additamento* quod eidem opusculo subjecit *Donatus Bernardius*, *quo* Aloysii Lollini *operum recensum persequitur*. Bona horum pars, eodem *Bernardio* curante, jam prodiit in lucem, & continetur in *Episcopalium curarum characteribus*, atque in *Miscellaneis Epistolis*; quibus adjiciendum est parvum *Carminum* volumen. Optime quidem de re literaria mereretur, qui omnium simul, sive editorum, sive nondum editorum operum novam nitidamque editionem evulgandam curaret.

AN-

# ANDREAE MAUROCENI VITA.



RARAM omni aetate avem probum simul, ac doctum hominem si quando in lucem edit saeculi nostri victa situ, effoetaque viribus senectus, haud sane minori gaudio perfundi omnes deberemus, quam Aegyptii olim, religionibus maxime addicta natio, Api adinvento. Quod enim Dei immortalis beneficium humano est coetui praesentius, ac conducibilius, quam indigenae virtutis exemplo vivo, ac spiranti minime destitui? quod moribus sibi exprimendum juventus statuat, cives aemulentur, admirentur exteri, perbeatamque praedicent civitatem illam, cujus e gremio tantum lumen sub hanc sequioris aevi vesperam emerserit, documento apud omnes maxime futurum, necdum intercidisse disciplinam morum, seminave penitus exaruisse gignendis heroibus idonea. Nam cum ex toto humani generis asse vix sextulam decutias literatorum; ex hoc vero exiguo numero perrari sint, qui morum probitatem literis adjunxerint, quale decus erit, quam praeclarum, unum esse de tam paucis, de tam pene nullis? Quod ego sane decus patriae meae gratularer ANDREAE MAUROCENI, praestantissimi civis, causa promeritum, si apud ejusdem postrema merito deflentem gratulationi locus ullus foret. Sed moerorem justum illum quidem, & funeri tam Reipublicae acerbo debitum tempus edax rerum animis absterget: memoriae tanti viri ne quid idem obsit; neu qua nomen ejus intercipiat oblivio, enitendum est nobis summa ope, quibus in vita nihil fuit ejus amicitia jucundius. Atque utinam non impar foret operi ingenium: extaret per omne aevum adversus vetustatis injurias hoc amoris, fideique meae monumentum, veritati non minus sacrum, quam virtuti; cui fraudi esse non debet, quotiescumque in aliquo civium ultra legem communibus ingeniis praescriptam eminet, si ejus praeclara opera sic ad historiae fidem literis mandantur, ut nihil prorsum Momi detur auribus, quod magnopere audire cupiant: naevos enim in praestanti forma anxie scrutari, ubi nulli sunt, vel aspectum fallunt, non tam ego indicium esse libertatis, quam livoris puto. *Mauroceno* parentes fuere (1) *Jacobus*, Senator laticlavius, & *Caecilia Cornelia*, femina lectissima, Paulli Procuratoris Marciani filia, primariae claritatis ambo apud suos, & vetustate, imaginibusque majorum inclytae, quos sub nomine quemque suo dicere quid attinet nemini indictos? (*a*) Dies ejus natalis incidit in idus februarias anni post Christum natum M.D.LVII. qui fuit urbis augusto augurio conditae M.C.XLII. Fratres geminos habuit (*b*) *Nicolaum*, (*c*) & *Paullum*, quorum hic ei superstes adhuc vivit; (2) ille fratris fata antevertit natu licet minor.

(a) *pag.* viiii. *lin.* 10

(b) *pag.* xx. *lin.* 9.

(c) *pag.* xxxvii. *lin.* 2.



(1) Jacobus *Senator*) *Jacobus*, Andreae filius, Jacobi nepos, ortus est IIII. id. jul. anno 1530. Hic ex *Caecilia*, Paulli Cornelii, Marcii procuratoris filia, quam anno 1557. duxerat, tres liberos suscepir: *Andream* nostrum id. febr. anni 1558. qui Veneto more adhuc erat 1557. *Nicolaum* anno 1560. postr. kal. sept. *Paullum* kal. oct. anno 1566.

(2) *ille fratris fata antevertit*) Siquidem duos & quadraginta annos nondum integros natus vivere desiit *Nicolaus*, postr. kal. mart. anno 1602.

In puero ab usque teneris unguiculis indoles emicuit summa, quae disciplina domestica paullatim exculta ad virtutem, atque pietatem sic increvit, ut specimen futuri profectus daret minime vulgaris. (a) Grammaticis est usus adolescens *Baldo-Antonio Penna* latine, & *Bernardino Parthenio* graece, apprime eruditis, sub quibus linguarum elegantia, atque ubertate principum rudimenta hausit, jam tum animo prospiciens iter sibi earum ope pronius futurum ad scientiarum metam cursu pertingendam. Neque enim juvenis laudis festinus, ac doctrinae sincerioris avidus se unquam ab epidemico nostrorum hominum errore abripi est passus, falso opinantium philologiae, ac philosophiae finales lapides inter se diremptos multo magis esse, quam Phrygum, Mysorumque res olim fuerint: nihil illis foederis, commercii nihil invicem intercedere: hostilia, ac impacata omnia aeternis dissidiis sejungi. Sed doctissimorum virorum, qui in Musarum, Sophiaeque castris agmen ducunt, exempla relegens, studiorum malo genitos illos reputabat, qui res a proprietatibus verborum, quibus copulantur, tamquam vi illata divellentes, vel infantem sapientiam per vasta barbariae spatia sectantur, vel inani loquendi profluentiae, linguaeque volubilitati consuescunt, forensium instar formulariorum, quibus verbigerari invicem non modo munus, sed & census est. Et profecto si anormis quaedam philosophia, & nulli sectae addicta peteretur, aequius ferremus; nunc vero, orbe peripateticorum legibus parente, quis non istis liberiori stomacho succenseat, qui Aristotelem florentis facundiae virum, cujus in verba per quam religiose jurant, laboris vel odio, vel taedio non nisi semilatine, vel mixobarbare potius obloquentem audiunt ipsi plane Opici, omnisque eruditionis penitus expertes? Non neminem sane appellare possem supercilio Lycaeum fulcientem, cui nulla alia versio adhuc innotuit Aristotelicarum scriptionum praeter eam, qua Averroes usus est Arabs, nativam gentis barbariem praeseferentem, unde ad nos venit latinis prius auribus ignota. Fas mihi sit comperta proloqui, ac testata omnibus, qui politioribus studiis ducuntur: nihil est profecto aureis veterum philosophorum eloquentiae fluminibus, quam istorum coenosi lacus dissimilius. Unde ne sibi esset hauriendum, operam dabat *Maurocenus* sedulam, ut in grammaticorum, rhetorumque scholis non paullo accuratius erudiretur, quam mos hodie obtinet multorum non alibi magis, quam in id genus studiis ludi a pueris operam existimantium; ideoque insulsorum quorumdam autorum dispendiosa compendia sectantium. Nec conatus successu caruit, labore pertinaci, cui nihil non proclive, comitatus. Vixdum ephebos ingressus talis erat, quales provectioris aetatis condiscipuli perquam sane pauci: posse graecis latina jungere, orationemque tam uberi vena profluentem ad Ciceronis exemplum meditari, quam vincire numeris, Musisque felici rudimento innotescere.

Exinde philologiae spatia emensum dialectica excepit, ut eum, quo cursum ingenii maxime direxerat, ad limen porro sisteret Lycaei. (b) Doctor erat *Aloysius Pisaurus*, philosophiae peripateticae professor, qui cathedrae ex Senatusconsulto praesidebat per id tempus, vir familiae amplissimae splendore, egregiaque propriae virtutis laude non minus, quam tirocinio *Mauroceni* celebris. Neque enim quemvis de trivio poscebat perspecta jam ingenii juvenis subtilitas, & quae de praeceptoris judicio judicare non inepte posset. Exprimi non potest, quam ille sitim avide expleverit in illimibus rivis doctrinarum, qui cum ab uno omnes dimanent fonte, male sane faciunt, qui tamquam imperiti aquileges alter ab altero ne excipiatur, excitato quasi trans-

(a) pag. x. lin. 9.

(b) pag. xi. lin. 2.

transversim aggere impediunt. Non arctiori virtutes fibula inter se nectuntur, aut venae per corpus invicem commeant sequacius. Nec Plato, etsi nonnullis aliter videtur, ab hac sententia diversus abiit, cum in republica a se primum instituta lege lata cavit, ne quis plures unus artes scilicet exerceat: aliorsum enim cautio illa respicit, neque septa sellulariarum artium egreditur; alioquin legifer ipse reus agi posset violatae a se scitae legis, qui nullam liberalem artem non perfecte calluit, idem poeta summus, conditorque dialogorum disertissimus, quos petitis ex omni scientiarum genere floribus refersit.

(a) Verum ubi quod satis esset operae *Maurocenus* in patria studiis impendit, Athenas Euganeas se contulit, ratus inde profectui suo incrementi non parum accessurum ob urbis, & doctorum autoritatem. Florebat illa tempestate *Franciscus Piccolhomineus*, & *Jacobus Zabarella*, nobile par philosophorum, quorum ille Averroidarum princeps, hic Alexandreae sectae propugnator acer habebatur. Unde inter eos studio partium incensos crudum in dies odium, asperrimaque aemulatio gliscebat, dum alter copias parat adversus alterum ea contentione animorum, ut non in circo olim Veneta factio Prasinae adversata fuerit implacabilius. *Maurocenus Piccolhominei* in disputando ubertate, acumine *Zabarellae* captus, ambos, qua erat morum lenitate, summe coluit, ambobus eo in primis carus, quod ab obtrectatione juxta, & favore partium intactus, hominum diversas quidem, sed praeclaras dotes pari pietate observaret. Idem Pomponio Attico aetas sua praestantissimorum, si ulla unquam alia, virorum ferax summae laudi vertit, quod, fide salva, officioque amicitiae debito incolumi, Q. Hortensium, & M. Ciceronem, adversis inter se se in foro studiis certantes, pulcherrimique laboris aemulos, pariter dilexerit, ab utrisque aeque cultus, dilectusque. Patavii per quam diu fuit *Maurocenus* genio suo obsecutus, qui non alia voluptate ducebatur, quam quae a literis orta in literis ipsis quasi eodem orbe repetito acquiescit. Quid enim quaeso aliud ageret potissimum juvenis frugi, constantiaeque inexuperabilis adversus exitiales pestes saeculi luxum, aleam, libidinem? Virginis eum senectae fuisse, quasi alterum Origenem Adamantium, alibi ex familiarium relatu diximus. (*b*) Unus nempe discendi amor gloria flagrantem animum incessens, degeneres inde caducarum rerum reliquarum omnium cupidines, veluti clavus clavo truditur, dispulerat. Quod de Hippolyto quoque, Thesei filio, mortalium castissimo, fabulae testantur, qui non tam venatus, ut ajunt, quam sapientiae studio (erat enim is Orphicae philosophiae summe deditus) ab omni cogitatione venerea abstinuit, caecus ad formosas. Obversatur animo haud illepidi facti recordatio, quae ad fidem dictis adstruendam mire facit. Commigrarat Patavium e fornice Veneto hilaribus Thais una omnium sacerruma, ut juventutem ad pudorem natam a Minervae sacris ad Veneris volutabrum, & Bacchi orgia traduceret. Hujus ille cum fores praeteriret uno atque altero sodali comitatus, quibus mulieris fraus non ignota erat, forte accidit, ut illex in vestibulo aedium sederet aucupio intenta: quae ut juvenes accedentes vidit, obviam ultro prodiens, iis verbis, eo gestu manuum, eo nutu, vultuque illos prosecuta est nunquam sibi ne de facie quidem ante cognitos, ut nihil potuerit fieri amantius: quae non omnino gratuitae benevolentiae imitamenta *Maurocenus*, ut erat ingenuo, experteque nequitiarum animo, non aliorsum est interpretatus, quam si officii ergo dicerentur. Ubi nunc, luxuria rerum potiente, in necdum ingresso ephebos puero tantum invenias doli incapacitatis, quantum in

(a) *pag.* xii. *lin.* 1.

(b) *pag.* xiii. *not.* b.

in illo fuit sub ipso aetatis vere, firma valetudine, corporis habitu de calore plurimum trahente, tam vero vegeto ingenio, ut subtilissimarum rerum disquisitionibus par esset? Ita profecto fit, defixa omnibus horis virtuti, veritatique vestigandae cogitatio indocilitatem hanc parit animorum ad ea, quorum ignoratio nobis expediret magis.

Jam omnes philosophiae partes haud perfunctorie perceperat; geometrici quoque pulveris, observationumque astronomicarum non omnino expers: primores jurisconsultorum audierat: specimen dederat in musicis, peritus diagrammatum harmonicorum, nec indoctus canere ad fides, quas Socratem ferunt Conone magistro admodum senem attigisse: cùm mentem subiit mirari, quanto olei, operaeque impendio nihil plane scire disceremus. Admirationem augebant Sexti Empirici Pyrrhonicae adversus disciplinas dissertationes, quem ille sane librum matutinis horis, ut erat indefessi studii, versabat, antequam ad professores Peripati accederet, ut haberet, quem cum eis conferret, praeferretque; quod ii sententiis semel sibi sociatis nunquam, ne veritatis quidem vi compulsi, nuncium remittunt, ille ingenue fatetur sibi ignota esse, quae non liquent: dissentiendique, ac exercendi ingenii libertate utitur, si quis alius veterum Academicorum, quos non indisertos fuisse tradit Cicero, plena gravitatis, ac subtilitatis. (*a*) Aderam tum forte, ut saepe alias, cum verba sibi data a philosophia quereretur, anxius ecquodnam porro ad fontem iter sectaretur, unde cupidinem sciendi humanis sensibus a natura insitam explere posset. *Haerere se, non, ut olim Hercules Prodicius in bivio, sed in curriculo plane ipso studiorum, tot in diverticula, tot in vias secto: nec satis itineri tot salebris impedito glomere fili destitutum fidere: Philosophiam quidem hujusmodi splendidis promissis animum allicere:*

(a) *pag.* xi. *lin.* 22.

*Lucret. lib.* I. *v.*49.

*Jam tibi de summa caeli ratione, Deumque*
*Disserere incipiam, & rerum primordia pandam.*

*Audin' quam magnifice? causas rerum ad quas etiamnum caligat humanum genus, & quicquid ubique, & quicquid nusquam est, in medium proponit vestigandum; terras, tractus maris, circufusum aerem, lunae aethera finitimum, caeli templa stellimicantia, & quaecumque iis dirimuntur, seu Epicuri intermundia illa sint, sive atomi, seu immensa spatia inanitatis. Haec quidni Sophiae candidato salivam moveant, dum secum reputat, sibi mortalium uni naturae dimoto velo, sinus pandi, aeternitatis adyta patere, obvia astra fieri terras incolenti? Tali plane mercede vel Cratetis pera maxime placeret, nisi spem, atque adeo adsurgentem coeptis animi ardorem timor frigefaceret, ne tam praeclara pollicita aurae differant. Qui sane timor ut non de nihilo natus videatur, facit discors philosophorum de rebus etiam minimis dissensio. Ajunt, negant, ambigunt de lana caprina saepenumero, aut de fumi umbra, studio rixandi inflammati, veritatis plus nimio securi. Hinc aestum fluitantis animi in adversum litus jurisconsultorum quosdam rapuisse, sed nullum operae ob pretium. Nam qui domi elegantiores literas gustassent, eas periculum esse ne plane dedisceant, si istorum elingues glossas audire pergant; qui gemmea veterum jurisprudentum dicta, candore Romani eloquii nitentia, suis interpretationibus infuscant. Nam amoeniora illa artium organicarum non tanti esse, ut in iis immorari quisquam multum debeat, aliorum gratia inventa, & pueris potius quasi melimela relinquenda, ante pedem quam ulterius promoveant in Musarum graviorum penetralia. Se quidem,* dicebat, *postquam nec philosophia promissa expedit, nec leges satis legitime traduntur, & disciplinae mathematicae, quas* superficiarias *Seneca appellat, metam illam nequeunt contingere, quae effuso humanarum cogitationum cursui proponitur in hoc vitae circo, quaesitae rei si non ipsum cubile, at saltem vestigium aliquod comperisse haud ita pridem, dum forte die striato*

*scho-*

*scholas ea fine introisset, ut exiret in forum profecturus. Ibi enim Dominicani sodalitii doctorem audisse primum sacrorum bibliorum, qui* Genesis *inscribitur, interpretantem mirifica rerum subtilissimarum ubertate. Ab eo se ita captum, ut non sine numine Divum eo se pedes duxisse crederet. Fixum itaque esse, immotumque sibi, aliis curis procul ablegatis, non alibi jacere cogitationum suarum anchor..m, quam in illa statione omnium tutissima.* Quod & porro haud cunctanter praestitit, se totum theologorum praesertim antiquorum lectioni applicans, unde se una opera haurire pietatem, literas, eloquentiam dicebat.

(*a*) Patavio digressus *Maurocenus*, non cruda adhuc, ut plerique omnes, studia, sed ingens secum nomen, summamque eximiae doctrinae laudem ad suos retulit: in congressibus absque assentatione blandus; in disputando, ubi plerique contentiosis pertinaciis rixas, & clamores quaerunt, placidissimus; erga omnes exprompti officii, ac facilitatis. Nihil enim vir ad lenitatem natus magis oderat, quam refractaria, ac retrorsa ingenia quorumdam, qui tanta asperitate morum inhorrescunt, ut ea in familiari colloquio omnino negligant, quae & sibi honesta, & aliis grata esse possint, offensae, ac gratiae pariter securi; quos etiam *humani generis paliuros* apto satis nomine vocabat: sicuti quos in Principum aulis ambitio torquet mala, aut spes coenatica, *Ixionios amicos* appellare erat solitus; ad parasitos Heliogabali alludens, quos labes illa augustae dignitatis, Caesarum carcinoma, aquariae rotae alligatos fitularum ritu sic circumraptabat, ut modo caput in altum tollerent, modo mergerentur per vertiginem. (*b*) Hujusmodi hominis sales transmarino lepore, thymoque plane Attico respersi ab amicis quamplurimi narrantur. Nos nonnullos in gratiam lectorum memorabimus. Amico utebatur fluxae, & letheae propemodum memoriae; quem cum audisset morbo difficili implicitum in eo esse, ut ad plures iret, ad circumstantes conversus, *Quam vereor*, inquit, *ne familiaris noster bonae vir memoriae, & quidem Mnemosyne inconsulta, brevi fiat.* Sic enim de mortuis loqui mos obtinuit, valetque id dicti apud nos tantundem, quantum ὁ μακαρίτης apud Graecos olim, vel apud Latinos veteres, si Persio Satyrarum scriptori credimus, beatulus. In eodem genere ponendum est, quod *literaria nucleo cassa putamina* vocabat rerum inanes, sed tantum ore obstreperos disputatores. Eximie scitum item illud ejus dictum de viro barba tenus sapiente, qui tonsorum tabernas cane pejus, & angue devitabat; *Haud inconsulto eum sane facere, qui sibi ne pilum quidem de sua sapientia demi pateretur*. Idem civium quemdam nactus ingenii minime exprompti, sed rerum semel apprehensarum retinentis, cum id illi plus nimio doleret, nec naturam tamquam novercam incusandi finem faceret: *Quin tu potius*, inquit, *tibi gratularis, qui ingenium habeas non aureum, quod Socrates a Diis sibi dari votis postulabat, sed gemmeum plane, & cui cognationis cum adamante multum intercedat:* vitium hoc scilicet quantivis pretii semper fuit habitum aegre se insculpi finere doctrinarum notis, seu quia discere ipsum pati quoddam est erectae indoli, & ad actionem natae parum congruens; sive quod raptim hausta repente effluunt: idem Plutarcho teste Catoni Uticensi accidisse, quo nihil habet Romana gravitas memorabilius, quod Graeciae in suorum laudes disertae regerat: idem Cleanthi, Stoicae porticus columini, cujus ingenium praeceptor Zeno (si fas ita loqui) duricerio pugillari comparabat. *Equidem perdociles istos*, ajebat, *nihil moror, qui quodlibet discunt, dediscunt e vestigio, obliviosos, hodie rudiarios, cras rudes, & gypsatae recens tabulae persimiles, quos erudire brevis perinde labor, ac vanus fuerit*. Plura in hanc sententiam addebat, quae singillatim recensere ad ulteriora festinanti nihil est necesse.

(a) *pag.* xiii, *lin.* 18.

(b) *pag.* xxxviii. *lin.* 10.

Haec

Haec sane ratio, & tamquam vitae cursus *Mauroceno* fuit publicis curis nondum occupato: haec provincia tam ampla ditione circumscripta, quam philologiae, artiumque liberalium fines late patent; in quarum ille spatiis assidue ingenii vires exercebat, negotioso otio indulgens, & nunc stylum lectione alens, nunc commentationibus variis exercens, modo controversias declamitans, modo disputans de natura cum amicis, quorum ita copia florebat, ut (*a*) ad ejus aedes tamquam ad Athenaeum quoddam concursus fieret studiosorum, quibus populosa civitas, & commerciis exterorum celebris maxime abundat. (*b*) Ad rempublicam accessit jam famae inauguratus, cum primum ei licuit per annalem legem, vigesimum quintum ferme natus annum, itinere ad honores prono, nempe quod ejus majores illustribus pressèrant vestigiis, (3) pater etiam tum tereret, Senator priscae innocentiae, & qui exemplo, dictisque filium admonere posset muneris suscepti, unius omnium, quae juventuti patriciae contingunt laboriosissimi simul, simul honestissimi. Nam ejus qui compotes evadunt vocanturque vulgo *Sapientes ordinum*, sanctioris Collegii pars fiunt, quotidie in commune consulunt, indictis diebus in Senatum veniunt, sententiam rogantur, quamvis jus ferendi suffragii non habeant. Eo ille in munere ita se amplissimo ordini probavit, ut in ejus sententiam Senatusconsulta non raro fierent. Erat enim hominis oratio ad persuadendum maxime apposita, rerum, verborumque juxta dives, neque parum vehemens. Accedebat actio, quae in artibus rhetorum est instar omnium, non illa elumbis, languidave, sed quae firmitate laterum, & vocis gestusque moderatione auditores, cum in Senatu necessitas censendi incidisset, & oblectaret in primis, & moveret plurimum. (*c*) Unam in eo staturae legitima mensura brevioris dignitatem ne admodum desideraremus, vir alioquin anxii cultus corporis indiligens, altiori subere mulleis suppacto, sedulo adnitebatur, haud ita tamen, ut non eisdem jocis dicacium appeteretur, quibus sua aetas Licinium Calvum, oratorem disertissimum, per urbanam lasciviam fuit prosecuta. Quos ipse liberae civitatis, & in dicteria profusae jocos non aliter, quam homines belli soleant, ferebat juvenis adhuc, & per comitatem, affectatam hodie plerisque, sibi plane ingenitam, aequalium coetibus se inserens; praesertim cum *non sui juris fuisse* diceret, *ea proceritate nasci, ut caput ad fornicem Fabii demitteret: Tydeo modo similis evaderet, non se multum Polyphemis invisurum*.

(a) pag. xviii. lin. 8.

(b) pag. xxiiii. lin. 26.

(c) pag. xxxvii. lin. 27.

Varie opinionibus veterum certatum fuit, liceret, nec ne rem capessere publicam viro sapienti: plerisque quidem molestissimi hujus muneris vacationem ei in omne tempus tribuentibus, veritis, credo, ne sublimibus curis assuetus, a quibus nonnulli ne avocarentur, opes, urbesque ipsas doctrinae studiis posthabuere, humilia ista tamquam se indigna aut fastidiret, aut plane negligeret: aliis vero non ante in communium rerum procurationem sapientem ire permittentibus, quam tempora tulissent, nodusque tali vindice dignus incidisset aliquis; tum demum illum quasi scenicum ex machina Deum accessurum, laturumque auxilium; ficulneum medius fidius, atque perridiculum futurum, nisi prius partem reipublicae aliquam serio attigerit, in eaque se exercuerit, regendo per vices, parendoque: quae eximia est, & laudibus nunquam pro dignitate adaequanda rerumpublicarum temperatio,

(3) *pater etiam tum tereret*) Ad *Sapientum* subsellia promotos utrumque filium, *Andream* & *Nicolaum*, quae magna fuit ejus felicitas, *Jacobus* vidit; hoc tamen infelix pater, quod *Nicolao* superstes fuit, cum tandem solum obierit anno 1604. mense aprili.

(4) Ma-

tio; praesertim ubi ornamenta Senatus, & beneficia comitiorum non minore virtute retinentur, quam primo comparata fuerant. Currum ut non temere auriga regat, tempore illi opus est, vigilique opera; nec gubernatori sedere ad clavum lex nautica permittit, nisi prius proreta fuerit, & tu artem difficillimam omnium, quas usus reperit, aut genuit industria, populos regendi, quatriduo edisci posse arbitraris? Haec cum dici, credique soleant stultissime, *Maurocenus* quidem, etiamsi aliae rationes deforent, exemplo suo litem hanc diremit adversus eos, qui sapientem, tamquam negotiis imparem, atque subineptum, a vestibulo curiae longe arcent: idem studiis bonus, rebusque agendis habilis; veluti Asteropaeus alter, utramque Spartam, quam Dei beneficio, virtuteque sua nactus fuerat, pariter exornans, totidem ferme annos, quot ab ipsis civilis ejus vitae initiis ad ultimum usque aetatis tempus interjectos vixit. Quas enim ille ferias subsecivas a labore habuit, cui nullus fere dies sine linea est conditus, nulla nox effluxit cogitatione publici boni haud interfecta?

(*a*) Per omnes honorum urbanorum gradus, quibus summa in patria auctoritas acquiritur, ivit inoffenso pede ambitionis juxta, ac repulsae expers, quamvis in ea tempora incidisset, cum mores ad honorum appetitionem nimiam incubuerunt. Mature accusator reorum publicus creatus fuit, quod munus justitiae Venetae pro telo est ad gravia crimina poenis coercenda. (4) Mature in Senatorium ordinem allectus, &, si quid ad rem facit, adhuc filius; cui ille nomini cum longam aetatem pro pietate sua precaretur, haud frustra fuit, patre indeflexis pene viribus vigente, florenteque non tam propriae, quam nati laudis praeconio. Exinde ad clavum Reipublicae diutius persedit praeconsultor major, qui magistratus in primis & putatur, & est revera longe maximus, postquam res continentis, quae Venetae ditioni accensetur, (*b*)cum *Nicolao* fratre, virorum (utinam non olim) optimo, publicoque ob summam eruditionem Bibliothecario, ita procurasset vicibus alternis, ut raro admodum exemplo alter alteri, veluti Pollux Castori succederet, donec in terris esse *Nicolao* licuit; quod haud diuturnum fuit, Deo ipsum quadragenario paulo majorem eo evocante, quo se hinc statione peracta ingentes animi, singularique virtute praediti recipiunt. (*c*) Procurationem Marcianam, quam & meritum viri, ipso licet recusante, flagitabat, & suffragatorum ei consensio pridem destinaverat, mors nec dum satis matura, si aetatem cogitas, eripuit, indignantibus bonis fata obstitisse, quominus singulari ejus virtuti magnus in patria honos, & supremo propinquus haberetur. (*d*) Etsi erant, qui praefecturam sacrorum illi praeoptarent memoria meritorum, & in futurum spe, rati nihil, ipso aris praesidente, quod in rem Venetam foret, numen negaturum. Nulli certe civium sua aetate publica pietas, cum maxima decora honorum contulisset, majora se ei debere ita est conquesta, ut ingrata pene sibi videretur: illum quoque, imo illum maxime, inter eos numerans, quibuscum paria facere pro benefactis nemo, licet officiosus, fane possit.

*(a) pag. xxiiii. lin. 26. & seqq.*

*(b) pag. xx. lin. 8.*

*(c) pag. xxxiiii. lin. 1.*

*(d) pag. xxxiiii. lin. 5.*

Profecto cum eorum fere omnium, qui reipublicae operam impendunt, vita, veluti mimus quidam fit ex multis permixtus actibus statariis non minus, quam motoriis, dum vel provincias ex magistratibus urbanis sortiuntur, paludamentisve praetextas mutant, vel ad Reges magnis de rebus legati



(4) *Mature in senatorium ordinem allectus, &... adhuc filius*) In Senatum lectus est primum, viro adhuc patre, anno 1600. VIII. kal. oct.

gati adeunt: ejusmodi vero munera eximiam dignitatem habeant voluptate etiam cum aliqua conjunctam, quae partim ex remissione animorum oritur non eisdem semper cogitationibus vacantium, partim ex perlustratione variarum regionum, morum externorum observantia, officii amplissimi splendore: *Mauroceno* eo major debetur laus, non sane quod, occasionibus peregrinationum saepius omissis, certe non captatis, quibus Vlysseae prudentiae commeatus quaeritur, domi veluti alter Vatias Servilius tamquam in conditivo situs, nunquam se in lucem, diemque proferens senuerit; sed quia ei in ipsa urbe provincia contigit laboriosior, & quae universam ferme Rempublicam complectebatur fide, ac sedulitate. Nam assidue in stativis quasi radicibus defixum permanere, nec unquam ne transversum quidem unguem a procuratione publica discedere, haud ego quidem humanarum virium, quae continuatione non minus, quam uniformitate operis lassantur, sed divinarum mentium proprium putaverim, quibus contagio corporis non adimit, ne caelo tantum vacent, unoque, ac perenni obtutu omni alia solutae cura idem speculentur, Deo, quamvis immenso intervallo, proximae. Haec mea mens eventu citius firmata, quam putaram, quamque Reipublicae intererat, quae *Mauroceni* operam tam diuturnam voluisset, quam assidua fuit. Sed quis se tot laboribus parem esse postulet, qui nec Talus sit, quem totum ex aere conflatum perhibent, nec Didymus ille vetus Criticus, cui indefatigabile studium in literis Chalcenderi cognomentum fecit? In dies senili specie magis apparere, licet intra senem; caput festinata canitie albescere; oculorum habetari acies; vultus rugis exarari; vigor ille corporis, in quem tanta moles curarum incubuerat, paulatim carpi, & ab animo tamquam commeatum causariae missionis petere, sed frustra. Fixum scilicet ei animo haerebat, Senatoris esse vitam in ipso munere relinquere non minus, quam Imperatoris populi Romani, stantem morte praeveniri, quod Vespasianus dixisse traditur, dum in eo esset, ut Divus fieret. Et profecto nusquam vir patriae bono natus mori, quam in patria, debuit convenientius; ut ubi tot animi ejus praeclara monumenta retinentur, ibi & corporis tumulum posteri suspicerent, argumentum lacrymarum, indicem virtutis.

Aegre ab ipso demum fuit impetratum, ut saltem feriis vindemialibus, cum Senatus infrequens habetur, Patavium secederet in aedes Superantianas, quas sui in hanc rem praecipue conduxerant peramoena ad Medoaci ripam urbis regione, ne deesset locus, ubi animi vires recolligeret, si adhibuisset, publicis curis fatigatus, quibus (a) praefectura, tutelaque legum auctarii loco accedebat, Atheniensium Nomophilaciae nomine non magis, quam munere ipso comparanda. Eo se ille, cum rusticatione minus caperetur, curiae, hoc est, curis assuetus, nonnunquam transferebat brevi, pervioque itinere, otiandi animo; quem tamen novae subinde occupationes ita distrahebant, ut mutasse curas, non abjecisse videretur. (b) Admittendi erant domi professores, consilia cum eis crebro ineunda ex suscepto munere literarii Triumviri. Quod sane illi munus distractissimo tantis negotiorum curis, ut commendationis, & materiae doctos officii demerendi afferebat plurimum, ita & molestiae non parum, dum academiae Italicarum celeberrimae, quam sibi exornandam sumpserat, rationibus opportune cupiens consultum, eo undique, propositis honorariis, ingenia praeclara, & in nomen liberalium artium studiis itura vocat, providetque sedulo, ne vel juventutis libera nimis, ut fit, lascivia morum disciplina exolesceret, vel doctorum indiligentia. Quae, ex quo ambitio animos incessit, scholas agminibus juniorum sti-

(a) pag. xxxii. lin. 15.

(b) pag. xxxiii. lin. 20.

ftipatos ingredi, adeo in immenfum crevit, ut jam ferie inverfa praeceptores difcipuli vectigales habeant; leges ei feriandi non modo praefcribant pro arbitrio, verum etiam ne ultra laconicam clepfydram praelegant, fruftra adverfum perditum hunc morem obnitentibus Triumviris. Atque utinam ne tanta licentia literis aliquando afferat juftitium, ne dum ferias fcholis longiores. Nam quem fervor ille aetatis timeat in abrupta praeceps, poftquam timeri a magiftris coepit? Quos, nifi dicto paruerint, paftoricia fiftula excipiunt, aut ita folos in fcholis fubito deftituunt, ut furdis auditoribus, pluteis utantur. Affervantur apud nos in fcriniis Mufarum, ejus literae Patavio ad me tranfmifsae, in quibus feria jocis quafi infiticiis, ut faepe, temperans ita argutatur: *Mutaticnem laberum refectionis fibi effe loco*; *curas, veluti convivales olim umbras fummates vires ad coenas, fe, quocumque pedem extulit, iniuffas profequi; Achatem fuum illas effe, fi vera de ejus nominis etymo a Virgilianis interpretibus narrantur, de voce graeca id deflecti, quae in latinum verfa folicitudinem fignificat, eftque Rempublicam adminiftrantibus comes omnium horarum*. Tempus erit (ut ingentium virorum veftigia cupide nofcuntur, monftranturque) quo pofteri geftient invifere penates, quos tantus implevit hofpes; quae fpatia ejus inambulationes; qui remifsiones horti excepere; nec minori celebritate memorabitur angulus ille felix amoenorum moenium Medoaci fluctibus amcinctus, quam olim Lucrini littus Publii Scipionis feceffu nobile; nifi ingrati effe voluerimus erga viri meritum, qui non, ut Hermes vialis intento digito, fed officio, fermone, &, quod fermone ipfo multo eft praeftantius, exemplo iter fuis civibus monftrabat ad virtutem.

Locus me admonet, ut aliquid dicam de felectarum *Epiftolarum* voluminibus, quas ille ad diverfos dedit perquamplurimas philologas, hiftoricas, familiares, fcribendi genere facili, & illaborato (comendae enim orationi gravior jam annis non immorabatur) fed perfpicuo, fententiifque crebris, quafi gemmarum coloribus diftincto. Inter eas longitudine, & elegantia pariter excellit (nam longiffima earum quaeque, quod de Archilochi iambis critici dicebant) ferme eft pulcherrima, qua *villam Hieronymi Fabricii*, *Pendentiaquenfis Medici*, defcribit, vel depingit verius adeo iconice, ut infanas hominis fubftructiones, hortos penfiles, collefque felicium arborum confitos nemoribus, quos ille, Xerfes e chirurgo factus, e manubiis aegrorum in planitie fuburbana excitarat, lectori ob oculos ponat intuendos. Sed quid ego peplum aeftimare pergo de lacinia? *(a)* Ingentis opus argumenti, ftudiique condidit, unde viri ingenium penitus cognofcitur, *Hiftoriam rerum Venetarum* ex decreto Decemvirum, *Paulo Parutae*, qui prius in eodem fcriptionis genere ftylum fumma cum laude exercuerat, fuffectus. Hoc opus, cui tot annorum fuccefsiva tempora dicaverat, magna ex parte affectum, etfi mors tamquam violentus tribunus interceffit, ne perficeretur, cura tamen *Pauli*, Senatoris optimi, & *Jacobi* filii, juvenis lectiffimi (quae eft eorum in fratrem patruumque pietas) minime committet, ut cum blattis diutius luctetur: votis certe ftudioforum minus expetitum ut in lucem prodeat, ejus quantumvis properata facere non poterit editio. (*b*) In eo (vide mores ab inani jactantia immenfis fane fpatiis diremptos) cum res, ipfo jam publicis confiliis admoto fummopereque adnitente, decretas in Senatu memoraret, nunquam induci potuit, ut de fe, praeclarifque fuis inter diverfa fententientes differtationibus verbum ullum faceret, magna hiftoricorum omnis aevi exempla fecuturus, fi feciffet. *(c)* Ejufdem quoque varia *opufcula*, *elegiaque* quamplurima leguntur, quibus ille, ad hiftoriam veluti praeludens, amicorum fupremis parentavit: quo-

(a) *pag.* xiiii. *lin.* 20.

(b) *pag.* xxxi. *lin.* 6.

(c) *pag.* xiiii. *lin.* 13.

g 2 rum,

rum, dum viverent, familiam ducebant *Christophorus Valerius*, & *Joannes-Franciscus Mussatus*, alter florentis facundiae Senator, alter literariae dignitatis columen apud Patavinos.

(a) pag. xxxvi.lin.1. (*a*) Postremo cum aeger curis in Senatum praeses publici consilii venisset, ibique suborta, ut fit, in Curia acriori altercatione, semel atque iterum solito vehementius dixisset e suggestu, excandefacto per vocis, laterumque contentionem corpore, in ifterum primum incidit, morbum candori pectoris ejus parum consentaneum: deinde intra paucos dies, succedente virium defectu, sancte, & qua eum pietate in Deum decuit, vitae diem extremum clausit XIII. kalen. julii, anno M. DC. XVIII. devexa sane aetate, non negamus, neque ideo tamen tam praecipiti, ut in extrema, quod ajunt, tegula illi standum foret; vixdum enim annum LX. expleverat, immortali senio, vel juventute potius dignissimus. (b) pag. xxvii.lin. 23. (*b*) Corpore crasso magis, quam procero fuit, cervice leviter erecta, facie bene lata, dignitatis plena, oculis micantibus, laetisque, & qui animi mores praeseferent; barba, ac capillo, dum eis, per canitiem, sui coloris esse licuit, subruso; voce qualem futuro oratori rhetores praescribunt, clara, concioni pergrata, & phonasci opera minus indigente; aspectu denique ita liberali, ut in eo morum probitatem facile agnosceres, ingenii vim non invitus crederes. Somnus ei fuit brevis, & vigiliis saepe intercisus: cibus paratu, concoctuque facilis: potus in dies multo intra heminam. Cultus, supellectilis, pecuniae contemptor extitit mirus; &, si bibliothecae instruendae studium excipitur, nullius earum ferme rerum appetens, quibus mortalium mentes ad insaniam usque capiuntur. Inambulationibus, quoties a *sedentario opere* (sic munus senatorium vocabat) otium dabatur, ita oblectare animum solebat, ut Peripateticum germanum facile agnosceres. Harum socios habebat amicorum obvios, vir apprime comis, & cujus familiares virtutes, atque penetrales forensibus, ac senatoriis non impares humanitas infucata ita condiebat, ut philtri esset loco ad omnium sibi studia concilianda. Sermones erant tempestivi ex eorum genere, qui vel rimosis auribus tuto committuntur; nam arcana rerum, quibus stat publica securitas, non ille sane aliter tegebat, quam olim sacra opertanea solebant, qui Eleusiniis mysteriis initiabantur. Theatralibus ludis, omnique spectaculorum genere, etiam cum per aetatem licebat, obsirmato animo abstinuit non minus, quam Herculano sacrificio mulieres; illud subinde repetens, *sibi minime verendum esse, ne oblectamentum otio suo deforet, donec typographorum operae praela contorquerent; aut amanuensis calamo, anagnostes lingua uti posset:* ii enim, si quis feriatus inciderat dies, aut ab interventoribus omnino vacuus illi, scenici, ii circenses erant, nihil minus timenti, quam se sibi remotis arbitris relinqui.

(5) Elatus fuit funere privato, luctu publico; (6) virginali serto caput redi-

---

(5) *Elatus fuit funere privato, luctu publico*, &c.) Eadem legito apud *Jacobum Gaddium* in *Elogiographo*, pag. 117. *Fu publicamente pianto, benche sepolto con essequie private, coronato il capo di laurea virginale*, &c. *Fu onorato di nobili elogj dalli amici, infra i quali Monsignore* Luigi Lollino, *Vescovo di* FELTRE, *sodisfece all' obbligo dell' amicizia con diverse* Poesie, *e col descrivere la* Vita *del rapito amico, con esemplare carità, e con eloquenza mirabile*. Fallitur tamen hic *Gaddius* dum *Lollinum* FELTRENSEM episcopum pro *Bellunensi* vocat, fortasse deceptus, vel quia *Feltria* est *Belluno* contermina; vel quia *Feltrensis* & *Bellunensis* ecclesia aliquando ab uno regebantur Antistite.

(6) *virginali serto redimitus*) Mos est Venetiis, ut puellis puerisque, qui illibato aetalis flore decesserint, serto, dum efferuntur, tempora praecingantur, quod scilicet *aureolam*, qua in

redimitus, quod ex relatu sacerdotis, quo ille ad sacras confessiones uti erat solitus, vitae ejus caste, puriterque actae debebatur. Tumulum certatim elogiographi monumentales celebrarunt. (7) Ego, ne clam Musas meus esset dolor, excessum optimi, quem in caelo, ut opinio est, merita locarunt, non uno genere *carminum* deflevi; quae, inculta licet, quia affectum animi in lacrymas effusum exprimunt, nec timor est, ne judicio favor virtuti debitus officiat, haud aegre sum passus exorari ab amicis, uti ederentur; simul ut posteris (si quid tamen mei ad posteros perveniet) contestatum monumento aliquo relinquerem, mihi *Maurocenum* etiam post fata vivere, victurumque ab oblivione intactum, fama notum, qua virtus, qua literae noscuntur.

g 3

in caelis insigniri virginitatem theologi docent, significet. Hac luculenta vitae innocenter actae nota, grandiores etiam natu viros, vel bona apud populum fama, vel ipso etiam confessario probante, honestari, pulcherrimum apud nos ducitur; neque secus alii sentient. Alienae autem ab omni voluptatum genere vitae hoc testimonium *Mauroceno* datum, testatur, praeter *Lollinum*, & *Gaddius* in *Elogiographo*, l. c.

(7) *Ego, ne clam meus esset dolor*, &c.) Non potuit *Lollinus* suae futurisque aetatibus non significare quo amore viventem *Andream* sit complexus, quo dolore mortuum prosecutus, edito ad amici laudem, moerorisque sui testimonium, libello perleganti, cui titulus: Aloysii Lollini, *Episcopi Bellunensis*, *Lacrymae in funere* Andreae Mauroceni, *Senatoris optimi*, *scriptorisque rerum Venetarum disertissimi*. *Patavii*, *typis Laurentii Pasquati impressoris cameralis*, 1619. in 4. Constant eae *Lacrymae* prosa oratione breviuscula, & *Epicedio carmine*, cui succedunt alia non uno metri genere contexta *epigrammata*. Symbolam contulere graece, latine, italice viri ejus aetatis eruditissimi, ac *Mauroceno* amicissimi, quorum lucubratiunculae *Lollinianas Lacrymas* praecedunt. Omnibus praeit ejusdem *Lollini* salaecium ad *Octavianum Bonum*, quod nuncupatoriae epistolae locum videtur implere: subsequitur *Laurentii Pignorii* epistola ad Lectorem, ubi sub initium converso ad exstinctum *Maurocenum* sermone, ita *Lollini Lacrymas* laudat. „ Fortunatam tui memoriam, *Andrea Maurocene*, cui praeter sapientiae, humanitatis, caritatis in patriam, moderationis, integritatis laudatissima, & nunquam intermoritura ornamenta, haec demum a fato, & pene posthuma contigit laus, ut *Lollini* praeconium nancisceretur. „ *Lollinus*, pro sua animi moderatione ita de iisdem *Lacrymis* reseribit viro clarissimo *Vincentio Contareno*, qui illas legerat, & maximis laudibus extulerat. „ Non ita me meaque perdite depereo, ut non videam, siquid in iis placui, quae in *Andreae Mauroceni*, funere conscripsi, argumenti esse potius, quam artis, quae, ubi affectus doloris ac desiderii deferbuit, quam sit in me exigua, facile cognosces vel ex harum literarum scriptione. Ille mihi ingenium animosque dictus faciebat etiam post fata, cujus vivi amore nihil in vita habui jucundius, &c. „ Vide *Lollini Epistolas*, pag. 206. Aliis quoque literis ad *Henricum-Catharinum Davilam*, pag. 227. *carmina* haec ait, *quibus amici magni fata eluxerat*, *crudo adhuc dolore*, *necdum adhiberi sibi medicinam patiente*, *ab* Octaviano Bono *clam se edita fuisse*. Tum haec subjicit „ In his haud sane video, quid probare possis, praeter argumentum: quod ingenii vires si non fovit, certe, quod verendum jure fuerat, minime oppressit tanta mole virtutis dignitatisque, &c. „

# ANDREAE MAUROCENI OPERUM *ELENCHUS.*

MUlta *Andreas Maurocenus* posteris reliquit ingenii sui monumenta, omnia tamen in privatis scriniis latentia, calamo tantum exarata. Quamquam enim publica luce dignissimum erat quidquid ipse perscripserat; homo tamen modestissimus, judicioque suo parum fidens, nihil, quod mihi quidem constet, evulgari vivens passus est. *Paullo* ejus fratre, magna doctrina viro, ac praestantissimo Senatore, curante, post auctoris obitum, nonnulla ex ipsius operibus in lucem emissa sunt. Horum tandem elenchum subjicio.

## *Opera edita.*

I. *Historia Veneta, ab anno* M. D. XXI *usque ad annum* M.DC. XV. *Venetiis, apud Antonium Pinellum*, M. DC. XXIII. in folio. Duodeviginti libros complectitur. *Paullus Maurocenus*, *Andreae* frater, eam Duci Antonio Priolo, & Excelso Xvirum Consilio inscribit. Epistola nuncupatoria Ducem Priolum allocutus, minime dubitare se, ait, quantam capiat vel inter mortuos *Andreas* frater voluptatem, quod opus hoc sub amplissimi ejus nominis patrocinio evulgatur; „ ea potissimum ratione adductus, ut quem summa semper observantia coluit, quocum in plerisque obeundis muneribus insudavit, cujus amorem atque benevolentiam „ fuerat expertus; eumdem quoque patronum vigiliarum suarum nancisceretur. „ Quamquam vero *Historiam* suam *Andreas* exorsus est ab anno 1521. ex eadem tamen *Paulli* nuncupatoria epistola apparet, longius ipsum, nisi mors prohibuisset, petiturum ejus initium fuisse. „ Sed AB ALTIORIBUS, uti moliebatur, INITIUM NE SUMERET, neve ad proxima „ accederet, FATA OBSTITERE. „ Crediderim, illinc *Andream* narrationis suae initium capturum, ubi *Petrus Bembus* desiit, ut continenti serie per *Sabellicum*, *Bembum*, & *Maurocenum*, latinis literis tradita essent a primis Reipublicae temporibus rei Venetae monumenta. Fieri etiam potuit, ut a condita Venetiarum urbe ad sua tempora historiam deducere moliretur, forte ut nimiae *Sabellici* credulitati, ac indiligentiae mederetur. De *Mauroceno* ejusque *Historia Georgius-Matthias Konigius* in *Bibliotheca veteri, & nova*, &c. *Altordorfii, typis Henrici Mayeri*, 1678. in fol. pag. 521. haec habet: „ MAUROCENUS (Andr.) Senator Venetus, condidit *Historiam Venetam* AB AN. 1612. AD AN. 1615. &c. „ Apertissimus hic error *Konigii* est, cum *Maurocenam Historiam*, quae propemodum *ἑκατονταετὴς* est, *τριετηρικὴν* faciat.

II. *Opusculorum, cum ejusdem Epistolis, pars prima. Venetiis, apud Antonium Pinellum*, 1625. in 8. Haec quoque *Paullus*, fratre defuncto, publici juris fecit, ac Joanni Cornelio, Principi, dicavit, quae ait, ab eo, dum a publicis muneribus vacabat, mediisque in laboribus *Venetae* conscribendae *Historiae*, lucubrata. Porro subjicit, nihil tantae venerationi convenientius, nihil accommodatius a se praestari posse, quam amplissimo nomini atque auctoritati Cornelii Principis haec *Opuscula* commendare: „ Non ignarus abs te eadem humanitate ac beni„ gnitate accipienda, qua eximiam ipsam fratris mei erga te reverentiam reminisci & recorda„ ri solitus es. Ille fortasse, tecum dum in Reipublicae magistratibus obeundis insudavit, aut „ in privatis congressibus, aliquid ex hisce *libellis* haud raro contulerit. Hos enim vera pie„ tate atque religione refertos, quam in omni vita coluit ac praesetulit, non ignorabat, gu„ stui, atque adeo mentis tuae sensui mirifice convenire: cum ex isto sublimi & excelso so„ lio non modo propria pietatis luce eximie splendeas, sed Reipublicae totius religionem „ & sanctitatem ad vivum expressam, glorioso & praeclarissimo exemplo repraesentes. „ Haec autem sunt *Opuscula*, quae *prima* hac *parte* continentur, quae tamen una adhuc in lucem prodiit.

1. pag. 5. *De beati Thomae Aquinatis vita, obitu, gestis, moribus, doctrina, scriptis commentarius*. De hac *Vita* velut scorsim a ceteris *Opusculis* edita nonnulli meminere.

2. pag. 53. *De sacris lipsanis, sive reliquiis in divi Marci templo inventis*. Joannes Cornelius; id temporis aedis sancti Marci Procurator, deinde Venetiarum Dux, anno 1624. postridie idus maj. creatus; cum anno 1617. ejusdem aedis, cui in singulos annos singuli Procuratores praesunt, praefecturam iniisset, ac XV. kal. maj. a praecessore suo Francisco Mauroceno, de manu, ut ajunt, in manum traditum, marcianum gazophilacium acciperet; quo-

dam

dam in loco, quem observarat nemo, magnam sacrarum *reliquiarum* vim, quarum omnis memoria exciderat, latentem detexit. Hujus successus historiam fuse perscripsit vir genere, doctrina, ac morum sanctitate insignis *Joannes Theupolus*, tum marcianae basilicae Primicerius, deinde Venetiarum Patriarcha, anno 1619. VI. idus oct. renonciatus; ac in lucem eodem anno 1717. in 4. emisit typis Pinellianis, cujus altera editio priori auctior, hunc titulum praefert: *Trattato delle santissime reliquie, ultimamente trovate nel santuario della chiesa di san Marco*. Haec eadem hoc *Opusculo* persequitur *Maurocenus*. Hujus opellae idem meminit duabus ad *Lollinum* epistolis, quarum prima, pag. 242. eam ad *Lollinum* missutum se pollicetur; altera, pag. 200. missam a se ait. Huic vero cum *Lollinus* rescriberet, pag. 116. *hanc ingenii ejus foeturam* vocat *doctam, piam, elegantem, & eo magis ornatam, quo inelaboratior videtur*. Meminit etiam alibi *Maurocenus* scilicet in *Historia expeditionum Terrae sanctae*, cujus infra sermo erit, pag. 205. *Si trova nelle publiche memorie, che essendosi nel tempo del principato di Giacomo Tiepolo acceso il fuoco, dove erano riservate e custodite con altre queste due pretiosissime reliquie* (crucis scilicet Redemptoris fragmentum in minorem crucem conversum, ac sanguinis ampulla, miraculo ex Christi imagine expressi) *furono ambedoi ritrovate illese; del qual miracoloso accidente havendo diffusamente scritto nel trattato* de sacris lipsanis in divi Marci templo inventis, *ad esso rimetto il curioso lettore*.

3. pag. 73. *Meditationes*, quatuor numero: *Christus pedes discipulorum abluens; Christus crucifixus; Christus resurgens; Beatissimae Virginis encomium*. Stilo tenui ac perspicuo scriptae sunt; at piis sententiis refertae, ut satis ostendant, quam assiduus in sacris bibliis, sanctisque Patribus evolvendis auctor fuerit.

4. pag. 99. *De zoophagia, & antropophagia commentarius*. Eruditissimus hic tractatus, in dialogi modum conscriptus, in duas dividitur partes. Priori parte, permissa ne sit homini *zoophagia*, hoc est animalium esus; altera, cur *antropophagia* interdicta sit, hoc est cur vetitl homines hominibus vesci, investigatur. Duo tamen alia prius auctor quaerit; num scilicet ante diluvium animalium carne vesci hominibus liceret; deinde cur post diluvium ejus esu permisso, cum sanguine tamen edere Deus vetuerit. Ex hoc doctissimo Opusculo intelliges etiam, quibus praecipue oblectaretur tantus Senator, cum, publicis curis ab animo dimissis, rus concederet. Nimirum maxima ipsi voluptas erat, Patavinam Carthusiam adire, ibique mutuis cum optimis illis coenobitis sermonibus aliquot diei horas fallere. „ Ad aedes illas (*Carthusianorum*) nonnunquam, cum Patavium vel valetudinis, vel studiorum causa accedo, diver- „ tere, beatoque illo otio frui solitus sum, &c. „ Id apparet quoque ex duabus epistolis *Stephano Galesio*, Patavinae Carthusiae praefecto, ab ipso datis. Prioris, quae exstat pag. 190. hoc est initium. „ Ficus seu caricas ad te mitto, &c. „ Est autem haec non eruditionis solum, sed salium etiam & leporum plena, quibus illud fructuum genus commendat. Eucharistica altera ob missa sibi jucundissima poma exstat pag. 242. Atque hic, „ Utinam vero, inquit, temp rum conditione, & te adeundi, & amplissimi istius coenobii invisendi mihi po- „ testas non praeteriperetur. Nihil optatius, nihil ad levandas animi molestiss opportunius ac- „ cidere posset. „ Quo tempore, quaque de caussa dialogus hic conscriptus sit, narrat auctor, qui illum his claudit. „ Haec, dum gravi oculorum morbo laborarem, neque domo pe- „ dem efferre possem, ac mihi lectio omnis interdicta esset, subcisivis horis, dum inducias mi- „ hi cruciatus daret, animi aegritudinis levandae causa, de *zoophagia* & *anthropophagia* excipienti dictavi anno M. DC. XV. mense octobri. „

5. pag. 143. *In Joannis Bembi, serenissimi Principis obitu, elogium*. Cum *Bembus*, civilibus bellicisque artibus clarissimus Princeps, anno 1618. XIIII. kal. april. fato functus sit; inter ea, quae sub vitae exitum Maurocenus scripsit, hoc *Elogium* est recensendum. *Lollinus* ea epistola, quae pag. 231. legitur, ita de eo scribit: „ Miro me quodam modo affecit BEMBUS „ TUUS, cujus tu non tam postrema defles, quam famam, vitamque adeo ipsam extendis „ decorosissimis praeconiis, unus, vel cum paucis, artem illam callens, qua fit, ne quos amamus, etiam post funera ipsa, Lethes oblivia excipiant. „

6. pag. 150. *De Aloysio Georgio, divi Marci Procuratore, elogium. Vincentius Coronellus* in *Catalogo Procuratorum divi Marci* mortuum refert *Aloysium Georgium* XIIII. kal. febr. anno 1615. m. v. cum tamen ea die minime decesserit, verum in majoribus Comitiis ejus mors evulgata sit, eique successor datus. *Ericius Puteanus* praestantissimo huic Senatori epistolam dedit, quae exstat pag. 571. inter ejus epistolas, quibus hic titulus est inscriptus: Ericii Puteani *Epistolarum atticarum promulsis in centurias tres distributa. Coloniae, sumptibus heredum Lazari Zetneri*, 1636. in 8.

7. pag. 161. *Christophori Valerii elogium*. Deflet hoc opusculo *Valerii* mortem, quam obiit Corcyrae prid. kal. quinctil. anno 1615. cum ex Byzantina lagatione in patriam rediret; captaque occasione, quae ab ipso, dum viveret, praeclare gesta erant, breviter coarrat. Hunc *Maurocenus* vivens titulum opusculo inscripserat: *Icon Christophori Valerii*. Occurrit pag. 207.

207. ejus epistola, qua hoc elogium *Francisco Ericio* suo misit. Pollicitus fuerat etiam, se illud ad *Lollinum* missurum; quod cum facere cunctatus esset, *Lollinus*, datis ad eum literis; quae pag. 3. exstant, eum ipso conquestus est. Misisse tamen aliquando, apparet ex ea quae sequitur epistola, pag. 4. qua *Lollinus* venustissimam lucubrationem graviter laudat. Epistola sic incipit: „ ICONA VALERIANAM, summa abs te rhetorum arte picturatam, simul „ ac perspexi, ita sum miratus, ut idem de ea plane senserim, quod de Phidiae statua anti- „ quitas, quam ob id *canona* appellatam ferunt, quod eadem aemulari studia volentibus, re- „ gulae esset loco, &c. „ Exit autem in haec verba. „ Vale decus nostrum, & carmen, „ quod his adjunxi de VALERIANA EFFIGIE, si vacat, perlege. Brevitate sua, puto, „ impetrabit, ut ne ineptissimum tibi videatur, etsi id mihi ne illa quidem satis persuadeat; „ adeo sum in foetus natura ἄστοργος. „ Porro epistolae epigramma adnectitur hoc titulo: *De Imagine* Christophori Valerii *ab* Andrea Mauroceno *descripta*. Haud injucundam rem facturum lectoribus spero, si illud exscripsero.

*Non hanc colore Zeuxis, aere aut Phidias*
IMAGINEM *effinxit: stylo*
*Sed* Maurocenus *aureo. Hinc injurias*
*Contemnet aevi, saeculis*
*Cessura nullis: sed per ora civium*
*Latura laudatum virum,*
*Cui saeva mors nil abstulit, ni obnoxium*
*Mortalitati quod fuit.*
*Vitam perennem nominis sed reddidit*
*Illi sodalis optimus.*

Redditae sibi cum hoc carmine epistolae ita *Maurocenus* rescripsit pag. 114. „ VALERII „ ICONA ita exornasti, atque in bono lumine collocasti, ut tuo munere fortasse illam erudita oculi non dedignaturi sint; licet τὸ πάρεργον majus τῷ ἔργῳ videatur. „

8. pag. 171. *De arrogantia*.

9. pag. 185. *Epistolae*. Haud multae hae plurimarum earum quas moriens reliquit, desiderium magnopere augent. Omnium prima *Francisco Ericio* data est kal. quinctil. anno 1614. laudaturque a *Lollino* datis ad eumdem *Maurocenum* literis. Vide sis *Epistolas Lollinianas*, pag. 65. Quoniam vero haec ad *Ericium* epistola, ob rerum quas continet nobilitatem, a nonnullis ceu peculiare *Opusculum* celebratur, juvat ejus argumentum referre. Describit hic *Ericio Maurocenus* amoenissimam ac magnificentissimam agri Patavini villam quam *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente*, *construxerat*. Huc ab honorato *Sene* amplissimus Senator *Andreas* vocatus fuerat, lautoque convivio exceptus. Acroamata interposita sunt; piscatio deinde, ac eicurum bestiarum, quae ad id alebantur, venatio. Prodiit tandem quaedam Dianae habitu, triumphali curru vecta, quae *Fabricii* librum *De musculorum artificio*, auro tectum, *Mauroceno* porrexit. Festiviorem nobilioremque donandorum maecenatibus suis operum rationem quis excogitet? Nuncupatoria *Fabricii* epistola gravissimis sententiis referta est; ea autem latini sermonis elegantia, quae omnia ejus opera valde commendat. Quamvis multa se debere Aristoteli ac Galeno profiteatur, minime tamen, hic ait, se ingrati animi notam timere, quod ab ipsis in hoc tractatu diversus abit, *coactus diuturna observatione*, *quae saepe veritatis index est*. Porro pergit: „ Quod si qui erunt mihi tam iniqui, ut negent, vel rem ita se habere, vel „ a veteri persuasione fuisse discedendum, faciam te judicem, *Maurocene* illustrissime, qui o- „ mnium bonarum artium cognitionem, theologiae, philosophiae, medicinae politiorum praeci- „ pue literarum ita cum civili prudentia conjunxisti, ut aeque in Veneto, atque in literario „ Senatu sis princeps, teque Respublica, ut semper rebus maximis administrandis, ita Historiis „ scribendis, literisque & earum amatoribus fovendis, praefecerit. Tu si me absolvis; quod „ facies ut spero, pro tua sapientia; negligam eos, qui a te dissentient, quem tantopere „ omnes admirantur, &c. „ Sed iterum ad *Mauroceni Epistolas*.

Pag. 194. *Epicedium* occurrit in mortem *Joannis-Francisci Mussati*, cujus supra meminimus. Pag. 214. quorumdam Venetorum patriciorum laudes, plurimarum rerum scientia clarissimorum, epistola ad *Lollinum* complectitur. Ii sunt undecim illi, quos HEROAS SUOS vocitare *Lollinus* consueverat, totidem elegantissimis epigrammatis ab ipso celebratos. Exstant haec epigrammata inter *Lollinianas Epistolas* pag. 139. una cum literis, quibus eadem *Henrico-Catharino Davilae* miserat: quae omnia statim excipit *Davilae* responsum; duae deinde *Lollini* ad *Maurocenum* hac de re epistolae. Pag. 225. *Lollino* suo nunciat, *Octavium Meninum*, politiorum literarum in gymnasio Veneto professorem, fatis concessisse: quod anno 1617. X. kal. apr. accidit. Pag. 236. cum *Lollino* nunciaret, Reipublicae Principem creatum Antonium Priolum, qui id temporis pacis cum Austriacis sequester in Curictam, Liburnae insulam, a Senatu missus, procul a patria aberat: pergit eos omnes enumerare, quibus absentibus suprema Rei-

pu-

publicae dignitas collata est. Juvat legere, quid huic epistolae *Lollinus* rescribat. Exstat responsum inter *Lollinianas Miscellaneas* pag. 203. datum *Belluni*, *tertio idus junias*, M. DC. XVIII.

III. *Leonardi Donati*, *Venetiarum Principis*, *Vita*. *Venetiis*, *apud Antonium Pinellum*, 1628. in 4. Meminit hujus operis idem *Maurocenus* in *Historia* ad annum 1612. quo loco Donati obitum narrat. „ Quae pro patria egerit (*Donatus*) quot legationes obierit, quos tum domi, tum foris magistratus gesserit, ALIO LOCO A NOBIS EXARATA SUNT. „

IIII. *L'Imprese & espeditioni di Terra santa ; & l'Acquisto fatto dell'imperio di Costantinopoli dalla Serenissima Republica di Venetia*, *di* ANDREA MOROSINI, *Senatore Venetiano*. *In Venetia appresso Antonio Pinelli*, 1627. in 4. Frater *Andreas Paullus* Historiam hanc Joanni Cornelio, Principi, inscribit. In duas velut partes tota divisa est. Prior pars hunc titulum praefert : *Delle imprese & espeditioni della Republica di Venetia per l'acquisto e difesa de' luochi di Terra santa*, di Andrea Morosini, *Senatore Venetiano*, *tradotte dal latino in volgare*. Hunc altera pars, quae pag. 89. incipit, tresque libros complectitur : *L'acquisto che la Republica di Venetia*, *confederata con Prencipi Francesi*, *fece dell'imperio di Costantinopoli*, di Andrea Morosini, *Senatore Venetiano*. Pag. 91. refert *Maurocenus*, quibus caussis adductus hanc Historiam scribendam susceperit. *Hanno di questa espeditione fatta mentione li nostri*, *& alcuno esterno historico ancora : ma quelli molto ristrettamente l'hanno rappresentata ; e questi non havendo havuta cognitione delle cose Venete*, *ne hanno solo imperfettamente potuto spiegare alcuna parte*. *Hora io havendo osservate diligentemente li scritti al mondo publicati in questa materia*, *& havuto opportunità di vedere diverse scritture*, *recondite ne gli publici archivj*, *nelle quali si conserva memoria delle publiche attioni*, *spero di potere non inutilmente impiegare la fatica*, *e lo studio mio*.

Si frontem hujus operis dumtaxat inspexisset *Vincentius Placcius*, eum certe minime tot errorum argueremus, in quos foedissime lapsus est in *Theatro anonymorum*, *pseudonymorum*, &c. *Hamburgi*, *sumptibus viduae Gothofredi*, 1708. in fol. ubi pag. 2699. num. DXXXI. illud inter *auctorum anonymorum* opera his verbis recenset:

„ TERRAE SANCTAE INVASIO: sive *L'Impresa di* TERRA SANTA *Angeli* MOROSINI in *Rhodianis* n. 15. & *Scaven*. n. 53. memoratur, opus mihi nondum visum, sed „ quod ex illis esse censeo, quae obiter attingit *Janus Nicius Erithraeus* in ejus elogio, quod „ est n. 54. *Pinacothecae* par. 3. ubi librum etiam ipsius cui titulus *Flores Italici*, editum Venetiis 1604. in 4. merito laudat hisce verbis: *Quantum Vir ille latinis ac graecis in primis* „ *literis praestiterit*, *praesertim declarat ille verissimis ac justissimis elatus in coelum laudibus liber*, *quem* Flores Italicae linguae *inscriptum edidit*. *Aliquot etiam*, *Etrusco sermone*, *tum soluta oratione*, *tum versibus*, *ab eo scripta narrantur : unde liceat intelligere*, *summum illud ingenium*, „ *quamcumque in partem se dedisset*, *sui semper simile extitisse*. „

XV. Scaven. 53. „

*L'Impresa di Terra Santa del* MOROSINI *vernacule* (idest Italice) *tantum editus liber*. „ *Incognitus equidem mihi*, *sed quem de invasione aut occupatione Terrae Sanctae sive Palestinae tractare ex inscriptione conjecturo*. „

Ecce tibi *Placcii* errata.

1. TERRAE SANCTAE INVASIO. *Invasio* igitur (quando ita latine loqui maluit) Venetorum aliorumque Christianorum expeditio ad eam a barbaris invasoribus recuperandam ac tuendam ? *Placcius* certe titulo male exscripto, pejusque intellecto deceptus est, atque enarrari in illa historia credidit, quomodo sacerrima ea loca infideles barbaraeque gentes occuparint.

2. *Sive* L'Impresa *di* TERRA SANTA. Mutilus titulus est, aliusque videri potest. Integrum supra attuli.

3. *Angeli* MOROSINI. *Maurocenum* latine dicimus, vernacule *Morosini*. Sed id latuerit alienae regionis hominem. ANGELUM vero *Maurocenum* nostrum cur vocat ? Cum apud *Janum-Nicium Erithraeum* nomen occurrit *Angeli Morosini*, continuo ipsum esse eum putat, qui hanc Historiam edidit ? At enim *Aliquot etiam* ETRUSCO SERMONE *ab eo* SCRIPTA ibidem narrantur. Qui *aliquot* igitur *etrusco sermone scripsit*, ille est, qui & hanc Historiam scripsit ? Sit ipsa *etrusco sermone scripta*, dubitare saltem debuit *Placcius*, illene *Angelus* fuerit, credere siquidem non debuit, eam exigui adeo esse pretii, ut qui *Flores italicae linguae* ab Angelo editos memoraverit, Historiam hanc *obiter attigerit*, seu potius suppresso nomine indicaverit.

4. *Angeli* MOROSINI. Haudquaquam MOROSINUS, sed MONOSINUS eruditus ille, ac optime de etrusca lingua meritus vir, cujus eo loco elogium contexit *Erithraeus*. Typographi tamen illud mendum fuit, qui eruditissimum opus *Coloniae Ubiorum* evulgavit, cum auctor Romae degeret, seu fortasse ne inter vivos quidem amplius degeret, ut ad calcem ipsius tertii tomi fatetur ipse typographus.

5. *Ubi librum ipsius*, *cui titulus* FLORES ITALICI, &c. *merito laudat*. FLORES ITA-

LI-

LICI quandonam editi a *Monosino?* Debuit saltem, cum haec scriberet, oculos ad *Eribraei* elogium *Placcius* advertere, ubi librum FLORES ITALICAE LINGUAE *inscriptum edidisse* memorat. Ceterum germanus integerque libro illi titulus, non FLORES inscribitur, sed FLORIS *italicae linguae libri novem*, &c.

6. Sed inter *anonymorum* opera cur *Placcius* hanc Historiam rejicit, quae ANDREAE MAUROCENI auctoris nomen & prima fronte, & utriusque partis initio praesefert. Sed omnium venia *Placcio* danda est, a quo *memoratur opus* NONDUM VISUM. Nisi forte acrius reprehendendi ii sint, qui *opera a se numquam visa memorare* audent, & de iis judicium ferre.

Haec tantum *Andreae Mauroceni* opera publici juris, quod sciam, facta sunt. Alia quoque ab eo relicta comperimus, quae quo seposita sint, quis divinet? Forsan aliqua plagiariorum, quorum natio numquam & nusquam non frequens, manus non effugerunt, qui pro suis ea venditare ausi sunt. Inter ea, quae ab ipso relicta sunt, haec ad meam notitiam pervenere.

## *Opera nondum edita*.

V. *Epistolae;* quarum aliquot reliquisse volumina, supra num. II. 8. memoravimus. De his ita *Lollinus* in ejus *Vita*: „ Locus me admonet, ut aliquid dicam de selectarum EPISTO„ LARUM VOLUMINIBUS, quas ille ad diversos dedit QUAMPLURIMAS, philologas, „ historicas, familiares, scribendi genere facili & illaborato (comendae enim orationi gra„ vior jam annis non immorabatur) sed perspicuo, sententiisque crebris, quasi gemmarum „ coloribus distincto. „ Ubi vero lateant, maximo rei literariae damno, industriam meam adhuc fugit. Non dubito, quin *Janus Gruterus* suam *Magnam Inscriptionum Collectionem* his quoque locupletarit; idque eo conjicio, quod auctoris nostri praeclarissimi nomen lego in *indice eorum, qui scriptis privatis illi profuerunt*. Aliae id genus epistolae in manus pervenere *Fortunii Liceti*, a quo libro I. *de Lucernis antiquorum reconditis*, cap. VIIII. col. 16. Utinensis editionis, 1652. in fol. inter eos qui de *lucerna Olibii atestina* testimonium perhibuere, citatur *Andreas Maurocenus* „ Venetus, gloria, pietate, probitate, sapientia, eruditio„ ne, ac nobilitate in principe Republica spectatissimus, quem nuper extinctum

„ *Insatiabiliter deflebimus, aeternumque*

„ *Nulla dies nobis moerorem e pectore demet*. „ *Lucr. lib. iii.*

VI. *De iis quae Veneta Respublica ad Istriae oras gessit adversus Othonem, Federici Imperatoris filium, libri duo*.

VII. *Tractatus de forma Reipublicae Venetae*. Duo haec *Mauroceni* opera memorantur a *Crasso* in ejus *Vita*, pag. XIIII. quibus ab eodem etiam adjungitur *Villa Hieronymi Fabricii ab Aquapendente*. Verum hoc titulo nihil aliud significatur, quam *Mauroceni* ad *Ericium epistola*, quae omnium editarum prima est, ut supra innuimus; de qua honestissimum est *Lollini* judicium, cum in *Mauroceni Vita* de *Epistolis* verba facit, quas moriens reliquit: „ Inter EAS (*Epistolas*) longitudine & elegantia pariter excellit (nam longissima earum „ quaeque, quod de Archilochi iambis critici dicebant, ferme est pulcherrima) qua VIL„ LAM *Hieronymi Fabricii*, *Pendentiaquensis medici*, describit, vel depingit verius; adeo „ iconice, ut insanas hominia substructiones, hortos pensiles, collesque felicium arborum con„ sitos nemoribus, quos ille, XERSES e CHIRURGO factus, e manubiis aegrorum in pla„ nitie suburbana excitarat, lectori ob oculos ponat intuendos. „

VIII. *Elogium Pompeji Justiniani*. Hujus operis notitiam *Aloysio Lollino* debemus, qui *Epistol.* pag. 15. haec *Mauroceno* suo scribit: „ Nunc ELOGIUM ad regulam Tullianam „ efformatum, quo POMPEJI JUSTINIANI funus luctuosum Reipublicae prosequeris, in „ ore ac manibus versatur, &c. „ Fortissimus hic & nobilissimus Ligur, cum esset Venetarum copiarum magister in Forojulio, anno 1615. ineunte mense septembri, glande plumbea trajectis iliis, perfractoque *osse sacro*, pulcherrimam mortem occubuit. Id narrant *Nanius*, aliique rerum Venetarum scriptores. Enucleatius tamen tanti viri necem persequitur *Antonius Grimanus*, tunc in Forojulio Legatus cum imperio, datis hac de re literis ad Senatum eodem anno, prid. non. septemb. quas *Michael Justinianus*, secum a patruo meo clarae memoriae, *Francisco Zeno*, Episcopo Justinopolitano, communicatas, inseruit tertiae parti *Epistolarum memorabilium*, quas edidit Romae, typis Tinassi, anno 1675.

VIIII. *Carmina*. Nequid tamen simulem, nullum aliud offendi *Mauroceni carmen*, praeterquam unum tetrastichon in *Lollini* sui laudem, quod exstat inter ipsius epistolas, pag. 210. *Lollinus* praeterea in *Epistolis Miscellaneis*, pag. 24. memorat *Mauroceni* distichon in laudem *Joannis-Francisci Mussati*.

SYL-

# SYLLABUS

## *Auctorum, qui de* Mauroceno, *ejusque scriptis testimonium tulerunt.*

Praeter scriptores illos plurimos, quorum testimonia passim retuli, dum non fortasse indiligens, quae ad *Maurocenum* spectant, hactenus observavi, ipsius etiam alii nonnulli cum laude meminere, quorum nomina dumtaxat, adjecto operum titulo, placet hic referre.

Paullus Benius: *Orationes quinque & septuaginta*, &c. *His accesserunt epistolae & praefationes*, &c. *Venetiis, apud Jo. Guerilium*, 1625. in 4. Habes in *epistolis & praefationibus*, pag. 28. *Benii* praefationem ad *Andream Maurocenum* pro *Summo Summo*, qui eidem *Andreae* suas theses philosophicas dicat.

Jacobus Fiorelli. *Detti e fatti memorabili del Senato e Patritii Veneti. In Venetia, presso Combi e La Nou*, 1672. in 4. saepius in hoc opere citatur *Maurocenus*.

Joannes Palatius: *Fasti ducales*, &c. *Venetiis typis Hieronymi Albrizzi*, 1696. in 4. Crebro hic *Mauroceni* nomen invenies.

Christianus Gryphius: *Dissertatio isagogica de scriptoribus historiam saeculi* XVII. *illustrantibus. Lipsiae, apud Thomam Fritsch*, 1708. in 8. pag. 456.

Langlet de Fresnoy: *Metodo per istudiare l'Istoria*, &c. *Tomo* II. *In Venezia, appresso Sebastiano Coleti*, 1716. in 8. Pag. 257. inter eos, qui Venetae Reipublicae historiam scripserunt, suus, isque honestissimus locus est *Mauroceno*.

Jacobus Albericius: *Catalogo de gli scrittori Venetiani*, &c. *In Bologna, presso gli heredi di Giovanni Rossi*, 1605. in 4. pag. 9.

Augustinus Superbius: *Trionfo glorioso d'Eroi illustri & eminenti dell'inclita & maravigliosa città di Venetia*, &c. *In Venetia, per Evangelista Deuchino*, 1629. in 4. libro tertio, pag. 105.

Franciscus Pona: *Elegia utroque Latii stilo conscripta. Veronae imprimebat Tamus*, 1629. in 4. pag. XLIV.

Petrus-Angelus Zenus: *Memoria de' scrittori Veneti patritii*, &c. *Venetia, presso Paolo Baglioni*, 1662. in 12. pag. 95.

Franciscus Sansovinus: *Venetia, città nobilissima, & singolare, descritta in* XIIII. *libri*, &c. *In Venetia, appresso Steffano Curti*, 1663. in 4. In *Additionibus Justiniani Martinoni*, pag. 1.

Quae *Mauroceni* memoriam magis illustrarent, haud plura collegi. Unum illud superest, scilicet ut lectores meos admoneam, ne temere *Andreae*, Venetae Historiae scriptori, alterius. *Andreae Mauroceni*, qui ejusdem fere coaetaneus fuit, sed ex alia tamen *Maurocenorum* familia, opus illud adscribant, quod ita inscriptum circumfertur: *Corsi di penna, e catena di materie sopra l'isola della Cessalonia di* Andrea Morosini, *fo del Sig.* Piero, *nella quale è stato Proveditore l'anno* 1621. *e* 1622. *In Venetia, appresso Evangelista Deuchino* 1628. in 4.

Caveant etiam, ne *Andream* nostrum cum eo confundant *Andrea Mauroceno*, cujus meminit *Leander Albertus* in *Descriptione totius Italiae*, edita primum *Bononiae, per Anselmum Giaccarelli*, 1550. in folio, pag. 465. his verbis: ANDREA MOROSINO, & Hermolao Donato, *benche di continovo fossero occupati nel governa della città & de'l stato, nondimeno dimostraro, quanto fossero litterati, lasciando dopo se l'*HISTORIE *de i suoi tempi descritti in* VERSI HEROICI. Unde haec hauserit de duobus illis amplissimis Venetae Reipublicae Senatoribus, qui medio decimoquinto saeculo floruerunt, *Albertus*, conjectare minime audeo: nisi forte illius oculis obversatus est *Blondus Flavius*, *Forolviensis*, qui in *Italia illustrata*, edita una cum aliis ejus operibus, *Basileae, in officina Frobeniana*, 1531. in folio, pag. 373. utrumque recenset inter Venetos doctrina praestantes, suaque aetate adhuc viventes: „ ANDREAS- „

que

que MAUROCENUS bonarum artium studiis ornatus, sapientiae, & gu- „ bernanda Republica peritiae gloriam habet: & *Hermolaus Donatus*, etsi ge- „ renda republica fuit occupatissimus, in literis adeo est imbutus, ut cum „ HISTORIAM teneat, tum HEROICOS VERSUS saepe composuerit ele- „ gantes. „ Verum ex his verbis (ne quid de *Donato* dicam) nemo umquam mihi persuadebit, *Maurocenum* hunc *Andream* aut HISTORIAM scripsisse, aut VERSUS factitasse.

# ANDREAE MAUROCENI, SENATORIS, HISTORIA VENETA

Ab anno M. D. XXI.


Usque ad annum

M. DC. XV.

In tres tomos tributa.



# SERENISSIMO
## VENETIARUM PRINCIPI
# ANTONIO PRIOLO,
## Et Excelſo
## DECEM-VIRUM CONCILIO
### *PAULUS MAUROCENUS.*



*I Quid nobis in votis ſupereſt poſt hujus vitæ curriculum, Sereniſſime Princeps, illud eſſe in primis fratri meo mihi perſuadeo, ut Veneta Hiſtoria, in qua conſcribenda, quod a publicis curis, & corporis ægritudinibus temporis reliquum erat, id omne fere contrivit, ſub ampliſſimi nominis tui patrocinio evulgaretur; ea potiſſimum ratione adducto, ut quem ſum-*

*summa semper observantia coluit, quocum in plerisque obeundis muneribus insudavit, cujus amorem atque benevolentiam fuerat expertus; eumdem quoque patronum vigiliarum suarum nancisceretur. Id cum omnino contigisse videam, praeclare mecum, cui nihil magis est infixum animo, quam illius inhaerere voluntati, actum existimo. Tibi, Serenissime Princeps, igitur hoc opus nuncupo, quod centum fere annorum complectitur spatium, in quo majorum tuorum merita recensentur; tua saltem attinguntur. Quod si fratri meo recentiorum temporum res gestas explicare licuisset, plura quidem, & tuae virtutis decora, & in patriam merita, quibus ad supremae hujus dignitatis evectus es fastigium, enumerasset. Vobis vero, Patres Optimi, quod vestrum est, defero. Supremo enim illi istius augustissimi concilii mandato, nescio id oneris, an honoris dixerim, fuit injunctum, cui satis ipse pro viribus facere nixus est. Sed, ab altioribus, uti moliebatur, initium ne sumeret, neve ad proxima propius accederet, fata obstitere. Vestrum est, Patres Amplissimi, quae Reipublicae gesta continent, auctoritate tueri: civis, qui animam fere ipsam in publicis exercendis muneribus effudit, labores benignitate amplecti: operi, quod imploramus praesidium, elargiri. Majora, Princeps Augustissime, Praeclarissimi Viri, vobis, quibus est publica salus concredita, deberi fateor; verum minus propterea gratum hoc fratris mei, meaeque observantiae pignus futurum non arbitror: nostri enim addictissimi animi quod testari magis possit obsequium non suppetit: quod maximum habemus, obtulimus.*

*Venetiis. kalendis januarii.* CIↃ.IↃCC.XXIII.

DU-

# DUCES VENETI

## Quorum principatus Andreae Mauroceni Historia complectitur.

| | |
|---|---|
| LXXV. | LEONARDUS LAURETANUS. |
| LXXVI. | ANTONIUS GRIMANUS. |
| LXXVII. | ANDREAS GRITUS. |
| LXXVIII. | PETRUS LANDUS. |
| LXXVIIII. | FRANCISCUS DONATUS. |
| LXXX. | MARCUS-ANTONIUS TRIVISANUS. |
| LXXXI. | FRANCISCUS VENERIUS. |
| LXXXII. | LAURENTIUS PRIOLUS. |
| LXXXIII. | HIERONYMUS PRIOLUS. |
| LXXXIIII. | PETRUS LAURETANUS. |
| LXXXV. | ALOYSIUS MOCENICUS. |
| LXXXVI. | SEBASTIANUS VENERIUS. |
| LXXXVII. | NICOLAUS PONTIUS. |
| LXXXVIII. | PASCALIS CICONIA. |
| LXXXVIIII. | MARINUS GRIMANUS. |
| LXXXX. | LEONARDUS DONATUS. |
| LXXXXI. | MARCUS-ANTONIUS MEMUS. |

# E P I T O M E.

*QUi rerum ſtatus anno* 1521. *tota Europa eſſet, exponitur. Venetiis, Leonardo Lauretano exſtincto, Princeps Antonius Grimanus creatus eſt. Leo X. pontifex rerum in Italia novandarum cupidus, ut ad foedus cum Galliae rege feriendum Venetos ſecum traheret, primum omni ope annixus, mox novam cum Caeſare ſocietatem contra Gallos iniit. Venetus quidquid ex foedere Gallis debebat, quidquid ex pactis induciis Caeſari, fideliter praeſtitit. Galli mediolanenſi ditione a Caeſareanis exuti. Suleimanus, Turcarum imperator, in Pannoniam irrupit. Quominus petenti Ludovico regi auxilia mitterent, Italiae motus Venetis impedimento fuere. Poſt Leonis mortem iterum eorum, qui Gallo in Italia favebant, animi erecti. Hadrianus VI. pontifex renunciatus. Pro mediolanenſis ditionis imperio acrius inter Gallos, ac Caeſareanos certatum. Alexandria Caeſareani, Novaria Galli potiti ſunt. Fruſtra hi deinde & Mediolanum, & Ticinum aggreſſi: tandem accepta ad Piccocam foediſſima clade, Laudem Pompejam, Cremonam, Genuam amiſere, ac tota Italia cedere coacti ſunt. Rhodos fortiter ab equitibus Hieroſolymitanis propugnata, tandem in Suleimani poteſtatem venit: illis Melita ad religionis ſuae ſedem firmandam a Caeſare conceſſa. Caeſar, & Angliae rex ad ſocietatem contra Gallos ineundam Rempublicam illicere fruſtra conati ſunt. Grimano mortuo, ad patriae principatum Andreas Gritus evectus eſt. Foedus inter Caeſarem, ac Rempublicam ictum. Gallus, maris praefecto Gauferio in Italiam miſſo, novos in Inſubribus motus civit. Hadrianus pontifex e vivis exceſſit, ac Clemens VII. illi ſuffectus eſt. Galli iterum tota Italia depulſi: quibus tamen in novam ejus recuperandae ſpem, ipſius regis adventu, erectis, de ſanciendo cum ipſis foedere magnis contentionibus apud Patres cum actum eſſet, nihil certi ſtatutum eſt. Ad Ticinum male a Gallis pugnatum, ac Franciſcus rex a Caeſareanis captus eſt.*

HI-



# HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI

## LIBER PRIMUS.



UAE mortalibus gravia, & atrocia acerrimis bellorum caſibus accidere ſolent, cuncta fere Reipublicæ Venetæ octo annorum ſpatio contigere, quo invidiæ, atque odii ſtimulis acti Europæ Principes, adverſus ipſam fœdere Cameraci inito, exarſere. Julius Pontifex Maximus, Maximilianus Imperator, Ludovicus Galliæ, Ferdinandus Hiſpaniæ Reges ſocia arma ſumpſere, ut, imperio Venetis adempto, illorum nomen delerent, ac penitus excinderent. Hinc fœdæ direptiones, adverſa prælia, oppidorum vaſtationes, urbium oppugnationes, populorum cædes; quibus terreſtre imperium debilitatum, pene collapſum foret, niſi Senatus in tot adverſis conſtantia atque prudentia, civium egregia virtus ſævientem fortunæ vim fortiter excepiſſent, ac mortales omnes ſurpergreſſæ caſus, minanti exitium hoſti invictis viribus reſtitiſſent; ut, *Proœmium.*

A 4 quam-

quamvis aliquando Respublica exagitari durioribus procellis, ac temporum illorum calamitate premi visa sit, nunquam tamen convelli, vel concuti potuerit; quinimmo animi infracto robore, & opibus, quibus abunde civitas pollet, hostium impetu repulso, conatibusque repressis, tandem amissa recuperaverit, pristinumque imperii decus cum dignitate retinuerit. Quae omnia, uti gesta sunt, a Petro Bembo, & Paulo Paruta, clarissimis viris, literis fuere mandata: ille, post Marcum Antonium Sabellicum Decemvirum decreto conscribendae Historiae Venetae onere suscepto, rerum seriem usque ad obitum Julii Summi Pontificis perduxit; ex quo tempore foedus cum eodem Pontifice, ac Ferdinando Hispaniae Rege adversus Gallos percussum illius excessu diremptum est: hic vero subsequutam temporum successionem Italico sermone usque ad annum M.D.LII. posteris transmisit; post cujus obitum, cum mihi a supremo Decemvirum Consilio injunctum esset, ut scriptis rerum, quae nostra aetate gestae sunt, memoriam complecterer, cuperetque animus non intra unius provinciae fines, sed quacumque priscae Romanorum linguae notitia pervasit, nobilissimae, atque antiquissimae Reipublicae gesta perlegi, operae pretium me facturum existimavi, si altius scriptorum meorum exordia ducerem, atque ab iis potissimum temporibus inciperem, quae, post pacem Bruxellis inter Franciscum Gallorum Regem, & Carolum Belgarum tunc Ducem initam, & cum Venetis inducias pactas, sequuta sunt. Inde sumere initium, Deo juvante, placuit, ac subsequentium annorum res gestas conscribere: ingens sane opus, nec minori labore, quam utilitate refertum; siquidem clarissimae, amplissimaeque Reipublicae, quae domi, quae foris acciderint, pace acta, belloque administrata sint, nobis erunt explicanda; quibus artibus coalescere civium animi, ac singulari concordiae nexu ingentes pro patria labores exantlare potuerint; urbs aedificiorum publicorum magnificentia, mortalium undique confluentium frequentia, divitiis, ac viribus aucta, & illustrata, optimis legibus, severioribus judiciis firmata, bella cum potentissimis gentibus suscepta. Quae sane omnia rerum cognitionem atque usum, dicendi vim & copiam incredibilem exposcere videntur; ea si minus afferre ad institutum opus potero, conabor certe diligentia, & studio certare,

re, ne omnino impar ad provinciam sustinendam videar, quam mihi a supremo Consilio demandatam alacri animo suscepisse fateor, ut in re, qua nulla ad utilitatem ac splendorem præstantior esse potest, patriæ operam præstarem, & quantum in me esset, labentem rerum memoriam erigerem, ac civium præstantissimorum egregia facta ab interitu vindicarem.

*Quinam rerum status esset, quo tempore Maurocenus historiam suam conscribere aggressus est.*

Atque ut ea, quæ dicenda sunt, facilius intelligantur, quinam rerum status, quæ Reipublicæ facies, qui summorum Principum animus hoc tempore fuerit, paulo altius initio repetito, nobis explicandum videtur. Nam variis bellorum casibus Venetis jactatis, cum satis constaret, haud facile factu esse, Rempublicam antiquitate, civili prudentia, opibus, atque rerum terra, marique gestarum gloria illustrem, e statu dejicere, aversis a bello Principum animis; Bruxellis inter Franciscum Galliæ Regem, Maximilianumque Imperatorem pace inita, a Cæsare, ac Venetis octo mensium induciæ pactæ fuere, ut interea de firmanda pace ageretur: in quibus, ut, quæ Maximilianus Reipublicæ ademerat, Veronamque præsertim restitueret, cautum fuit. His peractis, de renovandis iterum induciis agi cœptum, Galliæ Rege auctoritate, & opera adnitente, ut ad pacem ineundam aditus pateficeret. Andegavum missi, penes quos rei tractandæ summa auctoritas foret, ab Imperatore Philibertus præpositus Trajectensis, & Hieronymus Borducius Brisatii præfectus, a Senatu Antonius Justinianus. In annos quinque induciæ pactæ, quo tempore ab armis abstineretur, nil hostile utrimque ageretur; terra, marique cuncta pacata forent; non consilio, non armis, non pecunia, non belli machinis hostes juvarentur. Sancita hæc fuere anno ab humani generis reparatione M.D.XVIII. mense septembri. Quibus compositis, optata diu pacis spes orbi christiano affulgere cœpit, summisque votis a cunctis expetebatur, ut arma, quibus misere per tot annos Italia, atque Europa dissidiis Principium vexatæ, ac laceratæ fuerant, in communis hostis christianæ reipublicæ perniciem verterentur. Verum non ita fata Italiæ tulere; sed nova dissensionum seges, libidine dominandi, veluti pabulo, aucta crescere in dies, novos motus ciere, clades cladibus adglomerare. Nam, Maximiliano defuncto, cum Carolus, Philippi filius, ejus nepos, cui nuper Hispaniæ regna amplissima, Ferdinando, & He-

Helisabeta vita functis, obvenerant, quique Neapolitanorum regnum adeptus fuerat, licet adversante Francisco Galliarum Rege, in demortui Maximiliani Imperatoris locum suffectus esset; odia, quæ jam restincta videbantur, recrudescere, ambitio transversos potentissimos Principes agere, Italia per tot annos armis labefactata, æmulationes alere, atque excipere, ac materiam ad arma exercenda præbere cœpit: cum Cæsar opulentissima Insubrum ditione privari, quam ad se Imperii jure spectare censebat, ægre ferret; neque Galliarum Rex a Neapolitano regno excludi, quod priores Reges hereditario nomine poscentes vi armisque ceperant, æquo animo pateretur. Jamque in dies ali occulta inimicitiæ semina, alienari Principum mentes, ut si qua vel exigua occasio redintegrandi belli foret, turbari iterum res Italæ, divina, & humana misceri facile possent. Sed imminenti malorum fato unum id obsistere videbatur, quod, quæ voluntas Italorum Principum, quæ inclinatio animorum futura esset, non satis erat exploratum: utram vero in partem vires provinciæ propenderent, maximum ad bellum conficiendum momentum erant habituræ. Respublica Veneta armis diu conflictata, quæ, fœdere cum Francisco Rege inito, ad Mediolanum tuendum tenebatur, motus bellorum denuo excitari, pacem labefactari ægre admodum latura videbatur; cum ob imminentis belli Turcici suspicionem; tum quod annuatim classibus parandis, mari tutando, imperio terrestri, ac maritimo defendendo publicæ vires, ac privatæ civium opes absumerentur, neque pares ad utrumque bellum sustinendum essent. Leonem Pontificem Maximum in summo dignitatis gradu collocatum, Urbini ditionibus, pulso Duce, sibi adjectis, nova appetere, ac moliri: religione, & pace florentem Italiam, in qua satis amplum imperium obtineret, novis bellorum eventibus objicere credibile non erat; cum Reges, qui opibus, imperio, viribus summopere pollebant, si semel in aciem descendissent, verendum foret, ne is, cui victoria afflaret (ut est hominum, ac præcipue Regum ingenium regnandi appetens) universam Italiam excurreret, legesque omnibus imponere adniteretur. Florentina Respublica, quæ nil, nisi ad Leonis Pontificis nutum agebat, nunquam sua consilia ab illius voluntate sejunctura videbatur. Genuenses, qui in clien-

clientela Gallorum Regis conquiescebant, ab ejus sententia minime recessuros constabat. Lucenses, ac Senenses precaria libertate utentes, neque audere, neque moliri quidquam poterant. Federico Gonzagæ, cui Mantua parebat, nullæ rerum novandarum aut vires, aut spes erant. Alphonsus Estensis, Ferrariæ Dux, cui Mutina, ac Regiumlepidi urbes ademptæ fuerant, illarum recuperandarum desiderio flagrabat; attamen cum nullos sui consilii adjutores speraret, potius in Regis auctoritate quam armis spem reposuerat. Franciscus vero Sfortia, Ludovici Insubrum olim Ducis filius, Tridenti, urbe in faucibus Italiæ sita, degebat, in omnem occasionem intentus, qua se benignius fortuna ostentaret, ut nullis ærumnis fessum animum ad pristinum statum adipiscendum erigeret; qui a Gallo oblatas conditiones aspernatus, nulla vel temporum asperitate, vel fortunæ iniquitate adduci potuerat, ut juri suo cederet; immo varia agitare animo consilia, externos, Italosque Principes, ut suis afflictis rebus opem ferrent, implorare non desierat. Attamen qui spiritus in Francisco vigebant, non tantæ molis erant, ut pacem Italiæ turbare possent; cum Insubres in potestatem potentissimi Regis concessissent, quem bello lacessere, neque facile, neque in promptu erat: cum præsertim nuper sibi Helvetios adjecisset, invictæque gentis armis nullum sibi aut grave, aut formidolosum bellum inferri posse censeret.

Is igitur Italorum Principum status ea tempestate: neque erat, cur quieti, ac paci bellorum motus, & curas anteferrent; cum repente veteribus Italiæ calamitatibus recentes adjectæ, bella bellis cumulata sunt; ac Respublica, quæ tum iis rebus maxime intenta erat, quibus cives præteritis laboribus fessi recrearentur, quæ pace, belloque ad illam ornandam, atque confirmandam pertinerent, instaurarentur, denuo novis jactari fluctibus, easdemque subire tempestates coacta est. Quo tempore Leonardus Lauretanus Princeps ex humanis excessit: singularis, & egregius civis, qui difficillimis temporibus clavum Reipublicæ tenuerat, vel hoc uno summæ felicitatis compos, quod quam tot pressam calamitatibus, ac fluctibus pene mersam Rempublicam conspexerat, eandem imperio, gloriaque florentem reliquerit. In ejus locum suffectus est Antonius Grimanus jam nonagesimum annum ingressus: civis, si quis alius, prosperis, adver-

*1521*

*Leonardi Lauretani Principis obitus, & elogium.*

*Antonii Grimani Principis electio, & elogium.*

sisque

1521 sisque rebus adeo varie jactatus, ut humanæ sortis spectaculum censeri merito possit. Nam anno M. CCCC. LXXXXVIIII. classis imperator adversus Bajazetem summo Patrum consensu creatus, cum ad Methonem cum classe Turcica male pugnatum esset, ad Prodonum bene rei gerendæ occasiones amisisset, Naupactum in hostium potestatem venisset, imperio illi abrogato, sublectoque Malchione Trivisano, causam ex vinculis apud totius nobilitatis concilium dicere coactus, rerum capitalium Triumviris Nicolao Michaele Doctore & Equite, Marco Sanuto, & Paulo Pisano Equite, anno M.D. tertio idus junii, divi Marci procuratoria dignitate adempta, in Illyrici maris insulas Apsorum, & Crepsam exilio damnatus est. Verum novem postea emensis annis, ita rerum vicissitudine ferente, qua mortalia cuncta agitantur, Triumviris Bernardo Bembo, Marino Justiniano, Aloysio Gradonico majoribus comitiis legem ferentibus, eodem *Suffragia fuere 1260.* mense junio, universis fere civium suffragiis ab exilio revocatus, ac patriæ restitutus, statimque ad priorem evectus dignitatis gradum: undecimo post anno amplissimus illi honor delatus est.

Principe igitur Antonio Grimano creato, tertio nonas quintilis anno M.D.XXI. etsi nondum ad arma palam ventum esset: attamen bellorum semina jam exorta, firmioribus nixa radicibus, acerbos propediem fructus editura videbantur. Nam fastus, ac dominandi libido, duæ animorum pestes, quæ mortales sæpe in summa mala præcipitarunt, jam animum Leonis invaserant, qui in flore ætatis, summaque in auctoritate constitutus, assentatoribus undique septus, sui pontificatus monumenta parum diuturna, & illustria rebatur fore, nisi ad aliquod egregium facinus animum adjecisset, quo memoriam ipsius quam maxime propagaret. Itaque omnibus modis statuit Galliarum Regem in amicitiam allicere, specie ad Italiæ quietem firmandam, re, ut, Carolo regno Neapolitano exuto, cujus potiundi desiderio æstuare Francisci Regis animum noverat, Ecclesiasticum imperium, privatasque fortunas ingentibus dignitatum, atque opum incrementis attolleret. Cum vero publicæ retinendæ pacis studiosum Senatum Venetum intelligeret, neque Reipublicæ rationes a Rege sejungi posse animadverteret, in eo inprimis summa contentione laborandum duxit, ut defendendæ Italiæ obtentu fœdus sanciretur, quo si quis arma in provinciam

ciam inferret, hostis judicaretur; eo nimirum consilio, ut Cæsar, cujus in dies potentia, atque auctoritas augebatur, si armatus Italiam ingredi vellet, communi consilio, & viribus arceretur: non minus enim Pontifici, quam Venetis suspecta Imperatorum arma, vires, consilia semper fuerant. Huic se societati adjungendi Italis Principibus quatuor mensium spatium tribueretur. Si quis adversus sancita moliretur, fœderave cum hostibus privato consilio iniisset, aut pactis aliquid adversum pacisceretur, illum tanquam hostem persequendi reliquis jus esset. Hac demum societate nihil aliis, quæ Pontifici, aut Reipublicæ cum Rege intercederent, fœderibus derogaretur. 1521

Hæc omnia cum ad pacem Italiæ magis firmandam pertinerent, libenter a Patribus audiebatur; licet de Pontificis voluntate nonnunquam ambigui vererentur, ne privatis consiliis ad novas res animum fortunæ illecebris corruptum converteret. Nam superioribus mensibus Antonium Pacium, Pistoriensem Episcopum, ad Helvetios miserat, ut sex millia peditum, qui in Ecclesiæ ditiones statim iter maturarent, conscriberet. Quod cum facile ex fœdere nuper percusso a pagis impetrasset, milites per Mediolanensem agrum in Flaminiam, & Picenum pervenerant, stipendiaque ære pontificio merebant; primo non sine variis rumoribus, quonam hæc destinarentur; deinde costanti omnium opinione arma in Neapolitanam expeditionem comparari. Quæ cum non obscure Leonem novas res meditari, bellisque Italiam rursus exarsuram indicarent, Marco Foscaro legato Senatus mandavit, Pontifici significaret; *quod undique opinione hominum, voceque ferretur, Neapolitanum regnum Helvetios invasuros, eo vehementer Senatum commoveri: nam quemadmodum Cæsari armato in Italiam adventanti communibus viribus obsistere, ac in mutuam defensionem conspirare, id a nemine jure reprehensum iri censeret; ita illum ultro armis lacessere, ac fortasse nihil ejusmodi opinantem excitare, a publica utilitate sejunctum esse. Quis enim non maxime verendum existimet, si bello petatur Cæsar, Germanos, bellicosissimam gentem, illum omni ope, studio, viribus adjuturam, atque homines, alias a rebus Cæsaris aversos, contumeliam ad se pertinere existimaturos, in nostram perniciem denique consensuros? Huc accedere, quod hæresum pestis, quæ illos te-*

*Antonius Pacius Episcopus ad Helvetios.*

*Mandata ad Marcum Foscarum oratorem ad Pontificem.*

*ter-*

1521 *terrimo veneno infecerat, Lutero majores, & acriores spiritus sumente, pontificiæque auctoritati acerbius adversante, ingentia incrementa sumptura, ac libere debacchatura videretur: potentiam quinimmo, viresque Turcarum communium hostium augeri, qui, Gazelle nuper devicto, nihil non sibi adversus Pannonias, Italiam, atque adeo universam rempublicam christianam superbe polliceantur; ac, si semèl bellum in hanc provinciam irruperit, quis non tristia omnia ominetur, dum ferrum, quo adversus barbaras gentes pugnandum, illarumque sanguine inficiendum foret: in nostra viscera propria dextera convertatur?* Hæc cum Pontifice agebantur. Joanni Baduario, oratori apud Galliarum Regem, in mandatis datum: de iis, quæ in Italia gerantur, Regem, ac Magnum Cancellarium certiorem faciat; constanter polliceatur, si de tuenda Italia agatur, cum Rege Rempublicam in arma ituram, totis viribus adversus Cæsarem, omnesque alios certaturam; contra valde periculosum censere, Cæsarem hoc rerum statu ad bellum lacessitum urgere.

*Mandata ad Baduarium oratorem in Galliа.*

Nullum interea officii genus, quo Venetos sibi adjungeret, a Carolo prætermittebatur, magnum in Reipublicæ potentia, ac viribus momentum ad res feliciter gerendas fore ratus: pollicita adjiciebantur; quodcunque in Venetorum urbibus, atque agris Imperio jus esset, id ultro novis titulis concessurum. Ea Patres, qui & temporis longinquitati, qua humana imperia, non secus ac reliqua mortalia, vicissitudinibus subjiciuntur, & gentium legibus, belloque, ac justis armis nitерentur, nihili ducere, neque semel Gallo præstitam fidem fallendam existimare. Decretam Cæsari non modo pro Imperii dignitate adepta legationem, verum etiam Franciscum Contarenum, Gasparis Contareni loco ordinarium legatum designatum, ne ullam Galliarum Regis animo suspicionem injicerent, cunctari jusserunt. Inde Carolus Venetorum amicitiæ, ac fœderis spe dejectus, Philibertum legatum in Galliam mittit, qui de pace cum Francisco ageret, ut Regum conjunctionis metu perterritos, funesta adhuc præteritarum cladium memoria animis hærente, ad se attraheret. Cum Henrico Angliæ Rege conqueritur, Venetos, neque pacta cum Maximiliano servasse, neque oblatam pacem amplecti velle. Quibus in speciem agitatis, eo minor a Regibus fides habebatur, quod eodem tempore concordiæ

*Franciscus Contarenus orator ad Cæsarem.*

no-

1521

nomen sermonibus Cesar usurpans, cuncta ad bellum summo nixu compararet, atque expediret. Itaque Franciscus rem omnem Joanni Baduario legato aperit, acriusque ad bellum incitatus in Morinis ad Ardresium oppidum in colloquium cum Anglo descendit; pacem nuper sanctam firmat; Venetorum amicitiam omni officiorum genere fovet; ut nuper sibi natæ filiæ sacro fonte abluendæ adsisteret, Senatum invitat, legato id muneris ejus nomine obeunte.

*Colloquium inter Galliæ, & Angliæ Reges.*

Ceterum Pontificis animus nunquam acquiescere, novis assidue rebus studere, plura in speciem, quæ ad pacem attinerent, Reipublicæ ostentare, in id omnes nervos intendere, ut imperii amplificandi, nominisque provehendi materiam pararet. Quæ cum eo spectarent, ut, iterum turbatis rebus, in novas bellorum procellas Italia conjiceretur, Senatum in summam suspicionem adduxerant, ne cum Gallo Pontifex arctiori vinculo junctus, Rempublicam in ingentes difficultates impelleret; cum inter cetera, ut perduelles, ac facinorosi homines a mutuis regionibus hinc atque inde communibus armis summoverentur, pœnisque afficerentut, quo Estenses Ferraria pelleret, Italica societate caveri vellet. Quibus permoti Patres, qui antea mandata subscribendi fœderis oratori dederant, Senatus consulto revocarunt; Regique significarunt: *Mirari, nova suboriri quotidie impedimenta, ut non propugnandæ Italiæ, sed belli excitandi bis fœderibus a Leone fundamenta jacierentur; dum tantum non aperte Cæsarem, provinciasque, quibus belli faces admoverentur, designaret. Quid vero quod perduellionis, & criminum reos persequi omnibus modis statueret? id enim præterquam quod plurimum rationibus Reipublicæ officeret, cujus militum præfecti, exteris provinciis orti, publica stipendia facerent, aperte innuere, illius animo, ut Ferrariensis Dux avito imperio pelleretur, penitus insedisse: quæ quantum momenti habitura essent, nemo non videret: Dum de communi firmanda societate, ac ne Cæsar in Italiam arma inferret, actum fuit, ultro, ac lubenti animo Senatum assensisse: modo non de tuenda Italia agi, sed ut cuncta bellorum tumultibus misceantur: quæ ex pactionibus Regi Senatus teneretur, alacri animo præstaturum; iis, quæ a Leone proponerentur nullo pacto aures præbiturum.* Itaque fœdus quam-

*Veneti Foscare adimunt mandata fœderis subscribendi.*

1521 quamplurimis difficultatibus implicitum differri in dies; Rex quin etiam secretiori cum Pontifice firmandæ societati moras nectere, vel quod Leonis artes, cujus animum antea expertus fuerat, vereretur, vel quia, Cæsare multis difficultatibus septo, sibi vero cunctis ex sententia fluentibus, absque aliorum ope per se satis ad bellum gerendum expeditus videretur. Leo quoque plurimas antea sibi a Gallis illatas injurias mente repetere; aliquando, ne summi Principes in pontificii imperii perniciem arma jungerent, vereri; incredibili nonnunquam Parmæ, Placentiæ, ac Ferrariæ urbium obtinendarum desiderio flagrare: quæ Mediolani a Lautrechio, & Tarbellensi Episcopo juri ecclesiastico adversa gererentur, non æquo animo pati: ut tandem, non absque omnium admiratione, qui paulo ante ingenti ardore animi Francisci amicitiam concupiverat, is, momento mutata sententia, Carolo adhærens, Italicam pacem turbare, Cæsaris potentiam sibi antea invisam augere, atque innumeris se se periculis objectare decreverit. Angebatur Cæsaris animus ob Cantabriæ a Gallis illatum bellum: Mediolanensium extorrum spes, Helvetiorum nuper cum Rege inita societas maxime exstimulabant: difficile igitur non fuit, ut quos utilitatis species permoverat, societas quoque devinciret. Mutua itaque defensio Hetruriæ, ac Mediceæ familiæ patrocinium, Mediolanensis expeditio, Parmæ, & Placentiæ pontificiæ ditioni adjectio, Francisci Sfortiæ Tridenti tunc vitam agentis in paternum imperium restitutio, Ferrariensis oppugnatio, jurisjurandi, quo Cæsar Neapolitano regno potiri vetabatur, absolutio secreto pacta. Ea priusquam in vulgus emanarent, statuunt clam per insidias, aut repentino aliquo armorum tumultu Gallos inopinato adoriri. Genua, quæ tunc in Regis clientela quiescebat, tentata; Mediolanensis ditionis urbes per dolos petitæ: sed utraque inani prorsus eventu contigere.

*Fœdus inter Pontificem, & Cæsarem.*

Senatus Venetus, ad quem nonnihil de consiliis a Leone mutatis pervenerat, latenter, astu, ac dolis belli initia tegi ratus, ut validiori præsidio urbes, arcesque firmarentur, decrevit. Trium millium Italorum peditum delectum statim haberi jussit; si majore numero opus esset, id Sapientum collegio permissum. Cumque Thomas Scudus, Lautrechii frater, ac Tarbellensis, et Theodorus Triultius, copiarum Reipubli-

cæ

1521

cæ summus Præfectus cum cataphractis, levиorisque armaturæ equitibus ad Insubrum fines adequitaret, a Senatu petiissent, ex fœdere concessum est. Triultio, ut suas cohortes in Cenomanos duceret, injunctum; Paulo Nannio Bergomi Præfecto Legati munere delato, ut statim se ei adjungeret, mandatum. Dum hæc agerentur, Scudus, cui, quæ occulto adversus Regem pararentur, innotuerant, Regium lepidi Galliæ Cisalpinæ urbem per insidias aggredi statuit, inde rei patrandæ opportunitatem, & occasionem nactus, quod quamplures ibi Insubrum extorres, quos Pontifex a suis finibus arcere tenebatur, convenissent. Itaque ad viii. kal. julii summo mane cum quadringentis levioris armaturæ equitibus Regium proficiscitur. Illum Federicus Bozzolus, ejus nominis oppidi in Mantuanorum finibus Regulus, cum mille peditibus subsequitur. Eo cum venisset, Franciscum Guicciardinum jam ea de re certiorem factum ad colloquium accersit, qui omnibus, quæ ad tutandam urbem spectarent, dispositis, ultro extra portas adest: ibi dum mutuo conqueruntur; Scudus, quod exules adversus pactiones intra mœnia recipiantur; Guicciardinus, quod cum armis Scudus fines pontificios esset ingressus, forte porta quadam ad excipienda frumenta disclusa, Galli irrumpere conantur: verum statim pulsi, clausisque portis, tumultu excitato, displosis repente nonnullis tormentis, funduntur. Scudus in summa trepidatione ab urbis Præfecto illæsus dimittitur. His ad Pontificem perlatis, graviter de Rege conqueritur: nil hujusmodi meritum per summam injuriam bello peti, dolo suas urbes tentari; atque iis de rebus cum Oratoribus Principum acerbe admodum, ac graviter agit; multa in Scudum, quamplurima in Regem exaggerat, qui cum occasionem ab ejus amicitia discedendi diu quæsiverit, nulla inventa, aperte bellum moliatur. Reipublicæ Oratore accersito, quæ Regii acta sint, exponit; ignorare, cur armis illum lacessere sibi Rex in animum induxerit; statutum sibi, ac firmum esse, quacunque ratione Ecclesiæ jura, ac Pontificiam dignitatem sustinere: hoc uno vehementer angi, quod nondum coalitæ Italiæ cicatrices denuo refricandæ sint, iisque certandum armis, quibus Christiani nominis hostes pessum iri oporteret. Collegio Cardinalium vocato, in Regem acriter invehitur, Cæsaris pieta-

*Paulus Nannius Legatus in castris.*

1521 tatem, ac religionem extollit; Italiæ incolumitatem, totius Christianæ Reipublicæ salutem in illius societate contineri ostendit.

Senatus, cum ea, quæ adhuc premere, ac celare Leo cupiebat, palam erumpere animadverteret, ut quantum opera, & consilio posset, nutantem Italiæ pacem firmaret, graviter per Oratorem Pontificem alloquitur: quo loco res Christianæ sint, exponit; quæ, si bellum oriatur, incommoda provincia, per tot annos injurias bellorum perpessa, denuo subitura sit, docet: a Leone flagitat, priusquam adversus Regem moveat, illum de iis, quæ nuper acciderant, certiorem faciat; qua mente, quo erga illum animo sit, exploret; omnia experiatur antequam in aleam belli descendat; nihil eorum, quæ multorum sermonibus vulgata fuerant, de Rege suspicari, qui omnibus pietatis officiis sanctissimam Sedem sit prosequutus: dein factum lenire; quæ a Scudo ad Regium lepidi acta essent, non ad pacem labefactandam; sed ad extorrum facinorosorum hominum perniciem spectasse, quos rumor increbuerat, hostilia adversus Gallos, eorumque oppida meditari: de propensa Pontificis in commune bonum voluntate Senatum non ambigere: ceterum ad arma summos Principes redire, nunquam magnis caruisse periculis; nunc vero cum validissimo exercitu Suleimanus Pannoniis immineat, quis dubitet, his dissidiis illi non ad amplissimum modo Hungariæ regnum, verum ad reliquas Europæ provincias atque adeo ad Italiam ipsam aditum parari? quibus sane avertendis, cui onus incumberet, nisi illi, qui summum dignitatis, & auctoritatis imperium in terris obtineret? His convertere Pontificis animum ad pacis studia Senatus nitebatur. Atque eodem tempore, ne imparata Respublica offendi posset, decretum est, ut cataphracti equites lustrarentur, in eorum qui deessent locum, novi deligerentur; quadringenti levioris armaturæ reliquis adjicerentur; sex Italorum peditum millia conscriberentur, mille & quadringenti ex Sedunensibus, mille ex Ræthis publicis stipendiis adlegerentur: petente Lautrechio, ut auctoritate, ac disciplinæ bellicæ laude insignis, quicum de bello administrando, deque Insubribus tuendis consilia communicaret, civis Mediolanum mitteretur, Andreæ Grito, qui magna apud suos,

*Andreas Gritus ad Lautrechiū mittitur.*

ſuos, ſumma apud exteros Principes excellentis virtutis opinione florebat, id oneris injunctum eſt. Legatus cum ſumma auctoritate Hieronymus Peſareus ſpectatæ vir prudentiæ, ac fortitudinis a Senatu declaratur. 1521 *Hieronymus Peſareus legatus.*

Interea Pontifex cum Gallo inimicitias palam exercere, nullum rationi, nullum Senatus precibus locum dare, bellum ſpirare; nam de illo adminiſtrando cum Joanne Emanuele Cæſaris Legato agere cœperat; Proſperum Columnam, ſcientia rei militaris clarum, Romam accerſiverat, ut iis, quæ ad tantam rem conficiendam neceſſaria forent, communi conſilio proſpiceretur; copiarum vero ſuarum imperatorem Federicum Mantuanorum Principem delegit, ex cujus ditionibus, vel ſitu, vel propinquitate plurima adjumenta peti poſſent, ducentos illi cataphractos, totidem leviores equites imperat; cumque omnis rei bene gerendæ ſpes in celeritate ſita eſſet, in primis ſtatuunt, ut Pontificiis, Hetruſciſque junctis cataphractis ſexcentis, ac totidem ferme, qui tum in Neapolitano regno Cæſareanis aderant, a finibus Eccleſiæ Mediolanenſis ager invaderetur; ſex Italorum peditum millia deligerentur; duo Hiſpanorum, qui in Genuæ litoribus erant, ad exercitum inter Mutinam, ac Regium caſtra habiturum tranſirent; duo item Neapolitanorum millia Aterni Marchio duceret; mutuis Pontificis, Cæſariſque ſumptibus quatuor Germanorum, duo Ræthorum peditum millia evocarentur: his Helvetiorum ad duo millia accedebant ex iis, quos ante Piſtorienſis Epiſcopus, Pontificis juſſu, in Italiam ductaverat, cum reliqui domum reverſi fuiſſent: denique ut ab Helvetiis ſex millia, juxta Pontificis fœdus, peterentur, decrevere; neve gens illa Gallis auxilio eſſet, poſtularetur, cum fœdera Pontificia longe Gallicis priora eſſe Leo affirmaret. His viribus a Lario lacu movere, atque Inſubrum ditionem aggredi in animo erat: neque difficile, ut fortuna cœptis reſponderet, rebantur; cum ob nobiles exulum familias, quæ viribus, auctoritate, & clientium numero plurimum ea in regione pollebant; tum ob populorum ingens, erga Gallorum nomen, odium, qui a militibus gravia, & intoleranda perpeſſi, cum neque Rex ob pecuniæ inopiam ſatis provideret, neque Præfecti ob negligentiam obſiſterent, incredibilis, quo Regem proſequebantur,

B 2 ſtu-

1521 studii, & benevolentiæ obliti, ut est plebis natura novarum rerum appetens, omnia sursum, deorsumque misceri, & agitari cupiebant.

Harum rerum, bellique jam a Pontifice, & Cæsare adversus Regem declarati fama in Gallias perlata, qua opulentissimam Mediolanensem regionem validissimo exercitu aggressuros ferebatur, Regem permovit, ut nihil, quod ad hostium conatus arcendos opportunum foret, prætermitteret; idque in primis cum in Venetorum fœdere situm esse existimaret, Lautrechio, qui illius nomine toti regioni præesset, in Italiam misso mandaverat, ne quid Insubres detrimenti paterentur summa ope provideret; a Republica quæcunque ex fœdere teneretur, requireret: sex porro peditum millia, sexcentos cataphractos equites Venetos præstare pactionibus fœderis cautum erat: præterea decem millia Helvetiæ gentis adcersiri, sex Gallorum millia in Italiam proficisci, magnam Italorum peditum manum conscribi jubet: his copiis aut æquo cum hoste marte certare, aut vim illius, conatusque repellere posse arbitratus. Verum Columna neque Neapolitanorum, neque Germanorum militum adventu expectato, reliquis collectis copiis, Ravennæ, Forocornelii, Bononiæ, Mutinæ, Regii lepidi præsidis relictis, ad millia passuum quinque prope Parmam proficiscitur, spe haud exigua fretus, si Helvetii Regi milites non dedissent, oppidanique aversis a Gallo animis aliquid novi molirentur, fore, ut nullo negotio urbe potiretur. Verum Helvetii pactos ex fœdere Regi milites permiserant, quorum dum delectus haberetur, Georgius Suprasassius Mediolanum cum quatuor Sedunensium millibus venerat; Lautrechius ad Parmam tuendam Scudum cum hastatis quadringentis, ac quinque Italorum peditum millibus miserat: Senatus ad Pontem vicum, ut Gallis præsto essent, copias cogi jusserat. Proinde Columna non omnino suis viribus fidens, in Parma expugnanda operam amissurum veritus, ni Aterni Marchio cum trecentis hastatis, ac duobus Hispanorum millibus ex Neapolitano regno adventaret, ac Germani ad sex millia adessent, nihil moliebatur. Cum vero ex Aeniponti comitatu in Mediolanensem agrum, nisi per Reipublicæ Venetæ fines, aditus non pateret, Cæsar a Senatu pe-

petebat, ut Germanis iter per Veronensium fines facere permitteret, id summi beneficii loco a Republica accepturum. 1521 Caroli postulatis Senatus decreto ita responsum: Omnibus semper benevolentiæ, ac observantiæ officiis Rempublicam Cæsarem prosequutam esse; quod iis, quæ nunc petantur, assentiri nequeat, vehementer angi, propensæ voluntati fœdus obsistere, quod jurejurando cum Gallorum Rege pepigisset; infringendum haud dubio, si Germanos per Venetorum fines transire sineret: Cæsarem sunmopere exorare, ut qui status Reipublicæ Christianæ, quorsum dissidia hæc sint evasura, singulari prudentia expenderet; ne virus hoc in omnia Reipublicæ Christianæ membra diffundatur, prospiceret; pietatis, & magni animi sui esse omnes cogitationes, & curas in Reipublicæ Christianæ pace defigere. Ita Senatus decreto Cæsari responsum. Interea quanam ratione Germanis militibus, si per Veronesem agrum transire velint, obsistendum esset, consulitur: plerisque id nullo modo fieri posse, vel adituum multitudine, vel regionis latitudine contendentibus: Triultio licet difficultates inspicienti, conari nihilominus aliquid placebat; præcipuos in Veronensium fines ingressus summa diligentia custodiri; ac, si majoris aliquid momenti conficiendum foret, inter Pischeriam, & Lonatum munitionem erigi, qua situs opportunitate transitum Germanis præcludi posse sibi persuaserat. Verum, vel temporis angustia, vel immutatis Lautrechii consiliis, res ad exitum perduci non potuit, nonnullis tantum locis ad hostes aditu prohibendos custodiæ adhibitæ, atque iis præsertim, e quibus facilior ingressus esset futurus, ad Croariam nempe, Gavardum, & Clusam inter montium fauces sitam arcem, quam amnis Athesis præterlabitur, in quo catenam transversam duxere. Interim vero Lautrechio petente, ut copiæ Venetæ cum Gallicis jungerentur, quamquam moleste ferret Senatus exercitum a suis finibus discedere, ne militum incursionibus agri diriperentur, tamen ne fœderi deesset, in Cremonenses copias duci assensus est; instante vero Lautrechio, ut Padum trajicerent, legato præcipitur, ut si ita in rem esse censeret, ultra Padum nostros cum Gallis jungeret.

*Triultii cōsilia de munitione prope Lonatum erigenda.*

Interea Germani milites, nostris elusis, per montium aspera, ac confragosos saltus cum ad Baldi montis radices accessis-

*Cæsareani Parmā aggrediuntur.*

1521 fissent, incolumes in Cæsareanorum castra ad Parmam pervenere, quo etiam Aterni Marchio nuper cum Hispanis advenerat. Itaque propius admoto exercitu, civitas obsideri, & tormentis quati ab ea parte cœpta est, quam Parma flumine sejunctam, ad occasum vergentem, incolæ *Caput pontis* vocant. Lautrechius cum quingentis hastatis equitibus, septem Helvetiorum, quatuor Gallorum millibus, una cum Theodoro Triultio Venetorum Præfecto, qui quadringentos cataphractos, & quatuor millia peditum ductabat, Pado trajecto, lento itinere ripas amnis legens progreditur; dum interea sex Helvetiorum millia, qui a pagis Regi concessi fuerant, iter maturarent, id animo agitans, ut, vel cum hostibus manum confereret, aut si detrectarent, obsessæ urbi, cui frater præerat, opem ferret; quem per nuntios de rerum statu monitum, Gallicæ virtutis, sibi creditæ urbis, suæque existimationis meminisset, hortatur; cito cum exercitu, ut cum hoste pugnam capessat, ac civitatem obsidione liberet, adfuturum; certior namque a Scudo factus fuerat, paucos adhuc dies civitatem defendi posse. Itaque postridie ad viginti millia passuum ab urbe cum copiis pervenit, cataphractis præmissis, qui usque ad hostium castra citato cursu se se proriperent; verum dum hostes, omnibus ad oppugnationem instructis, acrius in mœnium eversionem incumbunt; Galli Capite pontis relicto, ultra Parmam amnem pacato agmine, cum majoribus tormentis se recipiunt. Hostes mane per murorum ruinas ingressi ea civitatis parte potiuntur, non sine oppidanorum applausu, ac lætitia; quippe qui Ecclesiæ imperium summopere concupiverant; licet statim ingens gaudium mœror, ac luctus exceperit; nam eorum domus, ac supellex prædæ loco Pontificiis militibus cessere. Eam redintegrandæ pugnæ opportunitatem nisi elabi Scudus passus esset, milites rapinæ intentos facile erat fundere, ac rursus civitate potiri. Hostes egesta humo, impedimentis perfractis, quibus portas Galli obsepserant, tormenta in amnis margine constituunt, atque in adversam fluminis ripam displodunt. Dum hæc summo studio aguntur, Lautrechius cum exercitu ad Tarum flumen, quod septem millia passuum ab urbe distat, accedit. Eodem tempore rumor affertur, Alphonsum Ferrariæ Ducem centum

*Parma cis amnem capta a Columna, & direpta.*

ca-

cataphractis, ducentis levioribus equitibus, duobus peditum millibus, quingentis Corsicis, quos Lautrechius miserat, æneisque tormentis duodecim improviso Finalis, Sanctique Felicis oppida adortum in suam potestatem redegisse. His nuntiis perculsi hostes summa trepidatione, oppugnationis relinquendæ consilia capiunt, veriti, ne a Lautrechio, quem appropinquare ferebatur, ad pugnam cogerentur, simul ne Ferrariæ Dux augendi imperii majores spiritus, atque opportunitates sumeret. Itaque duodecimo, postquam advenerant, die castra movent: Lautrechius, validiori præsidio urbe firmata, arcem Alam ditionis Parmensis oppidum ad Padum deditione recipit, atque inter Divi Secundi oppidum, Tarumque castra locat.

*1521 Finalis & Sancti Felicis oppida a Ferrariense capta.*

Infausto eventu Parma oppugnata, haud leves inter fœderatos suspiciones exortæ sunt. Leo repentinum Columnæ discessum carpere; Cæsareanorum cunctandi artes timere, ne urbis potiundæ, qua flagrabat, cupiditate ad extorquendam ab eo immanem, qua maxime in belli sumptus egebant, pecuniæ vim uterentur, hæsitare. Cæsar vero Leonis ambigua consilia, atque inconstantiam suspecta habere; ne iis, quæ ex fœdere ad illum spectarent potitus, quo æstu commotus repente a Gallis ad se transierat, eodem reciprocante raptus ad Gallos deferretur, vereri. Itaque denuo Venetos ad belli societatem, legato ordinario Alphonso Santio Venetias misso, solicitabat: ex ea magna ad Rempublicam emolumenta perventura; non minus sibi, quam Venetis Italiæ pacem cordi esse: ne putarent Insubrum accessione propagandi in Italia Imperii materiam quærere, cum ultro sancte polliceatur, Mediolanenses ditiones Francisco Sfortiæ Barensi Duci concessurum. Verum, neque ullo officiorum genere, neque pollicitis, ut a fœdere Gallico desciscеret, Senatus moveri, aut flecti potuit.

*Cæsar per Santium Legatum Venetos ad societatem allicit.*

*Venetorum constantia in Gallorũ amicitia.*

Interim Helvetii superatis Alpibus Cremonam veniunt, quorum adventu permoti hostes a Divi Lazari ad Lenzium fluvium ea parte, qua Regium respicit, profecti, haud paucos dies ibi commorati sunt; cum interea nil memoratu dignum accideret, fœderatarumque copiarum vires, atque existimatio imminuta opinione hominum excidisset. Cæsareani cœptis minime desistendum rati, sex millium Italorum peditum delectum habere, duodecim Helvetiorum millia, Ennium Filonar-

1521 dum Verulenſem Epiſcopum evocare, Mediolanenſemque agrum invadere totis viribus ſtatuunt. Et quoniam exercitus Gallici, & Veneti propinquitate, vel acie certandum, vel commeatu laborandum norant, trans Padum copias ducere decernunt, ponteque ad Brixellum oppidum, in Padi ripa poſitum, extructo, kal. octobris amne trajecto, caſtra ad Caſale majus poſuere; quo tempore Julius Cardinalis Mediceus Legatus a Leone ſupervenit. Lautrechius vero ponte ſex millibus ſupra Brixellum paſſuum Pado inſtrato, copias in Cremonenſem agrum perduxit, cumque hoſtes ad Ollium amnem quatuor caſtrametationibus perveniſſe, atque ad Rebeccam oppidum e regione Pontis vici ſubſtitiſſe, per exploratores nuntiaretur; ſtatim impedimentis Cremonæ relictis, cum univerſis Gallorum, & Venetorum copiis ad Divi Martini quinque a Rebecca millibus celerrime Lautrechius proficiſcitur, eo conſilio, ſi hoſtes iter maturarent, ut obvius copiam pugnandi faceret. Qua re vehementer commotus Columna non ultra progredi, ſed Helvetios adventantes opperiri ſtatuit. Verum tertio die Lautrechius, caſtris ad Bordellanum poſitis, tormentorum partem trans Ollium ad Pontem vicum miſit. Pilæ ferreæ in hoſtium caſtra ingenti ſtrepitu jaciebantur, quo periculo perterriti, quarta noctis vigilia ſummo ſilentio motis caſtris, exercitum ad Gabionetam oppidum ducant; inde manum conſerere cum noſtris detrectantes ad Oſtianum caſtrametantur.

*Ferrarienſes ad Finalem profligati.*

Dum nil agendo tempus utrinque teritur, Piſtorienſis Epiſcopus, ac Vitellius Helvetiorum, atque Italorum manu Ferrarienſes ad Finale oppidum inopinantes aggreſſi fundunt, ac cædunt, Duce ipſo quam celerrime ſe Ferrariam recipiente, qui cum valde ſuis rebus timeret, ſuppetias a Senatu enixe flagitabat; ne amicum, ac propinquum Reipublicæ Principem dereret, ne hoſtes ſancti Georgii peninſulam ingredi ſummo civium quoque Venetorum detrimento pateretur; minora ſaltem navigia ad ſe, reſque ſuas tutandas mitteret. Senatum, quin Ducis voluntati aſſentiretur, Pontificis auctoritas in primis permovebat; neque enim cum Leone apertas inimicitias exercere e Republica eſſe cenſebat, cum ea, quæ ex fœdere ad Mediolanum defendendum Galliarum Regi præſtaret, nec

Cæ-

Cæsareanis induciis, nec Pontificiis rebus adversari constanter 1521
affirmaret. Eodem ferme tempore, eademque de causa cum per Oratorem Villierium Rex petiisset, ut Senatus Ferrariensi summam militiæ Præfecturam mandaret, exorari non potuit, inclinatum jam in hyemem anni tempus, ac cataphractorum conscribendorum equitum difficultatem causatus. Dum hæc agerentur, Helvetii Sedunensis Cardinalis auspiciis per Alpes iter in Italiam moliebantur; qua de re cum rumor increbuisset, Bergomi, & Brixiæ Magistratus, ut aditus intercluderent, adnixi, in Sebino lacu lembos, ac rates ad oppositas ripas, ne facultas transeundi foret, sisti jusserant; Lautrechius Gallos equites cataphractos una cum aliquot ex Venetis levioribus Pandeomio Gallo duce ad Ollii pontem misit, ut fluminis trajectu Helvetios prohiberent. Verum conatus vano eventu cecidere; nam nocturno tempore per lacum vecti in Brixiensium fines pervenere, non absque suspicione, adjumenta illis ad trajiciendum exhibita a nostris fuisse, cum lembos, ratesque loco motas summo mane fuisse constaret. Helvetii cum primum oppositam attigere ripam, ab Hispanorum, aliorumque militum manu excepti in itinere quamplurima regionis accolis detrimenta attulere. Sed inter hæc prætereundum non est, quod ad Ottolengum satis amplum agri Brixiensis oppidum contigit: id Cæsareani, ac Pontificii milites ita fœde diripuerunt, ut in eo crudelitatis, avaritiæ, aut impietatis nulla non exempla reliquerint; non ætati, non sexui parcitum; fortunæ direptæ; feminæ ludibrio, & libidini habitæ; captivi abducti, in cunctos sævitum, & quod omnem immanitatem, atque impietatem exsuperat, sacratissima vasa, quibus Christi Dei corpus asservatur, furto sublata, Eucharistia abjecta, quæ barbaris quoque horrorem incutere poterant. Helvetii quoque, licet iis Brixiæ Magistratus jussu commeatus, & omnia necessaria abunde suppeditarentur, equis, atque aliis jumentis quamplurimis abactis, luctuosam agrestibus memoriam reliquere. His de rebus cum Cæsare Senatus vehementer conquestus est, quod induciarum tempore ejusmodi a suis militibus patrata forent, qualia ne bello quidem committere fas esset. Eodem cum Pontifice officii genere egit, quæ in religionem egerant milites gravius expressa, captivorum libertas,

*Helvetiorũ per Brixienses transitus.*

atque,

1521 atque, ut damna farcirentur, petitum. Principes militum facinora partim detestari, partim excusare conati, captivos restitui jussere.

Helvetii tandem Ollio trajecto, hostium castris se adjunxere, ingenti omnium admiratione, quod, qui nunquam invicem dimicare consueverant, pars Gallorum, pars Hispanorum stipendiis merentes infesta in se invicem signa ferrent. Verum non alia re, quam pecunia duci, ali, & contineri exercitus compertum est. Ceterum novo rei exemplo perculsæ procerum mentes ad conciliandos animos bellicosissimæ nationis, armaque iisdem auspiciis connectenda nuntios utrinque mittunt, qui ad illos, quos Sedunensis Cardinalis in Italiam duxerat, profecti fuerant, in itinere deprehenduntur; qui ad Gallorum exercitum designati erant, mandata exequuntur: pessimo consilio, non absque infamiæ nota, sub adversis signis ab eadem gente pugnari, civilia arma nunc primum acui, atque exerceri: quonam impetu, quo œstro perciti furerent? fera corda mollirent, ab infausta militia discederent, in patriam redirent, neve partam a majoribus gloriam, neu florentem Rempublicam fœda contentione commacularent, ac miserrime distraherent. Hæc tantum apud eam gentem potuere, ut plerique Lautrechium auri, argentique inopia laborantem desererent, ac per summum dedecus prisco amicitiæ jure, recentique Gallorum fœdere posthabito, in patriam reverterentur. Hujuscemodi moribus vel loci natura, vel domestica disciplina ea gens imbuta est, ferocia, ingenti spiritu, bellica virtute, nostra, patrumque memoria illustris, sterili solo, montium angustiis, saxorum crepidinibus fere inaccessa. Ut pauca inter se, eaque potissimum religionis causa, bella exercuere; ita quamplurimas in Europa pugnas alienis stipendiis edidere, quibus Helvetio nomini ingentem gloriam, egregios titulos peperere: quæ eximia bellicæ virtutis decora (ut nil undequaque perfectum mortalibus natura concessit) inconstantiæ, tumultus erga duces, ac parum sinceræ fidei notis nonnunquam aspersa fuere. Helvetiis dilabentibus, cum exercitus robur imminutum, ac fortunam trepidare Lautrechius inspiceret, anxius animi; ac de rerum summa solicitus, præsidio Cremonæ, & Pisleoni relicto, castra ad Cassanum admovit,

ut

ut hostes Abduæ fluminis transitu totis viribus arceret; id haud difficulter aggerum altitudine, pugnæ disparitate, militum virtute, consequi posse ratus. Hostes, ad Rivoltam exercitu admoto, de Abdua tranando, extruendoque inter Rivoltam, & Cassanum ponte, consilia ineunt; sed cum vel rei difficultate, vel Gallorum imminentium copiis deterrerentur, Columna secreto, intempesta nocte, parvis lembis ad Vaprium quinque millibus a Cassano passuum, nonnullos milites in ulteriorem ripam exponit. Ii editiorem quemdam locum occupant, ut reliquis succedentibus auxilio sint, ac, licet vehementius obsistente Scudo, qui ad tutandum fluvium, hostesque ripa prohibendos cum quadringentis cataphractis, Gallorum peditum manu, majoribusque tormentis a fratre missus fuerat, evasere, ac trans Abduam pervenere. Scudus spe frustratus Cassanum se recepit. Lautrechius vero de transitu hostium certior factus cum Gallorum, Venetorumque reliquis copiis una cum Triultio, Mediolanum, totius regionis caput, ingreditur, ad Laudem Pompejam Reipublicæ legato cum tormentis, suarumque copiarum parte relicto. Hostes ad Melinianum oppidum Mediolanum, & Ticinum inter castrametantur, eo consilio, ut, nisi valido præsidio firmatam Mediolani urbem aggredi, saltem Ticinum regredi possent.

1521

*Lautrechius cum Triultio Mediolanū se recipit.*

Sed cum declinare Gallorum res, aversamque ab iis fortunam cernerent, animos, ut adversus Mediolanum suarum virium periculum facerent, erexerant; tum popularium studiis, atque animorum inclinatione, quos rerum novarum spes nonnunquam præcipites agere solet; tum exercitus intra mœnia inclusi consternatione accensi: quæ Pontificiis, ac Cæsareanis, ut afflanti sinum fortunæ explicarent, spiritus addiderant. Itaque ad xiij. kal. novembris, in vesperam vergente die, suburbia aggrediuntur, quæ Lautrechius, ne hostis, illis captis, faciliorem sibi ad expugnationem aditum aperiret, munienda curaverat. Ad munitionem prope Ludovicam portam, cujus custodia Theodoro Triultio, & Andreæ Grito obvenerat, a scloppetariis militibus pugnari cœptum: primo congressu Hispani arcentur, ac funduntur; paulo post redintegrata pugna, militum magno numero aucti, ignibus fabrefactis, vehementiori impetu invehuntur; munitiones, quæ parum eminebant, con-

*Columna Mediolanū aggreditur.*

1521 conſcendunt; cumque impares Veneti ad Hiſpanos ſuſtinendos eſſent, Triultius, quam iniquo loco res eſſet, Lautrechium doceri jubet, ut Helvetiorum manu ſubveniat, petit; his imperata detrectantibus, totidem numero Aquitanos flagitat; tandem Petro Navarro cum paucis peditibus ſubſidio miſſo, Veneti ab hoſte preſſi, perturbatis ordinibus, loco cedere coguntur; idem Helvetii, qui haud longe aberant, fecere; pavore omnia, trepidatione, ac tumultu replentur. Hoſtes, Venetis fuſis, Theodoro Triultio ſummo Præfecto, Mercurio Bua, Aloyſio Marino Reipublicæ a ſecretis, atque aliis captis, Andrea Grito ſe cum Gallis in civitatem recipiente, Romana, ac Ticinenſi porta cum exercitu urbem ingrediuntur. Lautrechius noctis horrore, populi levitate, inopinato hoſtium adventu perculſus, nil egregii conſilii capere; non hoſtes, qui metu ſoluti nullo ordine in civitate, ac ſuburbiis vagabantur, adoriri; non ſuos adhortari, ac ſiſtere; cuncta in pejus labanti animo ſubjicere; tandem paululum ad arcis aream moratus, intempeſta nocte Mediolano relicto, cum Gallorum, ac Venetorum copiis Comum ſe recepit: ibi quinquaginta cataphractos equites, ac ſexcentos pedites præſidio ſub Palicia imponit, Abduaque ad Leucum trajecto, cum reliquis copiis in Bergomatem agrum contendit. Ita Gallorum parta, ac ſperata decora fere momento fortuna, Mediolano erepto, prorſus evertit; cum Lautrechius in ampliſſima civitate cum exercitu tutum ſe eſſe, neque hujuſcemodi facinus auſuros hoſtes arbitraretur. Verum ita ſe res mortalium habent, ut earum ſæpe exitus, neque conſiliis, neque ſententiis hominum reſpondeant, ac nonnunquam rerum maximarum opportunitates, aut omiſſæ, aut ultro ſuſceptæ modo infauſtos, modo præclaros exitus habuerint. Pontificis, ac Cæſaris exercitus, qui paulo ante Parma inglorius, ac pene in fugam verſus abſceſſerat, neque Inſubrum vicos, ne dum urbes, attigerat, felici audacia caput regionis adortus, non bellicis admotis machinis, non nobili prælio depugnans, horæ momento ingentem victoriam eſt adeptus. Atque, ut plerumque fit, ut nutantibus, inclinatiſque rebus, nec officiis, nec minis populus in fide contineri queat, Mediolano (arce tantum incolumi) amiſſo, Ticinum, Laus, Placentia, Parma, ac Novocomum ultro in hoſtium

*Theodorus Triultius a fœderatis captus.*

*Lautrechius Mediolanum deſerit.*

*Complures urbes a Gallis deſiciunt.*

ſtium poteſtatem conceſſere: Cremonæ trepidari cœptum, cives ad arma concurrere, univerſaque civitas in defectionem verſa, arce excepta, ad partes Cæſaris acceſſerat; ſed Lautrechio cum exercitu adventante, per nuntios delicti venia petita, atque accepta, rurſus in fidem recepta eſt. 1521 *Cremona a Lautrechio recepta.*

His rerum ſucceſſibus ſuſpenſi Patres, tantam repente rerum mutationem ſequutam anxiis animis expendebant, tantam imperii acceſſionem Cæſari momento factam, Italiæ, ac Reipublicæ metuendam rati: nam regno Neapolitano, Inſubrum opulentiſſima regione, quam ſummopere concupiverat, adjecta, Pontifice ſibi multis beneficiis obſtricto, ac præſenti ſucceſſu devincto, quo victoria impotens animus ſeſe tolleret, circumſpectabant, efferentemne fortunam cohiberet? An laxatis habenis, nullam juſtitiæ legibus inſitam Regibus dominandi libidinem coerceret? Attritas Gallorum res, propinqua jam hyeme, nec ſuppleri exercitum, nec novas copias a Rege mitti poſſe; cataphractos Reipublicæ pedites, ac levioris armaturæ equites valde imminutos, recentique clade male affectos; vires Reipublicæ ad belli molem ſuſtinendam univerſam impares eſſe: quocirca præſentibus rebus accommodatis conſiliis, Pontifici partam victoriam gratulantur, felicia illi, proſperaque ſemper optaſſe; a veteri obſervantia erga ſanctiſſimam illam Sedem plurimis pace, belloque teſtatam officiis, numquam ſe receſſuros; ſuppetias Gallorum Regi fœderis nexu adactos tuliſſe; inducias cum Cæſare ſervaſſe, nullas pacis æquas conditiones aſpernatos, ut Chriſtiana Reſpublica per tot annos bellorum caſus magno cum damno experta ab inteſtinis diſſidiis conquieſceret, ac communi hoſti communi conſilio obſiſtere poſſet. Alphonſus Santius Cæſaris Orator Patrum Collegium adit; Gallos poſt Mediolanenſem cladem intra Reipublicæ fines exceptos a noſtris foveri graviter conqueritur, perſpicua in Pontificem, ac Cæſarem inimicitiæ ſigna edita exaggerat; his niſi cito proviſum ſit, Cæſarem totis viribus obviam iturum. Senatus quæ acta ſint neceſſitate temporum excuſat; Gallico fœderi deeſſe abſque fidei nota non licuiſſe; nil contra inducias actum; optima ſemper in Cæſarem mente fuiſſe, neque diu in ſuis agris Gallos moraturos. His officiis Cæſareanorum animos lenire, ardorem reſtinguere conatur, *Cæſaris legatus de Venetis conqueritur.* *Venetorum excuſatio.*

ve-

1521 veritus ne victoria insolens hostis, induciarum legibus perfractis, cuncta ad libitum misceret, ac quacunque facilior esset aditus irrumperet. Itaque Andreæ Grito Legato mandatur, Lautrechio suadeat, ut exercitum a Venetis finibus in Ferrarienses ducat; soli fertilitate, ac frugum ubertate omnia ad commeatum necessaria abunde regionem suppeditaturam; cum præsertim Alphonsus per suos nuntios nuper Lautrechio se, suaque Regi auxilio fore significasset, ac quamplurimæ rei optime gerendæ occasiones locorum opportunitate capi possent: id si omnino abnuat, quam maximam saltem copiarum partem eo mittat, cum reliquis in Veronæ, ac Vicentiæ finibus moretur; ne si intra Brixiensem, ac Bergomatem agrum exercitum continere velit, bellum in Reipublicæ viscera eliciat, infensis præsertim erga Hispanos incolarum animis, qui recentium injuriarum haud immemores, nulla periculorum habita ratione, cuncta ausuri viderentur. Verum Lautrechius a Reipublicæ finibus amovere copias noluit. Interim Oratori apud Galliarum Regem injungitur: cladem in Insubribus acceptam Reipublicæ nomine doleat; de communium rerum statu edoceat, omnem spem in eo sitam esse, qui fortunæ malignitatem, ac improsperos eventus sua virtute corrigere possit: quocirca inexhaustis potentissimi regni viribus nitatur, labentes res sustinere, equitatus, peditatusque magnam vim in Italiam mittere: fore, ut hostes pecunia laborantes, munitionibus, atque arcibus adhuc Gallis obtemperantibus, non diutius victoriæ fructu lætentur. Dum hæc fiunt, atque omnium animi eo intendunt, quo, post summa felicitate, ac facilitate partam a Cæsareanis victoriam, res evasuræ essent, inopinato Leonis Pontificis obitu omnis eventuum, ac consiliorum ratio immutata est; qui cum ingentem lætitiam ex Mediolanensi victoria cepisset, animoque multo majora evolveret, ac spe jam potiretur, febricula paucis diebus confectus, v. non. decembris, non absque exhibiti veneni suspicione, e vita excessit: vir excellenti ingenio, regia liberalitate, præsertim in eos, qui ingenuis excolendis artibus incumberent, atque antiquitatis gloriam egregia aliqua virtute æmularentur: humanæ felicitatis votis supra reliquos mortales felix; nisi Italiam, quæ post præteritorum bellorum clades respirare videbatur, denuo

*Leonis Pontificis obitus.*

in

in eosdem fluctus, ac molestias conjecisset: erga Venetos in 1521 speciem propensus, re ipsa infensus, quæcunque potuerat adversus illos machinatus. *Leo infensus in Venetos.*

Dum variis rerum casibus Italia jactatur, ac potentissimi Christianæ Reipublicæ Principes implacabili odio, armisque acerrime decertant, Turcarum vires Principum dissidiis in dies magis augebantur; gens Christiano nomini infensa, nemine obsistente, libere debacchari, atque Europæ exitium meditari cœperat: eo sane ambitio, ac vecordia mortalium animos adegerat, ut ne de tantis quidem rebus cogitarent, & dum acrius invicem insurgerent, ac plusquam civilibus odiis præliarentur, nil sancti, nil pensi haberent. His factum fuerat, ut Selymus Bajazetis filius superioribus annis regnum adeptus, magnis victoriis Ottomanæ gentis nomen nobilitaret, qui cum omnia regnandi cupiditate minora existimaret, patre adhuc vivente, regnum invaserat. Fratribus Acomate, & Corcuto interfectis, Prætorianorum militum favore ad Imperium evectus, ingenii ferocitate, bellica virtute, vasto spiritu, animo supra quam dici posset, gloriæ, ac regnandi avido, ut regni fines augeret, primum Sophum Persarum Regem armis in Perside aggressus acie vicerat, Taurisium occupaverat, magnam amplissimæ illius regionis partem subegerat. Mox vetusta, ac præpotenti Mamalucorum gente, quæ Aegipto, Syriæque per trecentos annos imperitaverat, tribus præliis victa, ac deleta; Memphi amplissima, ac celeberrima civitate in potestatem redacta; exiguo temporis intervallo Syriam omnem, atque Aegyptum Ottomanico imperio adjecerat. His autem regnorum accessionibus & maritimarum, & terrestrium copiarum robore, atque immensa auri copia maximos spiritus sibi sumpserat: siti inexplebili regnandi ardens animus, quo plura armis adeptus fuerat, eo ad majora niteretur, Pannoniisque non modo, verum etiam Italiæ illius arma essent formidolosa. Verum medio rerum cursu interceptus apud Chiurdum Thraciæ pagum anno M.D.XX. postquam octo annos imperasset, spes omnes cum vita amiserat, Suleimano filio imperio amplissimo relicto, qui a patris crudelitate abhorrens, bellica virtute haud dispar, non exigua Ottomanis imperii incrementa peperit: nam regni initio Gazelem Syriæ Præfectum novos motus cientem, ac *Turcicarum rerum expositio.*

Ma-

1521 Mamalucorum nomen, Tripoli, & Beritho clarissimis occupatis urbibus, erigere conantem, prælio fudit, ac provinciæ pristinam tranquillitatem restituit.

Mox hoc anno M. D. XXI. bellum Pannoniis inferre decrevit, Christianorum dissidiis nobilissimo regno nullo negotio potiturum ratus. Huic Ludovicus Ladislai filius vix primæ juventæ annos ingressus præerat, rerum usu, militari scientia ad regia obeunda munera, atque ad tantam molem difficillimo tempore sustinendam parum idoneus; regni proceribus dissimili sententia, consimili affectu imperium in diversa trahentibus. Itaque Suleimanus, ingenti exercitu comparato, Byzantio egressus, iter per Thraciam, ac Mœsiam in Pannonias arripuit, Albam Græcam regni illius celeberrimam urbem, ac Turcarum manubiis jam inde ab Amurathis temporibus refertam oppugnaturus, uno & eodem tempore classe ad Christianorum Principum vires distinendas Hellesponto emissa. Quæ res Senatum impulere, ut Legato severiorem maris custodiam committeret; Corcyræ, Maleæ, Cretæ, ac Cypri nonnullis triremibus relictis, ut cum reliqua classe se in sinum Adriaticum reciperet, mandaret. Ludovicus cum primum certior factus esset, universum Ottomanici belli impetum in suum regnum erupturum, ut potentissimo hosti omni conatu obsisteret, summa ope nitebatur: & quoniam impares ad tantum onus sustinendum suas vires noverat, ad Christianos Principes, Respublicasque conversus literas mittit; de rerum suarum, deque regni statu docet, auxilia implorat; ut, nisi sui regni periculo, saltem proprii commodi rationibus ad opem illi præstandam permoverentur, ne regno Hungarico adepto, aditus Christiani nominis hosti in Germaniam, Italiam, ac reliquas Europæ provincias pateret. Eæ literæ Laurentio Aurio Doctori, Reipublicæ Legato traduntur, quæ Venetias transmissæ ad reliquos Principes mittuntur. Cum Aurio Rex graviter agit, exorat, Senatum suadeat, ut priscæ cum Pannoniæ Regibus societatis meminerit; hortetur, ne in tot rerum angustiis regno amplissimo, Venetique nominis studiosissimo deesse velit. Hæc eadem Philippus Mora Agriensis Episcopus Regis Orator Senatui significanda curavit, qui vetere in Hungariæ Reges benevolentia, ac studio omni ope, & apud Christianos Principes

*Ludovici Hungariæ Regis literæ ad Christianos Principes.*

*Laurentius Aurius Venetus Orator in Pannonia.*

cipes

cipes officiis, & pecuniæ vi Hungaricas res juvare nixus fuerat, eidem Oratori ex fœdere triginta aureorum millibus persolutis. Verum temporum conditionibus, quin præsentibus postulatis assentiretur, remorabatur; præcipue vero in Italiæ præcordiis furente bello, quod per tot annos Venetorum civium vires haud parum debilitaverat. Itaque S. C. Legato responsum est: Quæ prospera, vel adversa regno Hungarico accidissent, semper veluti propria Rempublicam existimasse; ob bellum, quod Pannoniæ a potentissimo Turcarum Rege immineat, vehementer commoveri; verum eo loco Venetas res esse, ut præteritorum temporum casibus attritas, nihilominus rursus in belli Italici tempestates incidere necesse sit: quocirca regni vicem dolere, fateri nihil adversi illis accidere posse, quin ad reliquas Europæ partes pertineat, belli fluctibus in Italia residentibus, priscæ in nobilissimum regnum benevolentiæ, ac pietatis signa edituram. Sed cum Turcarum ingenti conatu in summum discrimen Pannonias adduci Ludovicus cerneret, atque ab omnibus Christianæ Reipublicæ Proceribus subsidia sedulo flagitaret, Joannem Statilium Evursiensem Præpositum, qui a Senatu denuo opem, auxiliumque imploraret, Venetias misit: illum xij. kal. octobris Sapientum Collegium ingressum in hanc sententiam locutum esse constat. 1521

*Joannis Statilii Hungariæ Legati oratio.*

*Etsi qui Pannonicarum rerum status, Princeps Serenissime, Amplissimi Patres, vobis notum esse Ludovicus Hungariæ Rex sibi persuadeat; quique erga amplissimum regnum vester animus semper fuerit, illustribus argumentis nullo non tempore perspexerit; attamen ut me extraordinarium Legatum ad vos mitteret, plurima permoverunt; præpotentis Turcarum gentis adversus Pannonias bellum, hostium numero, ac viribus formidolosum; minime ad tantum onus sustinendum pares regni vires; amplissimæ istius Reipublicæ in illud semper spectata, atque egregia officia; Regis vobis addictissimi in gravissimo hoc Senatu spes, ac præsens fiducia. Neque enim antea Ottomana gens nomini Hungarico inimica, quæ semper crudeles iras, implacabile odium nobiscum exercuit, aut militum copia, aut tormentorum apparatu instructior, aut imperatoris virtute magis subnixa, regnum nostrum invasit; qui cum immensum fere undique militum numerum comparaverit, armis, equis, viris,*

1521 *bellicis machinis undique septus minas intentat, ingentem impetum frementis belli in nos effusurus. Ad quod si alio unquam tempore repellendum nostræ opes dispares fuere, hoc certe superioribus exhaustæ cladibus, ne ad sustinendum quidem pares erũnt; nisi a reliquis Principibus, quorum de re maxime agitur, periclitanti regno subveniatur, ne propugnaculum, ac veluti murum barbaris objectum, ingenti totius Reipublicæ Christianæ damno, hostes transgrediantur. Tot undique circumseptus angustiis Ludovicus quid faciat? quos imploret? nisi eosdemmet principes, ac illos præsertim, quorum salus in Hungariæ defensione continetur? quorum res, illa labefactata, consistere nullo modo possunt? quique mutuis secum necessitudinis, ac benevolentiæ officiis semper conjuncti fuerint? inter quos quis ignorat, præstantissimam hanc Rempublicam potiores partes semper tenuisse? quippe quæ exactis temporibus Pannoniæ Reges coluerit, atque ab iisdem summo honoris, atque existimationis gradu habita sit. Inde illa fœdera fluxere, quibus adstricti sæpius dextras vestras inimicorum sanguine aspersistis, opima spolia reportastis, teterrimis Christiani nominis hostibus obstitistis. Ii nunc, proh dolor, adeo insolentes, ac jactabundi efferuntur, ut quod nullo unquam tempore cogitarunt, modo sibi ultro spondeant, ut postquam ferro, cæde, flammis omnia miscuerint, in caput, ac cervices nostras servitute, & armis desævierint, amplissimis, ac omni rerum copia affluentibus provinciis potiantur. His subactis facilem sibi aditum ad Italiam oppugnandam fore arbitrantur, quæ hoc præcipue regno nititur, ut si illud (quod Deus Optimus Maximus avertat) detrimenti aliquid patiatur, proculdubio ad hanc quoque præcellentem, ceterisque gentibus admirandam provinciam tabes illa, ac pestis pervasura sit. Quid igitur vos potentissime Reipublicæ Proceres; qui amplum in Italia imperium possidetis; qui Dalmatiam, Epyrum, Peloponnesi, ac Macedoniæ partem, Aegei insulas; ad hæc Cretam, atque Cyprum nobilissima regna in potestate habetis, facere oportet? Majores vestri, nondum tantis incrementis Turcarum imperio aucto, cum bella ab Ottomanis ingruerent, Pannoniæ semper rebus opem tulere, illius salutem a vestra sejungi non posse statuere. Quid potissimum a vobis, Patres, hoc tempore agendum est, dum jactabundus potentissimus,*

ac

*ac efferus hostis cum valido exercitu, ingentibus, tum equestribus, tum pedestribus copiis, vehementiori, insuetoque impetu Pannonias aggressus, Albam Græcam totius regni arcem, olim eorumdem trophæis hostium decoratam oppugnet? quam si, quod maxime veremur, in suam potestatem redegerit; quid erit impedimento, quominus hoc præpotenti præsidio, veluti quodam firmissimo aggere, comminuto, non undique rapidissimi torrentis more, minaci impetu furens cuncta dejiciat, atque prosternat? Tunc vos ad Forijulii, Dalmatiæ, Epyri, aliasque provincias animum convertere necesse erit; munire oppida, urbes validioribus præsidiis firmare, immensos prope sumptus subire, de quibus dum Pannoniæ stant, dum viget Hungaricum regnum, vobis ne cogitare quidem necesse est. Quid? quod accessione hac fortior effectus hostis vires maritimas augebit, classes triremium numero majores ex Hellesponti faucibus educet, ac Respublica vestra ancipiti terrestri, maritimoque imperio tutando distenta, debilior ad hostium incursus perferendos fiet? Hæc, ut afflicto regno, dum fieri potest, dum tempus est, dum sinit occasio, subveniatis, summopere hortantur. Non exercitus deposcit Ludovicus, non classes, non bellicos apparatus; novit belli faces rursus in Italia arsuras, novit classibus vobis ad maritimas oras, provinciasque vestras tutandas opus esse. Auri tantum, argentique vim flagitat, quæ in usus rei militaris, in defendendis urbibus, in alendo exercitu erogari queat. Res nostræ eo deductæ sunt, Patres, ut si inutili cunctatione prolatando tempus teritur, in aperto periculo versemur: cogemur enim (quod vix præ lacrimis effari queo) nisi per summam ignaviam, ac dedecus ultro captivitatem subire velimus, nullius rei ratione habita, cum hoste dimicare; non eventus Albæ Græcæ terrebit, non incertus exitus retinebit, non si ante oculos mors obversetur, consilia immutabimus; eo enim redacti sumus, iis angustiis premimur, ut vel invitis, aut cum hoste pugnandum, fortunæque alea subeunda sit, aut ab iis pacis leges accipiendæ, qui sæpius a gente Hungarica pulsi, ac turpiter victi sint; quorum altero nil indignius, aut fœdius; altero nil acerbius, aut durius esse potest. Quo igitur major adventantis periculi metus, debilior rerum Pannonicarum status, quo magis extimescenda clades imminet, quæ ad vos usque,* 1521

C 2 atque

1521 *atque adeo totam Christianam Rempublicam permanabit, eo magis subvenite amplissimo regno, labentibus rebus succurrite; Ludovico Regi vestræ Reipublicæ amicissimo, in juventæ flore, quod allicere vehementius ad pietatem debet, constituto, ferte opem. Id Rex pro veteri fœdere, pro vestra benevolentia sibi pollicetur; id amplissimum regnum expectat; id ego vos præstaturos confido, ut, qui ad hoc peragendum negotium missus bona spe in vestrum conspectum prodierim, gratia, auxilioque fultus meliori eventu, atque omine revertar.*

Hac oratione omnium animi vehementer commoti sunt. Princeps, ut moris est, pauca de propensa Reipublicæ erga Regem, Hungaricamque gentem voluntate, & studio respondet. *Alba Græca expugnatur.* Res statim ad Senatum delata, dum dissentientibus sententiis agitatur, Albam Græcam a Turcis expugnatam nuntii attulere. Hæc in Pannonia agebantur. Cum interea Leonis Pontificis obitu cursus ille victoriæ, quo magnopere hostes efferebantur, debilitari, ac languescere paulatim cœpit: nam qui Pontificiis stipendiis merebant, Leonis morte audita, digredi, ac deserere signa cœpere: Cæsareani vero argenti inopia tantam copiarum vim alere non poterant, ut propterea magnam militum partem dimittere cogerentur; Helvetiis, mille quingentis circiter exceptis, abeundi facultas permissa. Germani quoque trans Alpes, Florentini in Hetruriam iter arripuere. Itaque qui antea inopinato Mediolani eventu perculsi fuerant, paulatim abjecto metu, ad meliorem spem animos erexere. Nam Ferrariensis Dux, producta centum cataphractorum, trecentorum levioris armaturæ equitum, duorumque millium peditum manu, sponte Bondini, Finalisque oppida, Mutinæ, ac Carfagnanæ montes deditione recepit; nulloque negotio Lugo, & Bagnacavallo potitus, ad Centensem urbem castra admoverat. Andreæ vero Grito Legato Senatus mandaverat, ut pedite, atque equite quantum posset, Lautrechium juvaret: Theodori Triultii, qui adhuc apud hostes captivus detinebatur, loco, Pompejo Castroæ cataphractorum equitum cura mandata est. Lautrechius cum Parmam haud satis firmo præsidio teneri per exploratores intellexisset, ut aliquo facinore præteritarum cladium notam deleret, urbem expugnare statuit; in ea septingenti Itali pedites, quinquaginta cataphracti ade-

aderant. Summa totius rei Bonavallio, Federico Bozzolo, & Marco Antonio Columnæ committitur; ſpes in celeritate, atque in hoſtium negligentia ſita erat. Bonavallius trecentis cataphractis; Bozzolus, & Columna Gallorum alter, alter Venetorum quinque millium militum manu (nam Andreas Gritus Legatus, Lautrechio flagitante, tot ex noſtris dederat, quot Gallis juncti ad Parmam recuperandam ſufficerent) ad Turricellam duodecim a Parma millibus, Pado trajecto, urbis partem, quæ nuper ab Hiſpanis direpta fuerat, nullo obſiſtente, ingrediuntur; ſequenti die alteram partem, quæ trans Parmam amnem ſita eſt, aggredi ſtatuunt. Hoſtes, ne in adverſam noſtri ripam evaderent, haſtis arcere, ſaxis dejicere, glandibus percutere, ut tandem militum audacia oppidanorum virtute, cum tormentorum bellicorum inopia laborarent, fruſtra fluminis tranſitu pertentato, referre pedem, cœptiſque deſiſtere coacti fuerint. Itaque oppugnatione relicta, pridie kal. januarii cis Padum ſe recepere. Quo etiam tempore Helvetii, Legatis cum literis miſſis, Senatui gratias egere, quod turbulentiſſimis temporibus Chriſtianiſſimo Regi auxilium tuliſſet, ac, ne in poſterum ampliſſimo regno ulla in re deeſſet, enixe exorarunt; ſummum in illo Italiæ, Reipublicæque Chriſtianæ ſemper præſidium fore. Legatis perbenigne reſponſum, honorificeque excepti, ac dimiſſi ſunt.

1521

*Helvetiorū Legati ad Venetos.*

## M. D. XXII.

INterea in Inſubribus arma quieſcebant, nihilque, quod ad belli ſummam ſpectaret, agebatur, eo converſis omnium animis, quiſnam in Leonis Pontificis locum cooptaretur, quique exitus comitiorum futurus eſſet; cum plurimum ad pacem Italiæ, atque ad univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum pertineret, qua mente is futurus eſſet, cujus ſumma ſemper apud Chriſtianos Principes extiterat auctoritas. Itaque Senatus, Leonis obitu audito, ad Cardinalium Collegium plenas officii literas dederat, quibus eos graviter hortabatur, ut privatis poſthabitis rationibus, id tantummodo attentiſſime proſpicerent, ut illi Pontificatus onus ſuſtinendum committeretur, qui pietate, prudentia, ceteriſque virtutibus ornatus, religionem nu-

1522

1522 tantem tueri, saluti publicæ consulere, atque Italiam pristinæ quieti, ac paci restituere posset. Coactis igitur, decembri mense exeunte, Cardinalium Comitiis, de successore Leoni deligendo per aliquot dies actum est, Julio Cardinali Mediceo, qui auctoritate, opibus, ac gratia ceteris anteibat, ut voti compos fieret, summo studio adnitente; inde mora oborta, ac dies aliquot in perquirendis sententiis absumpti. Inde Horatius, ac Joannes Paulus Baleonii fratres ad Perusiam, in qua principatum obtinuerant, occupandam illecti, ducentis cataphractis, trecentis levioribus equitibus, ac quinque peditum millibus, tertio nonas januarii urbem oppugnare adorti, septem gravioribus tormentis mœnia quatere incipiunt; pluribus locis eodem tempore acerrime pugnatur: milites urbem ingredi conati maxima virtute a propugnatoribus repelluntur. Verum cum . . . Vitellius, qui subsidio missus fuerat, plumbeæ glandis ictu vulneratus discessum pararet, fratres Baleonii Perusia potiuntur.

*Baleonii Perusia potiuntur.*

His Romæ auditis, Pontificem Leoni quamprimum sufficere Patres nituntur, summam illam dignitatis auctoritatem imminentibus bellis, ac Principum dissidiis poscentibus. Cum igitur, qui Comitiis intererant, in præsentes convenire non possent, VI. idus januarii de more Cardinalium sententiis exquisitis, præter opinionem Pontificatus honos, non absque ingenti omnium, atque eorum etiam, qui aderant; admiratione, Hadriano Tortosæ Cardinali delatus est, ex aliorum dissensionibus ad illud fastigium evecto; neque enim patria, (nam in Batavis ortus) nec rerum Italicarum usu, nunquam enim in Italia fuerat; neque Cardinalium favore, & gratia, quibus fama tantum notus erat, subnixus ad eam dignitatem pervenerat. Fuerat is Cæsaris præceptor, atque illius auctoritate in Cardinalium Collegium cooptatus, universam fere ætatem procul a negotiis, & curis traduxerat, senioque confectus in Hispania degebat, ac Vellutæ Cantabriæ civitate de adepto Pontificatu nuntium accepit, quem ne mente quidem, ne dum votis expetiverat. Senatus illi officii, ac observantiæ refertis literis gratulatus, quo loco Italiæ, ac Christianæ Reipublicæ res essent, ob oculos posuit, atque ad pacem inter Principes conciliandam vehementi affectu est cohortatus.

*Hadriani VI. Pontificis electio.*

Le-

Legatio præstantissimorum civium decreta, qui Romam adventanti gratulationis munus obirent, pietatemque publicam erga Romanos Pontifices de more testarentur. Fuere hi Aloysius Mocenicus Eques: Antonius Justinianus Doctor: Vincentius Capellus: Marcus Dandulus Doctor, & Eques: Petrus Pesareus: Marcus Foscarus, qui cum Bononiam pervenissent, ob pestilentiæ luem, quæ eo anno in Italia grassabatur, redire in patriam coacti sunt. Ante Hadriani vero in Italiam adventum a tribus ex Cardinalium Collegio, qui singuli per mensem præerant, Pontificis absentis loco res administrabantur; quibus, ut plerumque fit, dissentientibus, ac in Reipublicæ cura privato commodo inhiantibus, quotidie omnia in pejus labebantur. Nam ad Perusiæ civitatis mutationem illud quoque accesserat, ut Franciscus Maria Feltrius e Ruverensi familia Urbini Dux cum septem circiter peditum millibus in Senensem agrum irrumperet, atque usque ad urbis mœnia progressus cuncta metu, ac terrore repleret; trecentas auri libras sibi persolvi, mutarique civitatis statum exposceret. 1522

*Oratores a Venetis ad Pontificem designati.*

*Pestilentia in Italia.*

Sed adventantium Helvetiorum rumore, ac Joannis Medicei, qui e Gallia Cisalpina ad opem Senensibus ferendam in Hetruriam profectus fuerat, metu cœptis desistere, inchoatasque spes relinquere coactus fuit. Neque vero quietiores in Insubribus res erant; quamvis enim Pontificatus interregno pugnandi ardor, ut diximus, imminutus videretur, neque post Mediolanum a Cæsareanis captum aliquod memoratu dignum facinus ederetur; tamen animorum ad bellum propensio in dies acuebatur. Dum Galli præteritæ cladis fortunam virtute corrigere, Hispani penitus ex Insubribus, atque adeo tota Italia pellere contendunt; hinc Alexandria a Cæsareanis militibus occupatur, ab Hasta Galli pelluntur. Franciscus Gallorum Rex, cum prosperos Cæsaris successus, Mediolanum amissum, præcipuas urbes in hostium potestatem redactas, exercitum debilitatum, ac prope deletum intelligeret, animi anxius malignitati fortunæ eo vehementius occurrendum ratus, quo se Insubrum possessione indignius pulsum fuisse ferebat, quamprimum se in Italiam venturum vulgaverat, Lugdunum mensis aprilis initio se contulerat, maris Præfectum Gratianopolim præmiserat, atque in id omne studium converterat, ut recen-

*Alexandria a Cæsareanis occupata.*

1522 tibus auxiliis, ac viribus copiæ augerentur, majorique conatu nova in Italiam expeditio pararetur. Helvetiorum præterea supplementum in Galliam Cisalpinam mittendum curaverat, quod pro vetere amicitia, ac fœdere Pagi præstitere: decem peditum millia sub auspiciis Renati Sabaudiæ nothi, magni Galliæ Magistri, ac Galeatii Sanseverinatis magni Scutiferi per Lepontias Alpes, quas hodie *Divi Bernardi*, ac *Gotbardi montes* vocant, in Cisalpinos mittuntur: Venetos, ne Cæsaris pollicitis illecti mentem flecterent, in officio retinere conabatur. Andreæ quoque Grito Legato literas dederat, quibus de suo in Italiam adventu, deque copiarum numero complura significabat. Proinde Senatus majori spe ductus sedulo ad bellum necessaria comparare: nullis sumptibus parcere: Gallos commeatibus, tormentario pulvere, pecunia ad militum stipendia juvare. Cæsar iis, quæ in Gallia gerebantur, cognitis, minime cunctandum ratus, octo peditum Germanorum millia, ut copias novo subsidio auctas firmiores redderet, conscribit: per Oratorem Santium, ut per Reipublicæ fines tuto, ac libere transire liceat, postulat; id amicitiæ, ac induciarum jure, quæ sibi cum Venetis intercederent, deberi: quod sane eo consilio fiebat, ut qua Veneti mente erga Cæsarem essent, dignosceretur; cum ad retinendam, ac firmandam Insubrum possessionem illorum amicitiam plurimum conducere Carolus intelligeret, eosque ad suas partes attrahere, jam inde a belli initiis adnixus fuisset: neque desperabat fore, ut superioribus annis bellorum calamitates experti animos ad pacem flecterent. Senatus ancipiti cogitatione distentus; cum hinc Gallico fœdere detineretur; inde Cæsarem præpotentem, ac finitimum sibi infensum reddere nollet, consiliorum cunctatione tempus terebat. Ea res, ut rursus Collegium Patrum adiret, Santium permovit: quænam de Germanorum transitu publica voluntas sit, exquirit: admitterene illos, an arcere velint: nihil dissimulanter agendum: infestone, an amico in Cæsarem animo sint, aperte promendum; id Imperatoris nomine petere: amicitiamne illius amplecti, suisque rebus favere, an inimicitias exercere, ac bellum malint; non minus Cæsarem amicum, quam hostem experturos. Senatus, variis consultationibus re agitata, tandem hunc in modum respon-

ſpondit : Eadem ſemper mente erga Cæſarem fuiſſe, ſummæ in illum benevolentiæ, atque obſervantiæ argumenta dediſſe; quo minus id, quod maxime cuperet, re præſtare queat, Gallico fœdere detineri. 1522

Interim Lautrechium ad copias quam celerrime inſtaurandas, milites reficiendos, cuncta ſtudio, ac diligentia ſuperanda ſummopere urget; Hieronymus Adurnus, qui ad milites in Italiam ductandos a Cæſare miſſus fuerat, licet a Rhætis Vulturenæ vallis tranſitu prohibitus; ratione tamen itineris mutata, montis cacumine ſuperato, quo valles diſterminantur, per Camonicam, ac Bergomates inopinanter, atque adeo citato itinere cum Germanis in Abduanam glaream ſe contulit, ut Magiſtratus, qui Bergomi præerant ne remorari quidem illos, ne dum arcere potuerint; licet prius ab Andrea Grito Legato, ut adventantibus in montium faucibus obviam irent, atque iter intercluderent, milites inſtruere, ac parare juſſi fuiſſent. Proſper Columna Mediolani belli ſede conſtituta, dies, noctesque aggeres firmare : foſſas excavare : caſtella, munitioneſque erigere : nec labori, nec vigiliis parcere : ampliſſima urbe munita, Gallorum impetus ſuſtinere, Venetorumque vires repellere facile poſſe ſperabat. Itaque ſeptingentos cataphractos, totidem levioris armaturæ equites, ac duodecim peditum millia ad urbis cuſtodiam diſponit. Reliquorum ſubſidio oppidorum : Novariam Philippum Torniellum cum duobus peditum millibus : Alexandriam Neſtorem Vicecomitem cum mille, ac quingentis Italis : Ticinum Antonium Levam cum duobus Germanorum, mille Italorum peditum numero mittit. Mediolanenſem vero arcem Gallis obtinentibus, ne ſibi ex ea in civitatem aditum patefacerent, veritus, atque ut iis omnem, vel commeatus importandi, vel ſubſidia militum introducendi facultatem adimeret, maximi operis vallum ad mille paſſuum erigi mandaverat, quo omnes aditus, quibus, vel a noſtris ad arcem, vel ab arce ad noſtros perveniri poſſet, præcluderentur; atque ut Franciſci Sfortiæ adventu populum, qui ingenti illius viſendi deſiderio flagrabat, magis in fide confirmaret, alacrioreſque ſpiritus ad urbem tuendam adderet, Adurnum Tridentum, ubi adhuc Sfortia morabatur, ac ſex peditum Germanorum millia jam in armis habebat, miſit;

1522 misit; ut quamprimum per Veronensium, & Mantuanorum fines iter caperet. Interea Lautrechius sæpius a Senatu ad præclarum aliquod facinus incitatus, una cum Theodoro Triultio summo militiæ Venetæ Præfecto, qui nuper, viginti aureorum millium summa Cæsareanis soluta, captivitate se liberaverat, atque Andrea Grito Legato copias lustrare: milites ad munera obeunda impellere: de belli administratione consilia inire. Inde omnibus junctis copiis, Helvetiorum, qui jam in Cisalpinam Galliam descenderant, auxiliis exercitu aucto, kal. martii Abdua trajecto, ad duo millia passuum ab arce inter Vercellensem, & Novocomensem viam castrametantur; ac primum explicata acie vallum adoriri, & summa vi expugnare statuunt; sed vel rei difficultate, vel hostium alacritate, vel populi favore, atque inclinatione deterriti destitere: unicam ad victoriam de hostibus reportandam viam existimante Lautrechio, si mora tempus terendo ad rei frumentariæ, ac pecuniæ inopiam hostes redigerentur. Id ut facilius consequi posset, extorrum equitum Mediolanensium, qui exercitum sequebantur, opera agros vastari, totam regionem diripi, commeatus prohiberi jubet: aquas, quæ per canales in civitatem influunt, alio duci: molas, quibus triticum in farinam redigitur, perfringendas curat: pecuniam hostibus, cum neque a Cæsare, neque ab aliis suppeditaretur, civibus perpetuis impensis ad maximam inopiam redactis, diuturnique belli laboribus fessis, ad quotidianos sumptus nequaquam suffecturam arbitratus. Verum tot obsessæ urbis difficultates libenti animo ea spe fulti Mediolanenses perferebant, qua sibi veterem Sfortiadum dominatum pollicebantur; adeo in Gallicum nomen infensi, ut omnia potius extrema subire, quam illorum imperium perpeti mallent. Interim Franciscus Sfortia cum Germanis militibus Tridento discedens, arce, quæ in Venetorum finibus sita est, occupata, nullo obsistente, per Veronensem agrum in Mantuanorum fines progressus, Pado ad Casale majus trajecto, incolumem se Placentiam, inde Ticinum contulit.

*Theodorus Triultius a captivitate liberatus.*

*Mediolanũ a Lautrechio obsessum.*

Lautrechius de Sfortiæ, ac Germanorum adventu certior factus; ne Prosperi Columnæ, quæ Mediolani detinebantur, copiis robur quoque Germanorum accederet, Ticinensi via ad Cas-

Cassianum, quinque a Mediolano passuum millibus, castra locat. Veneti ad Binascum eadem via, Divorum Angeli, & Columbani oppidis captis, consedere. Nuntio allato, a Scudo Lautrechii fratre nuper ex Galliis reverso, pecunia, quam secum attulerat, Genuæ milites comparari, Lautrechius Federicum Bozzolum cum quadringentis cataphractis, ac septem millibus, partim Helvetiorum, partim Italorum peditum obviam mittit, ut conjunctis copiis iter in Insubres maturent. Mantuanus Ticino egressus, quo facilius sejunctos opprimere posset, Gambalum profectus, numero hostium perterritus, re infecta revertitur. Nostri ad Gambalum, junctis cum Scudo copiis, Novariam iter faciunt, ac bellicis machinis, quæ in arce reperiebantur, mœnia quatiunt; mox per ruinas, prostratosque muros civitatem invadunt. Propugnatores alacri animo impetum excipiunt: utrinque pro mœnibus pugna committitur: nonnunquam Galli repelluntur; verum sæpius redintegrata pugna, omnibus fere, qui custodiæ præerant, militibus interfectis, Philippo Torniello Præfecto capto, civitate potiuntur. Interim vero Sfortia Germanis stipatus militibus a Prospero Columna exceptus, ingenti lætitia, ac plausu Mediolanum ingreditur, Mantuano Principe cum duobus peditum millibus, trecentis levioribus, ac quinquaginta cataphractis equitibus Ticini relicto.

1522

*Novaria a Gallis expugnata.*

Ducis a Ticino discessu, imminuto militum præsidio, occasionem nactus Lautrechius, motis signis, eo citato itinere contendit; statimque ad urbem castra locat: nec minori celeritate Columna, ut periculo subveniat, mille e Cyrno insula, ac nonnullos præterea Hispanos milites oppidanis subsidio mittit, qui eximia virtute per medios hostes ad urbem sibi aditum, nonnullis interfectis, faciunt. Nostris a duobus lateribus mœnia verberantibus, atque ad trecentos cubitos fere solo æquatis, Helvetij moræ impatientes copiam sibi urbis invadendæ fieri petunt: verum duces ardorem animorum lenire, atque nil temere tentandum rati cunctatione utuntur; cum eodem tempore Petrus Navarrus vir arcium expugnandarum, atque oppugnandarum ea tempestate peritissimus, subterraneos cuniculos ageret, quibus immensi operis propugnaculum subruere, ac disjicere statuerat, ut per illius ruinas

*Lautrechius Ticinum aggreditur.*

tu-

1522 tuto miles invadere urbem posset; atque interea ponte supra Ticinum amnem strato, levioris armaturæ equites e castris usque ad portas urbis adequitando, hostes ab exitu, atque ingressu arcerent. In iis, qui civitati præsidio erant, militibus summa constantia, ac virtus: nullo labori die, aut noctu parcere: intrepide militiæ munera obire: nihil per socordiam agere. Verum opera, quæ a Navarro curabantur, ægre ad exitum perduci poterant, majoraque tormenta Laude, ac Crema submitti duces jusserant. Ita sensim rei bene gerendæ spes dilabebatur: nam ad alia incommoda illud quoque accesserat, ut, neque terrestri itinere ob aquarum ingentem copiam, quæ cælo fluxerant; neque Ticino imbribus aucto, adverso cursu commeatus in castra importari possent. Qua opportunitate Columna usus cum universis copiis Mediolano egressus, ad Binascum medio inter Ticinum, ac Mediolanum itinere castrametatur. Centum e cataphractis equitibus, antequàm de Columnæ itinere ab exploratoribus nuntiaretur, ad vastandos agros a nostris missi, cum in primum hostium agmen incidissent, quidam vulneribus confossi: nonnulli capti: reliqui fuga saluti consulere coguntur. Nostri, cum Mediolano Columnam egressum, neque amplius octo passuum millibus ab exercitu castrametatum intelligerent, hæsitabundi quidnam consilii capiendum esset, hærebant; ad Ticinine mœnia nihil agendo tempus tererent, an eventu ancipiti aditum in urbem molirentur: illud conceptam opinionem imminuere: id non absque periculo experiri posse; cum Helvetios, si res parum prospere succederet, quod statuto tempore stipendia non accepissent, abituros vererentur; jamque commeatuum difficultate laborare exercitus inciperet: si vero fortuna annuisset, a furentibus militibus, ad victoriam anhelantibus universa civitate direpta, præda onustos, nullo ordine, nulla disciplina, non ducum imperia, non minas audituros; propinquum hostem recenti milite, novis viribus exercitum, quo uno fœderati niterentur, in summum discrimen adducturos. His permotus Andreas Gritus Legatus Ticino amoveri copias, tuto, ac munito loco castra haberi suadebat, atque ibi Gallorum Regem, quem cito transgressurum Alpes ferebatur, operiri oportere. Unum huic consilio officere videbatur,

batur, quod Helvetii, qui neque rationibus, neque precibus in officio contineri poterant, aut missionem, aut pugnam cum hoste flagitabant. Dum hæc varie apud nostros agitantur, hostes ad Carthusianorum cœnobium, prope septum, quod viginti millium passuum ambitu ad venatum olim Insubrum Duces muro sepserant (*Parcum* vulgo appellant) ad tria passuum millia castra ponunt. Id cum Lautrechius persensisset, neque diutius tuto iis in locis morari posse exercitum cerneret, Ticino relicto, ad Landrianum vicum proficiscitur; inde Modoetiam petiit, ut leviorum equitum auxilio pecunia nuper e Gallis Aronam delata reciperetur; quod ne fieret, ab Anchise Vicecomite, qui cum quingentis peditibus, ac nonnullis levioris armaturæ equitibus a Hieronymo Morono missus, ad Bustum oppidum haud procul Arona consederat, prohibebatur.

1522

*Lautrechius a Ticinensi oppugnatione discedit.*

Hostes cum movisse Lautrechium cognovissent, Binascum, ne opportunitate illius loci potiretur, exiguo inter utrosque exercitus intervallo rediere. Verum ingens pecuniæ inopia, quæ nostrorum conatus retardaverat, in dies augeri. Helvetii, quibus jam persolvendi stipendii tempus aderat, vetere gentis instituto nullas moras admittere, conqueri, vociferari non ea se conditione a penatibus abstractos, ut animam, & corpus vili pretio æstimarent: non hæc egregia pro Galliæ Regibus facinora meruisse, pro quibus sæpe sanguinem cum vita profuderant, ex quorum vulneribus non minus gloriæ potentissimis Regibus, quam sibi sanguinis manasset: paratos esse in confertas hostium acies impetum facere: periculum virtutis, militarisque disciplinæ fortissimæ gentis Lautrechius ederet: postera die aciem instrueret: nullum non fidei, roboris, ac egregiæ virtutis argumentum adversus hostes præstaturos; si id abnuat, iter in patriam, ad domos, conjuges, filios, quæ omnia studio in Gallos minora duxerant, arrepturos. His de rebus, atque de Helvetiorum animis ab Andrea Grito Legato, & Paulo Nannio Bergomi Præfecto Senatus certior factus; ne ob illorum discessum aliquod detrimenti Respublica caperet, ut Lautrechio suaderent, mandaverat; si Helvetii secessionem molirentur, ac trans Alpes iter maturarent, ut se se cum exercitu; tum ad milites incolumes servandos; tum

1522 tum ad agros, & oppida tutanda intra Venetorum fines reciperet: summum in illis ad prosperos belli eventus momentum habiturum: curarent præterea, ne Gallica præsidia in urbes immitterentur, ne hostis, inde occasione arrepta, in nostras ditiones eliceretur. At oblatum pugnandi studium, quamvis summo periculo conjunctum Lautrechius animadverteret, ac quantum exorando, adhortando, pollicendo posset, Helvetiorum ardorem restinguere conaretur, nihil impetrare valuit. Ex duobus igitur extremis consiliis illud est amplexus, quod in speciem dignius, ac ad bellum profligandum aptius existimavit, dubiumque pugnæ exitum periclitari, quam Helvetios dimittere satius duxit.

*Prælium ad Piccocam.* Itaque cum hostes ad Piccocam tribus a Mediolano millibus castra locasse intellexisset, solis exortu curatis corporibus, Modoetia recta exercitum movit, ut hostes, quos castris contineri noverat, neque exituros putabat, totis viribus aggrederetur. Helvetios primum duplici agmine cum æneis tormentis quatuordecim præmittit: iis Babo Naldius cum octingentis Venetorum scloppetariis adjungitur: hos medium agmen cum hastatis Gallorum equitibus subsequitur; Veneti pedites cum novem bellicis machinis in postrema acie locantur, quam cataphracti in duas turmas sejuncti claudebant. Helvetiis primus aggrediendi castra injunctus est labor, in quorum fronte Germanorum militum robur, Georgio Frandispergio duce, Prosper Columna collocaverat, qui loci opportunitate non parum ad Helvetiorum impetum sustinendum juvabantur: domus enim aderat valde opportuna, undique hortorum amœnitate; qui profundis fossis sejungebantur, circumsepta, agrorumque fertilitate, aquarum irriguis fontibus conspicua, intra quos exercitum communiverat: itaque & natura loci, & militum virtute hostium impetum, quos adventare crebri speculatores attulerant, sustinere posse sibi pollicebatur, illos palam victos dictitans. Fertur enim ad Hieronymum Moronum, qui paulo ante in castra venerat, conversum, bono animo esse jussisse; nam si eo loco prælium committere hostes vellent, victoriam in manibus tenere. Milites itaque in armis esse jubet, ordines disponit, quæ cuique agenda sint, præcipit; ad Franciscum Sfortiam nuntios mittit, ut quotquot e populo ad arma

ca-

capienda idoneos possit, illico secum ad exercitum ducat : 1522
quod tanto civium ardore, ac concursu effectum est, ut cum quadringentis equitibus, ac sex circiter peditum millibus, reliquis ad urbis custodiam mœnia circum dispositis, statim in castra convolarit. Sub cujus adventum Helvetii, quibus graviores partes in prælio sustinendas Lautrechius commiserat, adversam castrorum frontem adoriuntur; sed cum præ fossarum altitudine (quod in primis optaverant) bellicas hostium machinas aggredi non possent, magno conatu transilire fossas nituntur, Germanis peditibus, Georgio Frandispergio, ut diximus, duce, strenue pro vallo propugnantibus, acriterque obsistentibus : illis contra in castra penetrare conantibus, Germanosque propellentibus, qui loci opportunitate freti eo majore nixu pugnabant, quo plus verebantur, ne cum hoste fossas prætergresso, ancipiti marte certare cogerentur. Dum atrox pugna utrinque committitur, a latere dextro Helvetii ab Hispanis peditibus ingenti minorum tormentorum procella effusa verberantur. Tum omnes intrepide pericula subire, morientium vestigiis hærere, nec socios inultos pati. Utrisque summo animorum ardore dimicantibus, Scudus a leva trecentis equitibus, peditumque globo circumductis, a tergo hostes aggreditur, patentique aditu invento, in mediam aciem irrumpit, alios obtruncat, alios perterrefacit : verum cum numero impar esset, copiisque, quas secum Mediolano Sfortia eduxerat, præter spem Cæsareanos auctos animadverteret, referre pedem est coactus. A dextra Lautrechius equitum ala, quam ad fallendos hostes rubra cruce adornaverat, Gallis albam gestare assuetis, simul cum hostibus in castra irrupturum sibi persuaserat; sed astu detecto, Columna suis militibus spicarum, quæ jam in agris excreverant, manipulos capiti imponere jussis, Lautrechii conatus elusit. Igitur Helvetii, quibus certaminis pondus relictum fuerat, licet insita militari virtute, ac ferocitate acriter pugnando in castra penetrare niterentur, natura loci, fossarum altitudine, Germanorum robore tandem fessi, paulatim cedere coacti, ordinata acie cum tormentis, ac sarcinis, extremo Venetorum agmine comitati, Modoetiam se recepere. Eo die ex Helvetiis ad tria millia cum decem ac septem eorum ducibus cecidere; pauci ex Cæsareanis desiderati

*Helvetiorum internecio.*

1522 rati ſunt. Licet nonnulli inſignes viri eo in prælio obiverint, oriente Sole, ad Ticinum oppugnandum, quod in Abduæ fluminis ripa ſitum eſt, Lautrechius haud parum recenti clade perculſus, cum exercitu proſicifcitur. Helvetii infelici eventu ad profectionem arrecti miſſionem denuo flagitare; ni concederetur, relictis ſignis, in patriam recta ituros minari. Cum nihil a Lautrechio prætermitteretur, quod ad eos continendos ſpectaret, præmiis, ac pollicitationibus eorum duces onerando, ut omni officio ſedare furentes animos contenderent, cum fruſtra operam impendi cerneret, ſtrato ſuper Abduam ponte, Helvetiis per Bergomatem agrum in patriam reditum conceſſit: Renatus quoque Sabaudiæ nothus, Galeatius Sanſeverinas, Momorantius, Palicia, atque alii Gallorum procere trans Alpes abiere.

Senatus de iis, quæ ad Piccocam evenerant, certior factus, Helvetios domum profectos, magnam Gallorum partem moliri in Gallias iter; Gallicas vero vires debilitatas, ac pene proſtratas animadverteret, ne Reipublicæ copiæ, quæ ad ſex millium peditum numerum redactæ fuerant, in finibus hoſtium diutius morarentur, ex Andreæ Griti Legati conſilio cenſuit, atque ut cis Abduam ſe reciperent, neque hoſtile aliquid in Inſubribus molirentur, decrevit; ne felici ſucceſſu elatus hoſtis Venetas ditiones invaderet, atque locum in iis ad caſtra ſtatuenda deligeret. Lautrechius adverſa fortuna perculſus, ac ingenti ſpe, qua tota Italia Cæſarem pellere ſibi pollicebatur, dejectus, ut præſentibus rebus, quo melius poſſet, opem ferret, cum extra oppida, atque urbes tuto contineri exercitus non poſſet, ultra Abduam manere, ac cataphractis equitibus, Italis peditibus, atque Helvetiis nonnullis, qui ab exercitu diſcedere noluerant, præſidia augere, Laudem, Pisleonem, Cremonam validioribus ſubſidiis firmare decrevit; donec inſtauratis copiis, majorique exercitu comparato, ſuis in Italia periclitantibus rebus Rex præſto eſſet; id unum hoc rerum ſtatu tantum ſufficere poſſe arbitratus, ſi Cæſareani recenti victoria jactabundi ulterius non progrederentur. Cui ſane rei fortuna favere initio viſa eſt: nam a Germanis, qui Tridento cum Franciſco Sfortia in Inſubres venerant, menſtruum ſtipendium, victoriæ præmium, ſibi ſolvi flagitantibus tumultuari cœptum,

ne-

neque apud illos rationi ulli, vel precibus locus; contendente licet Hieronymo Adurno, qui eos in Italiam ductaverat, hostibus, qui incolumes, servatis tormentis, se receperant, non debellatis, pecuniam sibi minime deberi; resque eo processit, ut reliquos milites ad seditionem solicitando, hostilia ducibus minarentur; manus quoque in Prosperum Columnam injecturos, ni postulata præstaret, vociferantes; ut Franciscus Sfortia, ne victoriæ fructus militum arrogantia in discrimen adduceretur, triginta dierum spatio efflagitatum a militibus munus polliceri coactus fuerit. Ardore militum restincto, Cæsareani Laudem oppugnare aggressi, cum omnia tumultus, ac terroris plena invenissent, urbe, quæ semper miro studio nostris faverat, potiuntur. Nam cum equitum cataphractorum turmas Lautrechius subsidio misisset, peditibus eodem itinere Laudem contendentibus, hostes opinione celerius ad urbem profecti, inopinantes Gallos, nondum stationibus dispositis, perturbatos, ac rei novitate perculsos offendunt: suburbio potiuntur: territis propugnatoribus, fugaque salutem quærentibus, facilis ascensus militibus per aggeres, ac muros in urbem fuit: plures capti: cæsi nonnulli: reliqui impedimentis exuti, Abdua trajecto, in tutiora loca se receperunt: urbs fœde direpta: cives in servitutem redacti. Calamitate amicæ urbis audita, statim Andreas Gritus Legatus, & Paulus Nannius Bergomum, & Cremam, quæ non longe a Laude distant, validiori præsidio firmant, copias sub signis cogunt; tum, ut ad omnem belli eventum præsto essent; tum, ut agri, atque incolæ ab hostium incursionibus tutiores redderentur. Senatus, ne Cæsareani Laude potiti Cremonam aggrederentur, veritus, per Legatum Lautrechium hortatur, ut cum exercitu Cremonam proficiscatur, quo facilius cum Scudo fratre, quem civitati præfecerat, junctis viribus, hostium conatus repellere, atque urbem defendere queat; id recte administrandi belli rationes exposcere, ut præcipuæ urbi in Insubribus periclitanti subveniatur: si intra Reipublicæ fines se recipiat, hostes belli impetum in Venetos effusuros; inde plurimum Reipublicæ detrimenti, nil opis suis rebus perventurum: tuto in agris Gallorum reliquias contineri non posse; si oppidis, atque urbibus excipiantur, periculosum esse, ne præ-

1522

*Laus Pompeja a fœderatis capta.*

1522 præteritorum recenti memoria oppidani permoti adversus ipsos commoveantur : satius itaque ac tutius esse Cremonam contendere. Hæc Grito, ut Lautrechio suaderet, Senatus mandavit; ab iis si aversus esset, aditum ei in Brixiensem, ac Veronensem agrum permitteret. Lautrechius cum nuper Scudum fratrem Cremonæ præfecisset, animi anxius, ac ob res parum prospere gestas solicitus, in Brixienses se recepit, ac paucos dies in ea regione commoratus, copiarum, quæ superant, imperio fratri relicto, familia comitatus, per Ræthorum, atque Helvetiorum fines in Galliam reversus est.

*Pisleo a Davalo captus.*

Prosper vero Columna, Laude direpta, ad Pisleonem Davalum reliquit, qui, incolumitate civibus pacta, statim oppido est potitus. Ipse cum exercitus robore, Abdua superato, ad Cremonam castra admovit; Scudus urbis Præfectus, cum se imparem illi tuendæ nosset, Gallorum copias imminutas, aliunde auxilia frustra expectari, ad concordiam cum Columna ineundam animum flexit : ea vero his conditionibus sancita est : ut quadraginta dierum spatio elapso, Cremona Cæsari restitueretur, Scudo cum militibus, explicatis vexillis, tormentis bellicis, ac sarcinis omnibus in Galliam reverti liberum, ac tutum esset ; ni interea e Galliis exercitus mitteretur, qui, aut flumen Padum trajiceret, aut in Insubribus civitatem aliquam militum præsidio firmatam expugnaret : interim ab armis utrinque abstineretur; captivi ultro, citroque redderentur; oppida quæcunque in Gallorum potestate essent, Mediolanensi, Cremonensi, Novariensique exceptis arcibus, statuto dierum intervallo elapso, in Cæsaris potestate essent. Pactionibus jurejurando confirmatis, obsidibusque a Scudo datis, Columna animum ad Genuam occupandam convertit, haud exigua spe fretus, si quam celerrime civitatem dissidiis civilibus laborantem, neque aliquid hujuscemodi timentem adoriretur, fore, ut ea potitus, tota Italia Galli excluderentur. Itaque statim cum exercitu Genuam contendit, Antoniotto, ac Hieronymo Adurnis fratribus comitantibus, quorum factio Fulgosiis inimica, sæpius de patriæ imperio cum illa certaverat, ac variis eventibus nobilem urbem civili dissensione fœdaverat. Octavianus Fulgosius, qui tunc Rempublicam administrabat, suis admodum gratus, rerum usu præ-

*Cremona deditio a Scudo pacta.*

stans,

ſtans, excellens ingenio; verum ob ægritudinem ad munera belli exercenda parum idoneus, de hoſtium adventu certior factus, Federici Salernitani Antiſtitis opera fretus, duo Italorum peditum millia ad urbis cuſtodiam diſponit, quos in Liguribus Fulgoſiæ familiæ, nominiſque ſtudioſos noverat, omnes in armis eſſe jubet. Nuntios citato itinere in Galliam mittit, qui Regem de civitatis ſtatu, ac conſiliis hoſtium doceant; Cæſareanos, in Inſubribus bello pene confecto, nihil antiquius duxiſſe, quam Genuam, quæ ſemper Gallicis rebus faverat, occupare; proinde enixe Regem orare, ut nutantes Genuenſium res validis auxiliis quam celerrime firmare velit; ne illis periclitantibus, omni ſpe Mediolani recuperandi dejiciatur. Rex cum cladem apud Piccocam a Lautrechio acceptam, dedendæ Cremonæ urbis conditiones, copias non imminutas modo, verum fere deletas intellexiſſet; licet ingentem animo moleſtiam caperet, nihilominus & ſuopte ingenio ductus, cui ſemper Italicarum rerum memoria hærebat, & Venetorum adhortationibus, qui ex fœdere eamdem cum Gallo fortunam ſubire cogebantur, incitatus, novos militum delectus habere, equitatum comparare, nulli ſumptui parcere decreverat, ut labentem in hac provincia Gallorum fortunam ſuſtinere, atque erigere poſſet. Itaque duodecim peditum millia, quingentos cataphractos, levioris armaturæ equites mille delegerat, qui Ruberto Scoto duce in Italiam properarent. Et quoniam Genuenſium ſucceſſus urgebant, ut duabus triremibus confeſtim Genuam contenderet, Petro Navarro mandavit. 1522

Interim Ferdinandus Davalus cum Italis, atque Hiſpanis peditibus propius ad mœnia accedit; per tubicinem literas ad urbis Præfectos mittit, quibus poſtulat, ut intra diei ſpatium Gallos omnes ex urbe ejiciant; ſupremum Reipublicæ magiſtratum Adurno reſtituant; claſſem, maritimaſque civitatis vires ad Cæſaris nutum comparent: in reliquis ſuis legibus uſuros: ſi abnuant, hoſtilia omnia ſubituros. His auditis, cum in urbe novis ſemper tumultibus agitata diverſæ civium ſententiæ eſſent, plerique vero tutiora ſpecioſis conſiliis anteferrent, Benedictus Vivaldus ad Davalum mittitur, ut de componendis rebus cum illo agat. Id dum ſedulo fit, Hiſpani (ea forte die illis, qui juxta mœnia ſtationes agebant, munia in cuſtodien-

1522 da civitate negligentius obeuntibus, turrim prope portam tormentorum ictibus fere solo æquaverant) inscio Davalo, & cum Vivaldo de pactionibus agente, per diruti muri ruinas acriter impetu facto, turrim occupant; ingenti clamore oborto, cum signis exercitu convolante, ac qua primi cœperant irrumpente. Davalus a disceptatione digressus celeriter accurrit, Columnam, qui cum Germanis, ac omni fere equitatu ab ea parte, quam Bisamnem vocant, constiterat, de eventu statim docet, ut cum reliquis copiis urbem ingrediatur, admonet; ipse altera ex parte ordinato agmine incedit. Cæsareani, nullo obsistente, cum omnia fugæ, timoris, terrorisque plena invenissent, civitate potiuntur. Magnus militum, civiumque numerus cum Præfecto prætorii, ac Salernitano Antistite naves ingressi per occiduum litus Massiliam contendunt. Octavianus Fulgosius se ultro in Ferdinandi Davali potestate constituit; Petrus Navarrus, ac plerique alii ab hostibus captivi fiunt; tota urbs diripitur; diuturnitate temporum, civium laboribus, atque industria congestæ divitiæ vix ad militum cupiditatem explendam suffecere. Ita parvo labore ea urbs Cæsari adjecta est, quæ semper ad res Italiæ summum momentum attulerat. Antoniottus Adurnus Dux declaratur, qui arci, quam *Castellettum* vocant, admotis tormentis, triduo in potestatem recipit. Dum hæc agerentur, Veneti ad instaurandum exercitum Franciscum Gallorum Regem eo vehementius hortabantur; quod cum prospera omnia Cæsareani experirentur, Gallis adversa cuncta evenirent; nisi nova subsidia in Italiam a Rege mitterentur, pertimescendum videbatur, ne Carolus, nullo adversante, quas sibi libuisset leges Italis imponeret; ac tandem bellum in Venetos fines converteret. Quocirca nullum officii genus a Senatu prætermittebatur, ut recentia Gallorum auxilia eliceret. Franciscus Clementem Sangam cubicularium per dispositos equos Venetias mittit: is literas quarto idus junii Lutetia ad Senatum attulit, quibus petebat, ut iis, quæ Clemens regio nomine diceret, veluti ab illius ore depromerentur, fidem præstaret: simul, ut quæ illius erga res Italiæ, atque Rempublicam mens esset, quamprimum intelligeret; alio itinere Comitem Beljojosum misisse. Is cum ad urbem accessisset, Patrum Collegium ingressus Regis mandata in hanc sententiam exposuisse fertur.

*Genua a Davalo capta, & direpta.*

Quo

1522 Clementis Sāgha Gallia oratoris oratio.

*Quo animo Franciscus potentissimus Galliarum Rex erga amplissimum istum Senatum fuerit, vos Patres optime nostis, qui difficillimis temporibus illius amicitiam experti, non exigua inde commoda, atque ornamenta retulistis. Necessitudinem, quæ Venetæ Reipublicæ cum præteritis Gallorum Regibus intercessit, non modo colere, verum augere, arctiusque adstringere conatus est: id vero se effecisse summopere lætatur; cum egregiam Senatus fidem, atque constantiam turbulentis tempestatibus expertus fuerit, cujus memoriam nunquam sibi ex animo elabi passurum summa adseveratione testatur. Hæc enim, quæ nuper in causa Mediolanensi summa alacritate præstitistis, argumenta propensæ vestræ in Regem voluntatis fuere; dum copiis, pecunia, commeatu Regem amicum juvistis, quod quæ acta sint minus prospere acciderint, fortunæ, quæ plurimum in bellis potest, non ignaviæ, non incuriæ tribuenda sunt. Ob egregie navatam operam quamplurimum se debere Reipublicæ Franciscus profitetur; & cum res, & occasio postulabunt, se, suaque omnia una cum amplissimo, ac potentissimo regno libenter pro Reipublicæ vestræ incolumitate, ac dignitate pollicetur. Nunc vero rerum præsenti statu, quæ vestra sententia sit, exquirit; consilium poscit, quidnam ad res Italiæ sustinendas, atque erigendas facto sit opus: non ex illius mente rerum Italicarum memoria excidit; non amicorum oblitus est, qui cum illo ad libertatem, ac dignitatem istius provinciæ arma junxere. Insidet animo ampla Insubrum possessio, justis adepta titulis, armis vindicata; nullis sumptibus, nullis laboribus, nullis periculis parcendum statuit, donec a Cæsareanis occupata recuperaverit; non illi exercitus, non Duces, non socii deerunt, quibus victoria insolescentes hostes coercere, ac pellere possit. Quod enim ad copias attinet, duodecim peditum millia Alpium juga superarunt; sexcenti cataphracti equites in promptu sunt; cum bellicis machinis cito Obigninus aderit; hos prope maris Præfectus cum Regiis cohortibus, ac reliqua nobilitate subsequutus, jam iter arripuit; Allobrogum Dux ducentos cataphractos, tria millia peditum pollicetur. Populi cito Hispanorum dominatum pertæsi, atque a Prospero Columna multis oneribus pressi, prisci in Gallorum Regem studii, ac voluntatis igniculos persentiunt, qui primis nuntiis nova spe arrecti arma ac-*

1522 *cipient. Helvetiorum duodecim millia regia ſtipendia merent, qui ad* xvj. *kal. julii in Inſubribus eſſe conſtituerant ; ſed ob varias difficultates re ad publica concilia delata, ut omnes moras abrumperet, trimeſtre illis ſtipendium Rex obtulit. His coactis viribus, non modo hoſtes ſuperaturum; verum etiam aliquid Gallico, ac Veneto dignum nomine editurum ſperat, idque in primis, ſi veſtris conjunctis copiis, ſocia arma in hoſtes verſa fuerint. Interea dum exercitus cogantur, dum copiæ in Italia luſtrentur, ac omnia ad bellum neceſſaria expediantur, an Cremona reſtituenda, vel potius ex pactione a Scudo inita Cæſareanis tradenda ſit, exquirit ; neque veretur, ne conſulta Veneti Senatus ejuſmodi ſint, quæ a præſtantiſſimis viris, atque in maximis gerendis rebus verſatis manare, atque expectari ſolent.*

*Senatus ad Sangam reſponſio.*

In Senatu re agitata, ita reſponſum eſt : *Summam ſemper in Republica erga ampliſſimum Galliæ regnum, Regemque omnibus regiis virtutibus ornatum benevolentiam, atque obſervantiam extitiſſe, cujus eximiam voluntatem perſpectam ſæpius, ac cognitam intimo animi affectu perpetuo proſequeretur : proſpera illi, feliciaque cuncta non optaſſe modo; verum omni opera, & ſtudio diligenter curaſſe: id in votis ſemper habuiſſe, ut Inſubres in Galliarum potentiſſimi Regis imperio eſſent ; ut bellum majoribus viribus redintegretur, nihil prætermittendum cenſere. Ceterum hoc tempore vehementer commoveri, quod Helvetii, quorum magnum in bellis nomen, ſumma apud omnes exiſtimatio ſit, moras nectendo, opportune adeſſe non poſſint : id ſi contingat, quiſnam rerum exitus futurus ſit, cum reſtituendæ Cæſareanis Cremonæ tempus prope adſit, in incerto eſſe : quapropter e re communi Senatum arbitrari, a Thoma Cardinali Eboracenſi Henrici Angliæ regis nomine oblatas in biennium inducias amplecti oportere, ut interea reparatis viribus, communi conſilio, majoribus copiis, certiori ſpe bellum renovari, & adminiſtrari queat.* Verum improſperi Genuæ ſucceſſus Gallorum in Italia rebus incredibilem jacturam attulere, omnique ſublevandæ fortunæ ſpe Regem deturbarunt; qui licet novos delectus habuiſſet, magnam militum, ac bellicarum machinarum copiam paraſſet, ſuiſque opem ferre, præteritaſque clades corrigere ingenti ſpiritu conaretur; Genuæ amiſſione

ne audita, exercitum, qui jam, superatis Alpibus, ad Villanovanum vicum in Astensi agro pervenerat, in Galliam revocavit; ita, ut Scudo, omni auxilii spe abjecta, de Cremona dedenda cogitandum fuerit. Cum vero Columnæ fidem vereretur, qui petenti, ut sibi tuto in Allobroges copias ducere liceret, aperte negaverat, a summo militiæ Præfecto, atque Andrea Grito Legato cum cataphractorum equitatu, ac peditatu, quæ Cremonæ habebat, Reipublicæ finibus recipi petiit. Gritus, ut de iis, quæ a regio exercitu agerentur, certior fieret, Senatusque mentem intelligeret, initio cunctatus, mox ex ejus sententia Scudo respondet: quod tutum illi in Allobroges iter negetur, vehementer mirari: si denuo instet, atque urgeat, pactaque servaturum confirmet, æquitati demum Columnam cessurum sperare. Grito vero mittendi tubicinis in Columnæ castra facultas concessa, qui, Cremona tradita, Scudo cum suis copiis tutum iter Senatus nomine peteret, uti tandem obtinuit; nam deditione facta, conditionibusque ex pactione servatis, Scudus cum Gallorum reliquiis, ac tormentis, pacato itinere, in Gallias est profectus. Ita paucorum mensium spatio ditissima, ac omnium rerum affluentissima regione, vel pravis consiliis, vel fortunæ adversitate Galli in Italia excidere: qua in re ita se Veneti gessere, ut, neque fœderi, quo Francisco obstricti fuerant, deessent, neque Carolum, salva Regi fide, qua ad tuendos Insubres tenebantur, ulla in re læderent. Rex per nuntios, atque Oratores, ac præcipue per Annam Momorantium, qui summæ apud eum gratiæ, & auctoritatis locum obtinebat, id sæpius Patribus est testatus.

1522

*Cremona deditio.*

Cæsar vero Gasparem Contarenum Reipublicæ Oratorem, semper benigne, ac perhumaniter exceptum, omnibus benevolentiæ argumentis est prosequutus; cumque in Angliam ad colloquium cum Henrico, apud quem Antonius Surianus pro Republica legatione fungebatur, descendisset, cum utrisque de ineunda pace, aut induciis instaurandis egit. Interea Gallicis copiis trans Alpes profectis, Cæsarisque exercitu, pecuniæ inopia, plurimisque incommodis quotidie dilabentibus militibus, imminuto, Senatus copias in stativa duci decrevit; lapsam militarem disciplinam restitui; Cremæ, & Bergomi præsidia

*Gaspar Contarenus ad Cæsarem Orator.*

*Colloquium inter Cæsarem, & Angliæ Regem.*

*Antonius Surianus Orator ad Angliæ regem.*

1522 augeri; levioris armaturæ equites in Bergomati, atque Aſulano agro commorari; Olii amnis ripas ſæpius excurrere, ut hac ratione oppidis, atque agris limitaneis proſpiceretur: pedites ad duo millia ſub Antonio Tifernate, Babone Naldo, Sevaſto Narnienſi Præfectis, redacti; levioris Epirotarum equitatus dimidiæ parti miſſio conceſſa. Per hos dies Horatii Ballionii defuncti loco Camillus Urſinorum nobili familia ortus Reipublicæ militiæ eſt adſcriptus; ſexaginta auri libræ in annum tributæ; centum cataphractorum equitum præfectura conceſſa. Andreæ vero Grito Legato, qui ſtrenuam turbulentiſſimis temporibus Reipublicæ operam navaverat, reditum in patriam petenti, pacatis in Italia, atque in Gallia Ciſalpina rebus, Senatus conceſſit; qui poſt ingentes labores pro patria ſuſceptos ſummis laudibus ornatus, honorificentiſſime a gratulabunda civitate exceptus eſt. Atque hæc in Italia uſque ad ſextilem menſem geſta fuere.

Neque minus hoc anno Ottomanorum arma Reipublicæ Chriſtianæ gravia, atque infeſta fuere; nec Veneti, qui maximos in Gallia Ciſalpina labores, ſumptusque ſubierant, Turcici belli ſuſpicione caruere. Nam felicibus prioris anni ſucceſſibus elatus Suleimanus, Chriſtianorumque Principum continentibus bellis incitatus, opportunum tempus adeſſe ratus, quo animum gloriæ cupidum, juventæ ardore inflammatum, nova regnorum acceſſione ad famam ſupra mortales eveheret, anni initio ingentem claſſem, ex inſula Coo, atque aliis locis multitudine fabrorum Byzantium accita, omnique navali materia comparata, moliri cœpit. Is vero rumor per Europam pervagatus omnium animos ſolicitos habebat, atque illorum præſertim, qui finitimi Turcarum ditionibus erant. Complures in Italicam expeditionem parari; huc maritimas, terreſtreſque vires tendere opinabantur, in quam, ſi ſemel belli faces intuliſſet, inteſtinis diſſidiis laborantem, multorum Principum imperio diſtractam, haud difficile eſſet, aliquam ſuo imperio partem adjicere, Maumethemque æmulari, qui Hidrunte capta, ingentem Italis terrorem, licet cito illius obitu disjectum, incuſſerat. Rhodum alii Suleimanum armis petiturum exiſtimabant, erga Hieroſolymitanos milites incredibili odio incenſum, atque inſito illas ulciſcendi injurias deſiderio per-

citum,

citum, quæ quotidie a religionis illius militibus Turcis inferebantur; cum ex Mitylene, Eubœa, Peloponneſo, Achaja, Cariæ, & Lyciæ continenti frequentes populorum querelæ exaudirentur; depopulari agros; pecora abigi; diripi urbes; homines ſervitute affici; infeſta maria; nuſquam tutum navigandi iter; dum illi, qui Damaſcum, Alexandriam, Memphim, Chalcidem, Lesbum, Coum, ac denique Byzantium contenderent, innumeris ſe periculis objectare, ac plerumque navigia, mercimonia, vitam denique ipſam amittere cogerentur. Nec deerant, qui expeditionem in Cyprum inſulam parare Suleimanum ajebant, quod opulentiſſimum regnum, Syriæ quam Sultano pater ademerat, ſuo imperio adjicere ſtatuiſſet. Corcyram alii invaſurum dicebant, inſulæ opportunitate Epiro finitimæ, qua frænum Italiæ injici poſſet, illectum. Augebantur ſuſpiciones, quod æſtate ineunte a Turcarum Rege Janusbejus Orator ad Senatum miſſus graviter conqueſtus fuerat, in Venetorum inſulis piratas excipi, transfugis Turcis tutum perfugium ad noſtros eſſe, multis incommodis, ac detrimentis Muſſulmanos affici, in eoſque præſertim, qui Cycladas inſulas incolebant, invectus fuerat, quos prædonum ſocios Turcas invadere, rapinarum participes fieri dicebat; omnia infeſta, nil tutum in Aegæo mari eſſe. 1522

*Janusbejus a Suleimano Venetias miſſus.*

His permotus Senatus, ne imparata Reſpublica inveniretur, ſexaginta triremes partim in urbe, partim Cretæ, atque in ora Dalmatiæ inſtrui decrevit; claſſis Imperator Dominicus Triviſanus procuratoria, & equeſtri dignitate, majoribus comitiis renuntiatus eſt. Literæ Senatus ad Auguſtinum Amulium claſſis Legatum datæ, quibus ſubditos in officio continere; in illos, quos prædonum ſocios, atque adjutores fuiſſe, injurias, damnaque Turcis, cum quibus Reſpublica ſervari pacem vellet, intuliſſe conſtaret, graviter, ac ſevere animadvertere jubebatur. Janusbejus triginta argenti libris donatus Venetiis diſceſſit. Rumore vero belli aucto, neque adhuc certis nuntiis quonam apparatus verterentur, Triviſanus Imperator idibus julii ab urbe diſcedere, atque ad claſſem decem aliis triremibus auctam proficiſci, ac quamprimum ad Maleæ promontorium navigare, in Cretamque cum univerſa claſſe ſe conferre juſſus eſt: injunctum, ut quæ Imperator Turcarum moli-

*Venetorum decreta de Claſſe augenda.*

*Dominicus Triviſanus Claſſis imperator.*

*Mandata Senatus ad Triviſanũ.*

1522 moliretur omni diligentia exploraret: si in Cyprum impetum facturus esset, nihil quod ad opulentissimum, ac nobilissimum regnum conservandum attineret, prætermitteret; quem sibi videretur triremium numerum ad Tamassum, quam Famagustam vocant, præcipuam insulæ civitatem, ejusque portum custodiendum mitteret; Senatui constitutum esse, si de populorum salute, ac maritimis suis rebus agatur, quæcunque desiderari, aut expectari possint, incunctanter, ac fortiter præstaret; sin vero in alias regiones bellorum turbines ciendi forent, in id omni studio intenderet, ne aliquid Venetis ditionibus detrimenti inferretur. Adjectum, ut quæcunque agenda forent, adhibitis de more in concilium Legatis, decerneret. Nam amplissimam dignitatem, atque auctoritatem, qua major a Republica tribui civibus non solet, majores nostri quibusdam veluti terminis circumscriptam esse voluerunt: quocirca classis Imperatori duos Legatos, qui de gravissimis rebus una consulerent, addidere; quæ a duobus decreta essent, ea mature facta, atque rata fore statuerunt; quæ vero ad navigationis iter dirigendum, crimina coercenda, omnes in officio continendos, ad militaria impigre, & fortiter obeunda munera spectarent, has solius Imperatoris partes esse decrevere; in eodem vitæ, necisque summam potestatem posuere, quam sane nullus, neque domi, neque foris magistratus habet, cum suprema auctoritas, ac majestas apud consilia tantum sit, in quibus absque provocatione decernitur.

*Classis Venetæ Imperatoris auctoritas.*

*Suleimanus Rhodum aggreditur.*

Suleimanus tandem Rhodum, clarissimam totius antiquitatis testimonio insulam, in Carpathio mari sitam, per ducentos, ac quatuordecim annos Hierosolymitanis militibus subjectam, Christianæ Reipublicæ propugnaculum, expugnare decrevit; atque ad vi. kal. julias cum classe trecentarum navium Rhodum appulit; in eaque oppugnanda omnes industriæ, ac laboris nervos intendit, ut, vel diuturnitate temporis, vel operum magnitudine, vel maritimarum, & terrestrium copiarum numero insulam subigeret. Nam exposita magna militum, & agrestium hominum multitudine, illi primum colle eminentiori occupato, bellicis tormentis in urbem ejaculari; hi vero vineas ducere, exstruere aggeres, vallo, & fossa circumdare, subterraneis laboribus die, noctuque exerceri, quibus excisæ

rupes

rupes, campi montibus æquati, complanata fossatis montium juga. Neque vero minor bellicus terra, marique apparatus ad fortissimam insulam oppugnandam esse debuit: nam Philippus Vilerius Lilladamus summus sacræ militiæ Magister cum equitibus præclaris, ac fortibus viris constanter adeo, ac fortiter potentissimi hostis vim excepit, ut eximia virtutis, militarisque roboris exempla in ea insula tutanda posteris reliquerit. Pugnatum est acriter omni certaminum genere: Turcæ pro præda, pro gloria, pro imperio: Rhodii pro laribus, pro libertate, pro religione certarunt: nullus ordo, nulla ætas, non sacri, non profani cadenti patriæ defuere; stetissetque Rhodus, si, aut cum infirmiori hoste, aut majoribus auxiliis pugnatum fuisset. Suleimanus Byzantio v. kal. septembris in castra pervenit, labantem militum disciplinam restituit, atque ad seditionem vergentem exercitum adhortatione, & severitate compescuit: obstinatis animis, instauratis corporis viribus, atque urgente Imperatoris præsentia, cuncta intentiore Ducum, & militum cura agebantur; vallo undique cingere, cuniculos ducere, fossas agere, immanibus tormentis ingentes globos excutere. Contra Rhodii eruptionibus nocturnis in operum custodias, diurnis in hostes irruere, stragem edere, in fugam vertere, libramenta plumbi, aut saxorum robustos stipites, ferventem picem, atque alia hujusce generis in appropinquantes jacere: tantaque constantia adversus tot mala duraverant animos, ut nonnunquam Suleimanus de rei exitu desperaret. Verum urbe tormentis disjecta, cuniculis suffossa, ædificiis publicis, privatisque eversis, cæde, labore, vulneribus confecti milites, vehementem fortunæ impetum, cum omnis auxilii spe destituerentur, diu sustinere non poterant. Nam Hadrianus Pontifex Maximus, qui nuper ex Hispaniis in Italiam venerat, Pontificatus administratione suscepta, ingravescente ætate, neque rerum usu gravissima, ac turbulentissima tempestate tanto sustinendo oneri satis aptus, quamvis communem Reipublicæ Christianæ causam amplexus, labenti sacræ Rhodiorum militiæ subsidia minime miserat. Quinimmo tria Hispanorum millia, quos secum adduxerat, adversus illorum sententiam, qui ea militum manu subveniendum Cruciferis censebant, Cæsaris in Italia copiis in supplementum adjunge-

1522

*Hadriani Pontificis in Italiam adventus.*

1522 jungere decrevit. Neque vero Carolus Imperator, neque Franciscus Galliæ Rex, ad quorum alterum Magnus Magister Ludovicum Andugum equitem, ad alterum plures ex Gallis equitibus miserat, armis inter se certantes, suppetias cadenti Rhodo attulere. Venetis, quibus recens cum Ottomano pax confirmata fuerat, nihil erat causæ, cur potentissimum Regem lacessérent, illiusque gentis impetum in suas ditiones excitarent, cum qua per quinquaginta ferme annos multa opum jactura, sanguinisque effusione dimicaverant; cum præsertim Christiani Principes, qui difficillimis temporibus illos adversus communes hostes juvare debuissent, vel imperii avidi, vel felicitatis invidi in summas calamitates conjecissent, ut inter potentissimos Reges constituti, hinc Europæ Principum armis, inde Ottomanorum viribus premerentur. Sed neque in Rhodiensi bello parva a nostris adjumenta allata sunt; nam priusquam classis Turcica ad insulam applicuisset, ab Equitibus in Cretam missi fuerant, qui vina coemerent, sagittariorumque Cretensium manum, quorum illa regio maxime ferax est, compararent. Joannes quoque Antonius Bruladius Venetus, fama futuri belli per Aegæum diffusa, commeatus cum delecto juvenum numero Rhodum importavit; atque ob egregie navatam operam a Rhodiensibus equestri dignitate est insignitus. Advenit præterea e Creta Gabriel Martinengus Brixia civitate ortus, cujus mira in operibus bellicis fabricandis virtus tota illa obsidione enituit; præcipue vero in cuniculis eludendis, quos hostis insuperabili labore, vel ob aquæ scaturigines, vel ob indomitæ silicis occursum ad mœnia ducere conabatur. Tandem Suleimani obstinata constantia, ingens militum, atque agrestium numerus, quos classe secum advexerat, virtutem equitum, turres, fossas, aggeres, omniaque impedimenta vicit. Nam mense decembri, die Natali Redemptoris humani generis Jesu Christi dicata, urbem his conditionibus est ingressus; nempe, ut Divorum templa inviolata manerent; singulis propriæ religionis servandæ facultas daretur; qui in Rhodo manerent, per quinquennium a tributis immunes essent; qui abire vellent, iis naves, & commeatus in Cretam darentur; tormenta bellica asportandi liberum jus esset. Ita infeliciter amissa Rhodus, pulchritudine, opulentia, opportunitate,

*Rhodiorum deditio.*

nitate, egregio portu spectata, ut merito horreum, armamentarium, atque arx Christianorum vocari posset. Equites domibus, ac patria pulsi, humanisque omnibus incommodis affecti, classi hyberno tempore impositi, innumeris periculis defuncti, mari denique tempestatibus, ac procellis in ipsos sæviente, tandem ad Candidam Cretæ insulæ primariam urbem pervenere. Ibi a Dominico Trivisano classis Imperatore, universa effusa civitate, Magnus Magister honorifice, atque haud sine lachrimis est exceptus; qui instaurata classe, recentibus nautis, ac commeatu instructa, cum postea mense februario Creta solvisset, mari Aegeo, ac Ionio emenso, Corcyræ a Reipublicæ magistratu omnibus humanitatis, benevolentiæque officiis cultus, Romam ad Summum Pontificem pervenit. Is, priscis Religionis Hierosolymitanæ privilegiis confirmatis, auctor fuit, ut a Carolo Imperatore in Melita insula, quæ in Siculo mari sita est, sedes Equitibus assignarentur. 1522

*Melita a Cæsare Equitibus Hierosolymitanis assignata.*

Dum Rhodus acriter a Turcis obsideretur, majoraque in dies Suleimanus virium incrementa sumeret, vel tacentibus Principibus Christianæ res per se ipsæ pacis, ac concordiæ rationes exposcere videbantur. Ac sane Hadrianus Pontifex optime in commune bonum propensus, Senatusque Veneti literis excitatus, omnes Principes, ut ad pacis studia se converterent, atque ab armis discederent, sedulo adhortabatur; ut confirmatis, ac conjunctis viribus, quæ intestinis bellis debilitatæ fuerant, Turcis Italiæ minitantibus obsisteretur. Verum hæc ad speciem magis, quam ad veritatem Principum animis excipiebantur; quamvis Carolus Imperator, Gallis ex Cisalpina Gallia ejectis, Lautrechio Alpes transgresso, ut Insubribus tuto potiretur, mirum in modum rebus suis conducere existimaret; si pace cum Venetis inita, illorum auxilia sibi ad nuper adeptam provinciam retinendam adjungeret. Quapropter cum in Britanniam, coram de communibus cum Henrico rebus acturus, navigaret, ut Rempublicam in suas partes traheret, vehementer laboraverat; eaque de re, & per se ipsum, ac per magnum Cancellarium, Palentiæque Episcopum cum Gaspare Contareno graviter egerat: neque minus id Henrico cordi erat, qui cum Cæsare fœdus percusserat; Itaque Thomas Cardinalis Archiepiscopus Eboracensis, cujus

summa

1522 summa in Angliæ regno erat auctoritas, per maris Præfectum; Antonio Suriano, ac Gaspare Contareno Reipublicæ Legatis ad se vocatis, ad pacem, atque amicitiam cum Cæsare renovandam adhortatus, ut cuncta ex utilitate, ac dignitate Reipublicæ agerentur, omne studium, operamque pollicitus fuerat. In Italia quoque eadem de re Prorex Neapolitanus cum magistratu Veronensi egit; illud in primis sciscitatus, an, Gallis Insubrum ditione pulsis, inito antea cum Rege fœdere Respublica obstringeretur. Senatus, quemadmodum a Galliarum Regis amicitia desciscere, neque e dignitate esse, neque rebus suis conducere arbitrabatur; ita Cæsaris prorsus postulata renuere minime tutum esse censebat: pacem cum omnibus Principibus colere, id proprium Reipublicæ esse; cum eo Imperatore præsertim, quem semper summa fuerat observantia prosequuta, cujus ditiones in limitibus Ferdinandi illius fratris positæ sint. Verum ambiguis rerum eventibus minime certa consilia aptare prudenter Senatus volebat: licet enim Cremonam Cæsar recepisset: Gallorum reliquiæ fere omnes in Galliam profectæ fuissent: tribus arcibus exceptis, cuncta in Cæsareanorum potestatem concessissent; attamen Rex minime æquo animo laturus videbatur, se perampla regione in ea provincia exutum fuisse, in qua de primatu cum Hispanis certaverat, atque primas auctoritatis partes obtinuerat; immo sequenti anno cum ingentibus copiis Alpes transiturum variis rumoribus perferebatur. Cæsar contra, & novis societatibus, & militibus conscribendis, oppidis firmandis intentus, nihil, quod ad confirmandum nuper partum Insubrum imperium spectaret, omittebat. Id ut facilius assequi posset, Venetos amicos, ac socios sibi reddere conabatur, eaque in re Henrici Angliæ Regis auctoritate, atque adhortationibus utebatur; ac fœderi inter illos percusso, Venetis trimestre spatium statutum fuerat, quo, compositis cum Carolo controversiis, eodem societatis vinculo adstringerentur. Mox per Alphonsum Santium ordinarium Oratorem Cæsar his de rebus cum Venetis egit. Verum cum Senatus rem cunctationibus traheret, neque aliquid de illius voluntate certum elicere posset, Oratores extraordinarios Venetias ad hoc peragendum negotium mittere decrevere. Richardus Paceus primus ab Henrico Legatus venit, qui

*Fœdus inter Cæsarem, & Angliæ Regem.*

*Richardus Paceus Regis Angliæ Orator ad Venetos.*

qui illius nomine vehementi oratione ad pacem cum Cæsare ineundam Patres est cohortatus: ea firmata, ut arctiori fœdere cum Carolo, & Henrico se conjungerent, multis rationibus suasit. Demum in Gallos movere Rempublicam est conatus, ut adventanti in Italiam Regi sociis armis cum Cæsare, atque Henrico obviam iret. His postulatis decreto Senatus responsum est: quod ad pacem cum Cæsare ineundam attineret, nihil ea re magis Rempublicam optare; quod de novo fœdere adjicebatur, nisi prius cum Cæsare rebus compositis, perfici non posse. Tandem quod Respublica adversus Gallos amicos, ac socios arma sumat, id a veteri majorum instituto, qui amicitias, ac fœdera semper sancte coluissent, vehementer abhorrere: illud summis votis exoptasse; id modo cupere, ut semotis odiis, ac bellorum tumultibus repressis, quibus Christiana Respublica miserandum in modum discerpitur, Regum potentissimorum animi in mutuam concordiam, pacemque conspirent: Pontificem per literas ea in re ex animo a se cohortatum, ut omnes industriæ, atque auctoritatis nervos intenderet, quo divinum hoc pacis bonum orbi Christiano illucesceret, gravissimum hoc negotium suscepisse; nuntios designasse, qui Cæsarem, Galliæ, Angliæque Reges hortentur, suadeant, moneant, ut restinctis, odiis, ac simultatibus ablatis, ab armis abstineant, eaque in immanissimos fidei, ac religionis hostes convertant. Quis enim neget huc omnium oculos obverti, cum Turcas anno elapso Albam græcam expugnasse, modo Rhodum invasisse animadverterint? Christianæque Reipublicæ præsidium pace niti non fateatur? cujus quis exitus futurus sit, Rempublicam valde esse solicitam; ut nunc, non de armorum apparatu instruendo; sed potius de communi inter Principes pace firmanda agendum videatur. Paucis postea diebus interjectis, cum Hieronymus Adurnus extraordinarius Cæsaris Legatus Venetias appulisset, iii. idus decembris una cum ordinario ejusdem, atque Angliæ Regis Oratoribus Principem, ac Collegii Patres adiit; nonnullisque præmissis, quæ ad benevolentiam, propensamque Imperatoris erga Rempublicam voluntatem significandam spectarent, in hanc sententiam est loquutus.

*Qui Cæsaris mentem, atque animum norunt, ii testari possunt,*

1522

*Venetorum responsio.*

*Hieronymi Adurni, Cæsaris oratoris, oratio.*

1522 *sunt, Amplissimi Patres, nulla re magis commoveri, atque angi, quam bellorum bisce dissidiis, quibus miserrime superioribus annis Europa, ac præsertim Italia conflagravit; quibus actus communis hostis, imperii propagandi occasione oblata, nihil non egit, ut Christianos Principes inter se mutuis bellis attritos, summis damnis, & cladibus afficeret. Inde in Pannonias cum ingenti exercitu profectus, Albam græcam, aliaque potentissimi quondam regni oppida expugnavit. Hoc anno Rhodum, classe innumeris navigiis instructa, est aggressus. Et tamen hæc arma, quæ in Ottomanum hostem converti oportebat, in nosmetipsos convertuntur: sanguinem nostrum exhauriunt, tabescente, ut ita dicam, peramplo hoc, & vasto Christianæ Reipublicæ corpore. Ac vos, qui maritimis copiis, & viribus superioribus tempestatibus magna cum ea gente bella gessistis, ob eos turbines, qui Cisalpinam Galliam afflixere, egregios illos vestros spiritus remittere, ac fere abjicere coacti estis. Doluit Cæsar bellis quassatam Rempublicam vestram per tot annos, vires, thesauros insumpsisse: neque inter armorum strepitus illius animus a pace unquam cum vobis aversus fuit; unum id semper optavit, ut dissidia; quæ inter domum Austriacam, Venetamque Rempublicam exarserant, concordiæ, ac fœderis nexibus delerentur; cum præsertim earum, quæ Vormaciæ per quinquennium pactæ sunt, induciarum tempus elapsum fuerit; meque potissimum delegit, qui illius mentem, atque sententiam aperirem, potentissimique Imperatoris nomine a Veneta Republica pacem peterem. Enim vero id summo honoris loco haberi debet, quod Carolus Imperator, inter Christianos Principes supremum adeptus dignitatis fastigium, potentia, opibus, belli, pacisque artibus florens, tot regnorum possessione pollens, ultro pacem, ac pristinam vobiscum amicitiam enixe cupiat, ac flagitet, atque ejusmodi conditionibus sanciendam velit, quibus maxime Reipublicæ vestræ decori, & utilitati prospectum sit. Quid enim, si recte cuncta æqua æstimatione metiri velimus, rebus vestris conducibilius accidere potest, quam Gallos, qui jam intra proprios fines se recepere, atque paucis exceptis oppidis cito casuris, nihil reliqui in Insubribus obtinent, Gallia Cisalpina probibere, quietemque illam, ac pacem diuturno tempore servare, quam post multos labo-*

*labores, sumptus, pericula Cæsar in hac provincia peperit? quis enim ignorat, si Gallus, superatis Alpibus, cum exercitu rursus in Italiam ingrediatur, fore, ut brevi a praeferoci, & bellorum amica gente divina, humanaque misceantur? cuncta rapinis, incendiis, sanguine manent? Contra si pax, ac foedus inter clarissimam hanc Rempublicam pecuniis, viribus, classibus florentem, Carolumque potentissimum Imperatorem firmetur, non ausuros illam provinciam Gallos invadere, qua nuper Cæsaris exercitu expulsi fuere; neque si audeant, aliquid perfecturos? Ita pax Italiæ quam longissima, ac diuturna immortali Cæsaris, ac Venetæ Reipublicæ beneficio parta erit. An vero postremo loco illud censeri debet, quod insolens Turcarum Imperator, qui ex nostris malis tantos sibi spiritus, viresque assumpsit, recenti hoc foedere inter Cæsarem, ac Rempublicam inito perculsus, ab illis, quæ jamdiu meditatur, ac molitur, abstinebit? Vestræque res toto oriente in dies summa cum utilitate florebunt; & ab eo metu, ac sumptibus immunes eritis, quibus immissis a Turca annuatim classibus jactamini. Hæc adeo salubria, ac præclara bona non aliunde vobis, quam ex pace, ac foedere, quæ in manibus vestris sunt, manare possunt. In vestra potestate est, aut iterum novis bellorum casibus vestram Rempublicam, atque Italiam objicere; aut, si recte opportunitate, ac tempore uti velitis, tranquillitatem, ac pacem consequi, quam neque fortunæ eventus turbare, neque hostis, quamvis præpotens, labefactare, ac convellere queat. Id porro assequemini, si, societate cum Cæsare inita, Gallos Italia probibueritis, vel irrumpentibus communi consilio, viribus, armis obsistere volueritis.* 1522

Ab Adurno fine dicendi imposito, quid ad Cæsaris postulata respondendum sit, Senatus consulitur. Collegii Sapientes, quorum munus est, antequam ad Senatum ulla de re referatur, quodnam consilium capiendum sit, diu, ac diligenter, subductis utrinque rationibus, exquirere, Adurno hujusmodi Senatusconsulto respondendum esse censebant. *Quod Cæsar Rempublicam amanter adeo, ac perbenigne complexus esset, præstantemque virum Hieronymum Adurnum Oratorem ad illam misisset, ingentes illi haberi, atque agi a Senatu gratias: quod vero ad pacem attinet, nunquam ab illius studiis alie-*

1522 *num fuisse; pace alitam Rempublicam, cum omnibus Principibus illam inviolatam servare; nusquam ad arma, nisi lacessitam descendisse; summopere cupere, cum eo præsertim Imperatore, qui omnibus regiis virtutibus sit excultus, cum quo eximia virtus cum summa fortuna conjuncta sit, pacem habere; proinde conditiones, quæ justitiæ, & æquitati consentiant, libenti animo amplexuram. Ceterum, quod ad Gallos ab Insubribus repellendos, si in Italiam armati descendant, pertinet, ea de re, nisi prius de illis, quæ ad statum Christianæ Reipublicæ, resque Italicas firmandas, attinent, agatur, nihil certi a Senatu responderi posse.* Hujusmodi consulto in Senatu recitato, antequam in suffragia iretur, Lucas Tronus consilii Sapiens ita contra dicere est exorsus.

*Luc. Troni oratio.* *Si rerum humanarum idem semper esset status, Patres Amplissimi, neque variantis fortunæ vicissitudinibus, veluti fluctibus, involverentur; eisdem eventibus eadem semper consilia adbibenda forent; neque publicarum, privatarumque actionum regina, atque administratrix prudentia, quæ semper in hoc augustissimo Senatu viguit, tantum in libertate tuenda, atque in vestro regendo, ac provehendo imperio valuisset. Verum ea demum sapientissimorum, ac præstantissimorum civium summa virtus semper habita est, ad tempora, rerumque mutationes decreta quoque, atque consilia immutare, neque ita suis sensibus inhærere, ut ab illis nulla, neque ratione, neque auctoritate divelli queant, quorum hoc pertinaciæ, illud veræ constantiæ nomen mihi mereri videtur. Jam satis, Patres optimi, Gallis favimus; jam omnia a nobis veræ fidei, atque amicitiæ argumenta præstita sunt; fœderibus, quæ cum illis nobiscum intercesserant, abunde satisfactum est; commeatu, pecunia, viribus a nobis adjuti sunt; ut in Mediolani possessione retinerentur, nihil prætermissum: armis Carolum, cum quo nobis induciæ erant, lacescere veriti non fuimus; Leonis Pontificis Maximi conatibus adversi fuimus. Vel hostium virtute, vel Ducum pravis consiliis, vel fortuna, quæ omnia in bellis potest, Galli devicti sunt; Italia vel ejecti. Vel sponte cedentes abiere; vix parvæ reliquiæ in Insubribus modo adsunt, quæ cito a Cæsareanis conficientur. Gallorum, Rex, qui, Mediolano stante, sæpius se cum ingenti exercitu equitum, ac peditum transgres-*

*su-*

*sursum Alpes jactabat, atque ad opem laboranti provinciæ fe- rendam opportune adfuturum prædicabat; licet militibus non- nullis in Italiam præmissis, Cremonam dedere hostibus Scudum passus est; cœptis aut immutata voluntate, aut necessitate coa- ctus destitit: modo omnia fere in potestatem Cæsaris concesse- re. Quamvis vero incerti rumores de ejus in Italiam adventu afferantur, quem initio veris futurum autumant; putamusne, quod nondum ita prolapsis rebus minime effecit, id modo hac cunctorum inclinatione facturum, & cum Imperatore, qui co- piis, præsidiis, commeatu, amicitiis Insubres firmavit, pugna- turum? Nos vero, ut Gallorum genti, quæ pene Italiæ oblita videtur, ingenti Reipublicæ damno, exiguo, ac fere nullo eo- rum commodo præsto simus, terrestre imperium, quod immensa auri vi, magnis laboribus, summis vigiliis ex hostium pene faucibus eripuimus, in eosdem bellorum, ac turbinum anfra- ctus conjiciemus? ac cum tota Austriaca domo graves, atque hostiles iras exercebimus? ut elapsis jam induciis, quas cum il- la Vormaciæ pepigimus, in agros, in oppida, in subditos belli impetus, veluti turbo, feratur? ut terrestre imperium, quod la- tissimis finibus, vel a Carolo Imperatore, vel a Ferdinando ejus fratre Austriæ Archiduce continuato ambitu circumcingi- tur, præda, sanguine, cædeque redundet? Hæc longe ab iis diversa consilia esse reor, quibus majores nostri hanc Rempu- blicam per tot sæculorum successiones felici fato administrarunt; qui tutiora semper speciosis consiliis prætulere; neque incertis rerum eventibus æternum fortunam Reipublicæ objectare volue- runt. Quamquam quid ego de dignitate loquar? quid præcla- rius, quid illustrius, quid inquam speciosius, quam a vobis potentissimum Imperatorem ultro pacem petere, Oratorem misis- se, qui ad societatem ineundam, ad veterem reconciliandam amicitiam illius nomine hortaretur, atque invitaret? Cui sane oblatæ opportunitati nisi obviam iverimus; si consilia hæc a- spernati fuerimus, cito in easdem angustias relabemur; dum Cæsarem propinquum hostem experiemur; Gallorum longinqua, & incerta auxilia, aliquando etiam frustra, implorabimus, atque expectabimus; quasi vero satis laborum a nobis exantla- tum non sit; quasi non usque ad satietatem calamitates, quæ bellorum comites esse solent, experti fuerimus. An non satis* 1522

 *ma-*

1522 *malorum cives nostri, populi, qui in vestra tutela conquiescere debuerant, perpessi sunt? Videte quæso, ne sero tandem suscepti vos consilii pœniteat; pacis, bellique vobis optione oblata, hoc potius, quam illam amplexos esse. Quod ad me attinet, ita existimo Imperatoris postulatis aliqua in parte assentiendum esse, atque ex decreto Senatus Adurno respondendum: Gallis rursus in Italiam ad Mediolanum recuperandum redeuntibus, vos illos pecunia, armis, commeatibus non adjuturos. Id sane ad pacem cum dignitate, atque utilitate firmandam maximo erit adjumento, atque ab illis vos malis servabit incolumes, quæ (utinam falsus sim vates) nobis imminent, nisi, verbis relictis, quæ dare difficile Imperatori est, quæ mens Reipublicæ insit, Hieronymo Adurno aperuerimus.* Cum a Trono peroratum esset, ita Georgium Cornelium Equitem respondisse ferunt.

*Georgii Cornelii oratio.*

*Inficiari non possum, Senatores optimi, illos, qui hujus auctoritatem loci contingunt, cum suis consiliis gratum, ac plausibile pacis nomen prætendunt, quamplurimos in suam sententiam trahere; cum natura comparatum sit, ut omnes potius otii securitatem, quam laborum incertos exitus amplectantur; atque ii præsertim, qui bellorum difficillimos casus experti, calamitatem pertæsi, nomina etiam præliorum, ac certaminum perhorrescunt. Verum illud summa attentione, atque industria inspiciendum, ac providendum reor; ne nimio pacis studio, ac desiderio incensi in bellum eo periculosius ruamus, quo nonnunquam pax non minus grato, quam insidiis pleno nomine obtegitur. Quidquid per tot annos, tot laboribus, tot sumptibus vestra constantia, civium virtute subivimus, eo spectavit, ut tutam pacem consequeremini. Non enim ambitio, ut plerosque mortalium, transversos vos egit, ut regnandi cupidine bella ex bellis sereretis: at libertas cum hac civitate orta integre semper, inviolateque servata; imperium a vestris majoribus legitime partum, ut aliorum libidini, ac furori obsisteretis, justis armis vos induit. Hanc animis vestris opinionem insidere, eandemque omnes vos sententiam amplecti, & optime novi, & vehementer lætor: quæ cum ita sint, quisnam ad pacem consequendam tutior aditus, an Troni sententia, vel potius Patrum Collegii decreto aperiatur, disserendum est. Ille Cæsaris vi-*

*vires, potentiam, dignitatem commendat, magni facit, extollit;* 1522
*Gallorum robur, conatus parvipendit, fortissimæ illius gentis armorum aciem hebescere sibi persuadet, gladiosque illos, & mucrones, quos toties inimicorum suorum jugulis admoverunt, veluti in vagina reconditos torpere arbitratur; neque ex illa unquam eductos iri existimat. Ego contra, & Cæsarem, & Gallorum Regem plurimi facio, neque id modo agitur, ut cui potentissimorum Principum primæ partes sint attribuendæ, decernatur; in eo potius totius deliberationis cardo versatur, an e re vestra sit, Imperatori vos obstringi, Gallis in Italiam venientibus auxilia non præstaturos. Id porro si ullo unquam tempore ab animis vestris alienum, atque ab utilitate publica sejunctum fuit, hoc potissimum esse oportet, in quo res adeo in ancipiti sunt, ut quisnam illarum exitus sit futurus, quonam summorum Principum odia, injuriæ vicissim acceptæ, atque illatæ erupturæ sint, conjectura assequi difficillimum sit. An vero arbitramini, prudentissimi Senatores, Imperatorem de concordia vobiscum ineunda frustra solicitum esse, resque vestras, quæ per tot annos a Maximiliano, cujus in locum ad imperii apicem Carolus evectus est, dolo, ac vi petitæ, & vexatæ fuerunt, illi curæ, & cordi esse? Quidquid agit, quidquid cogitat, quidquid molitur, eo spectat, ut nobilissimæ, ac quondam florentissimæ istius provinciæ, Italiæ inquam, quæ vetus Imperatorum sedes, ac domicilium fuit, arbiter, ac moderator sit; hoc adepto, cuncta ex animi voluntate in universa Christiana Republica facturum sibi pollicetur. Huic rei vestram cum Gallorum Rege societatem obsistere novit; neque illi, quo minus voti compos fiat, aliud magis esse impedimento. Quo fit, ut prudentibus viris, atque iis, qui in Republica administranda vitam exegerunt, mirum non videatur, si Cæsar vos a Gallorum abstrahere amicitia, modo minas intentando, modo illecebris pertentando, nullum non lapidem movendo contendat; cujus si voti compos fiat, quis nescit vobis illas pacis conditiones, quæ sibi in primis usui esse possint, impositurum? vestris auctum viribus, Insubrum opulentissimas ditiones defensurum? Atque hæc illi Tronus ultro concedere mihi videtur; nam quod vix animo assequi possum, si illud a vobis impetrat Cæsar, ut a fœdere Gallico recedatis, Regique Alpes transgresso au-*

1522 *xilia denegetis, quis ambigit, non in potestate Cæsaris pacem, bellumque futurum? tantumque ausurum, quantum illi non ratio, ac fides; sed dominandi libido suppeditaverit? Tunc vero quo se vertet amplissimus iste Senatus? ad Regemne, quem nulla lacessitus injuria contempserit, ac læserit? an ad Pontificem, qui licet optima erga Rempublicam mente sit, beneficiis tamen Cæsaris devinctum esse, parum facultate, pecunia, ac viribus posse nemo non novit? ad reliquosne Italiæ Principes, qui e nutu Imperatoris pendent? A Cæsare ipso, a Cæsare, inquam, nobis aut pacis conditiones, aut belli eventus expectandi erunt; quarum rerum periculum, an dedecus majus futurum sit, dicere horret animus. Pacem amplectendam Collegii Patres censent; verum illam, quæ speciosi nominis obtentu, bellum nobis ingens, ac tetrum non importet: a Gallorum amicitia non recedendum; Cæsari publicam fidem non obstringendam; mentem illius, sensusque altius explorandos; ac tum demum concordiam ineundam esse, cum securitatem, ac dignitatem Reipublicæ secum allatura sit. Huic ego sententiæ vos suffragaturos reor, ab iisque consiliis non recessuros, quibus Rempublicam tot undique periculis circumseptam, incolumem, integram eximia cum prudentiæ laude servastis.*

Cum dicendi finem Cornelius fecisset, frequentibus suffragiis Senatusconsultum ex Collegii sententia factum est, quo Adurno de more perlecto, ab illo nonnulla de pace ineunda disceptata fuere, multa proposita, quæ, tum ad Vormacienses inducias instaurandas, tum ad novas pactiones firmandas attinerent. Ea res cum multis implicita difficultatibus videretur, quæ & longissimis disceptationibus, ac multo tempore egeret, tres e Sapientum Collegio a Senatu delecti sunt, quibus mandatum est, ut re inter ipsos, ac Cæsaris oratores discussa, de ea ad Senatum referrent. Fuere hi Aloysius Mocenicus Eques, unus e sex viris, qui Principi adsidere solent, qui *Consiliarii* vocantur; Georgius Cornelius Procuratoriæ dignitatis, Marcus Antonius Venerius Doctor; quorum ille *Sapientis*, ut dicimus *Consilii*; hic autem continentis locum in Collegio obtinebant. Hadrianus Pontifex Maximus de iis, quæ Hieronymus Adurnus Cæsaris nomine Reipublicæ significaverat, edocetur, qui mirum in modum pro Christianorum

Prin-

Principum concordiæ, ac præsertim Italiæ pace restituenda laborabat, ac perbenigno Rempublicam animo amplexus sæpius ad pacis studia fuerat cohortatus, præclaraque voluntatis in Venetos testimonia ediderat. Nam cum Henricus Angliæ Rex Rempublicam adversus Gallorum Regem, cum illo, ac Cæsare mutuis fœderibus arma jungere nolle ægre ferret, quo animi dolorem aperta aliqua significatione Reipublicæ ostenderet, illius onerarias triremes, quæ pro mercaturis convehendis, vel asportandis quotannis ad Britanniæ oras appellere consueverant, detinendas curaverat. Pontifex vero sponte, antequam quidquam ea de re Senatus cum eo communicasset, literas ad Regem misit, quibus illum hortabatur, atque enixe rogabat, ut Venetas triremes, ex quibus mutua in commune commodum commercia augerentur, sui gratia ex Anglia solvere permitteret, uti a Rege effectum est: uberrimæ ob id a Senatu Hadriano per literas gratiæ actæ fuere. Atque hæc eo anno acta sunt. 1522

*Angliæ Rex triremes onerarias detentas Venetis restituit.*

## M. D. XXIII.

VErum amissæ Rhodi jactura omnium mentes stupore defixerat, intestinarum dissensionum acerbis casibus ante oculos obversantibus, ut insolitus cunctos terror occuparet, ac jam cervicibus Italiæ potentissimum hostem imminentem perhorrescerent; eaque res potissimum Hadriani animum perculerat, cujus infausto Pontificatu pestilentiæ fœditas, bellorum ardor, Christianæ Reipublicæ clades contigerant. Itaque propensus ille erga publicam pacem animus, quem initio patefecerat, recentium calamitatum concursu in dies magis accendebatur, ut tandem agitare, ac moliri cœperit, quo omnes Christiani orbis Principes, simultatibus depositis, perturbationumque sedatis fluctibus, concordiæ, fœderumque nexu adstricti adversus Turcas arma, viresque sociarent. Et quoniam tantam rem perficere non opis humanæ, verum divinæ virtutis erat, cum Principum corda in Dei Optimi Maximi manu sint, omni pompa, ac fastu abjecto, orationibus, jejuniis, omnibusque pietatis officiis, quibus iratum mortalibus divinum numen, ex sanctissimo Christianæ religionis præscripto, 1523

1523 placari, ac conciliari solet, navandam in primis operam curavit. Mox ad Christianos Principes literas dedit, quibus pro munere sibi imposito hortabatur, ac monebat, ut illos tandem jactatæ, atque afflictæ Christianæ Reipublicæ miseresceret; atque ad Venetos ob eam rem Laurentium Campegium Feltrensem Episcopum miserat; quem loco Polensis Oratorem designaverat. Is enixe Pontificis nomine Senatum rogavit: *Ut qui cogitationes, consilia, actiones ad concordiam, pacemque direxisset, turbulentissima tempestate, qua Petri navis patenti pelago prehensa, atra bellorum, ac dissensionum nube omnia involvente, premeretur, ab iisdem consiliis non abhorreret, quibus per tot ætatum seriem ingentem gloriam adeptus fuerat. Respiceret exundantia maria, terrasque tot hominum sanguine, qui pretioso Christi cruore redempti forent; Eubœam, Peloponnesum, Rhodum supplices ad victricia olim Venetorum signa manus tendere, ut ab infanda barbaræ gentis servitute vindicarentur; Pontifici statutum esse, animi ardore, & contentione summa conniti, ut Christianos Principes adversus communem, immanissimumque religionis hostem sancito fœdere connecteret, ac devinciret: Rempublicam vehementer hortari, ac rogare, pace cum Cæsare firmata, cum reliquis Christianis Regibus, ac Principibus arma sumeret; neque diutius torpescere ingentes quondam Venetorum civium spiritus pateretur, ut jugo barbarorum miserrimæ servitutis tot gentibus, urbibus, provinciis liberatis, regna ab illis per nostram socordiam occupata eriperentur; ac denique ex eorum manibus Dei Servatoris nostri universo orbi adorandum sepulchrum avelleretur: non ignorare magnos veterum avorum animos adhuc in Republica vigere; illustria de hostibus insignia ad propagandam religionem, atque imperium reportata, menti infixa esse; quæ licet hoc tempore ob clades superioribus annis a Republica acceptas, ob ingentes communis hostis terrestres, maritimasque copias, ob illa, quæ in eorum faucibus regna, ac provincias possidet, consopita jacere videantur; non ambigit Summus Pontifex Hadrianus, quin omnium Christiani nominis Regum, ac Principum armis excitata haud absimilia, præclara, atque egregia facinora cum Christiani Venetique nominis gloria sit editura.* In hanc sententiam

*Laurentii Campegii Pontificis ad Venetos Oratoris officia.*

tiam loquuto Campegio a Senatu responsum est: *Summis laudibus extollere sanctissimi Pontificis mentem, curam, solicitudinem pro communi pace, concordiaque susceptam, ex qua eximii fructus ad publicam utilitatem, immortalemque Hadriani Pontificatus memoriam manatura sint: nil a Republica ardentiori affectu exoptatum ullo unquam tempore fuisse; ab honestis pacis conditionibus nunquam aversum fore, testari, quæ statim ad illum, cum ad summum dignitatis fastigium pervenisset, Senatus perscripserat. Ceterum quod ad fœdus cum aliis Principibus adversus Turcas ineundum attineret, nulli altius menti hærere quot damna, & clades ab ea gente illatæ sint, postquam malo nostro crescere Ottomanorum potentia cœpit; cum, quæ post Byzantium orientalium Imperatorum sedem occupatum, a Republica per quinquaginta fere annos continentia bella gesta sint, quibus cives occumbere, diripi urbes, spoliari ditissimas insulas oculis pene ipsis Senatus conspexerit; ut nulla sit gens, quæ, tum publici, tum privati commodi causa illorum potentiam repressam, atque imminutam vehementius cupere, magisque niti debeat: utinam vero summo huic Pontifici concessum foret, ut præteritorum sæculorum præclara facta instauraret, ac sacro fœdere adstrictos Christianos Principes in communem hostem impelleret: quis enim ambigat, si semel pia arma susceperint, atque in illum unanimi consensu, consilio, viribus bellum intulerint, non in eandem mentem Venetos quoque consensuros? nemo sane; neque animum, neque quotquot cogi poterunt copias, neque præclaros ausus desiderabit.* Verum egregius iste, cunctisque laudibus superior Hadriani Pontificis conatus eundem finem habuit; quem Leonis tempora experta fuerant: nam speciosis, ac inanibus consiliis jactata Christianæ Reipublicæ vulnera refricarunt; ac gravi quodam veluti veterno oppressam patefecerunt; ne dum ut ex iis fructus aliquis pristinæ majorum virtutis, atque gloriæ colligi potuerit; cum gravioribus multo calamitatibus Europa, atque Italia præsertim (ut suo dicemus loco) redundaverint. 1523 *Senatus responsio.*

Ceterum pax inter Cæsarem, ac Venetos agitari cœpta, variis obortis difficultatibus, ac disceptationibus trahebatur, cum ingentem auri vim Cæsaris Oratores a Republica peterent,

1523 rent, ad quam persolvendam Senatus nullo pacto adduci poterat: deinde, cum pro Insubribus tuendis, ac Francisco Sfortia in Mediolanensi imperio retinendo se fœdere obstringi Senatus minime abnueret; Cæsareanis eodem fœdere ad Neapolitanum regnum defendendum teneri Venetos placebat; quod ne a Senatu probaretur, id in causa erat, ne Turcæ, quibus per immensam fere longitudinem Venetæ ditiones finitimæ sunt, inde ad pacem turbandam occasionem arriperent; cum ex Neapolitano regno facilis in Epirum, Græciam, aliasque provincias in visceribus Ottomanici imperii trajectus sit; neque timendum videretur, ut dum staret Mediolanum, copiæque illud Cæsaris, ac Reipublicæ tuerentur, hostes Neapolitanum regnum invaderent; cum haud quaquam tutum Senatus censeret, Reipublicæ copias tam longe a suis finibus abesse, ut terrestre imperium viribus destitutum, hostium injuriis, atque libidini pateret. Præterea haud parvi momenti controversiæ accedebant de exulibus revocandis, de bonis restituendis. De Vormaciensibus quoque pactionibus inter Ferdinandum, & Carolum Imperatorem fratres, ac Venetos multa supererant, quæ non facile explicari poterant, præsentiamque Oratoris, qui Ferdinandi nomine ageret, exposcerent; ut negotium ob varias, quæ in dies oriebantur, difficultates, brevi temporis intervallo perfici non posset. Pontifex vero omnibus de rebus a Senatu edoctus, cum vereretur, ne privatæ inter Cæsarem, ac Rempublicam controversiæ communi pacis bono essent impedimento, adhortando, omnia in se recepturum pollicendo nitebatur, ne levioribus difficultatibus eximium communis concordiæ fructum, ac præsentissimum Christianis rebus auxilium cunctationibus, atque ancipiti consilio moraretur. Per eos dies Balthassar Glesius Ferdinandi Archiducis nomine Venetias accessit, ut (quod maxime ad rem perficiendam necessarium videbatur) quæ de finibus controversiæ inter illum, ac Rempublicam versabantur, definiret, pacique subscriberet; quæ cum ejusmodi essent, ut neque facile, neque cito expediri possent, atque interim Caroli, & Henrici Oratores ad negotium perficiendum urgerent, eoque nonnunquam dicendo proveherentur, jam induciarum tempus elapsum esse; nisi quamprimum quænam illius mens

*Balthassar Glesius Ferdinandi Orator ad Venetos.*

esset

esset Senatus patefaceret, adversus Rempublicam arma moturos; inopinato Hieronymi Adurni obitu superioribus difficultatibus accedente, quinam rei exitus futurus esset, dispici haud satis poterat. Interea Gallorum Rex de iis, quæ a Cæsaris Legatis cum Patribus agebantur, certior factus, Venetorum consilia suspecta habere; vereri, ne Cæsari Venetis reconciliatis, difficilior illi in Italiam aditus, atque Insubrum oppugnatio fieret. Quapropter, ut Senatum a Cæsareano fœdere averteret, se quamprimum cum ingenti exercitu Alpes transgressurum, Joanni Baduario Reipublicæ Oratori significaverat; ac, ne de illius voluntate ambigi posset, Rentium Ceritem, Ambrosium Florentinum Venetias misit, qui una cum Vilierio ordinario Legato Patrum Collegium ingressi, quæ mens in Italicam expeditionem Francisci foret, exposuerunt, præpotentem Regem pedite, equite, pecunia, bellicis machinis cito Italiam ingressurum; Senatum rogare, ut in mutuo fœdere, quod antea percussum fuerat, permaneret: Gallis cum suis copiis, ac viribus præsto foret; id cum veteri Reipublicæ in Regem benevolentiæ, atque amicitiæ, tum ipsius in Rempublicam meritis responsurum. Senatus, cum in re admodum ancipiti, ac perplexa versaretur, hinc Cæsaris, inde Regis Oratoribus illius amicitiam petentibus, aliquid certi pronunciare difficile admodum erat; ne alterius partis in se odium, atque arma provocaret. Licet enim cum Cæsare de pacis conditionibus agitaretur, Adurni morte negotium intermissum fuerat; Gallorum vero vires, Regisque Insubres invadendi consilium Patrum animos valde suspensos tenebant, ut, neque deserere inchoatas concordiæ ineundæ rationes, neque Gallis quidquam aperte, aut negare, aut polliceri vellent. Tandem ita Senatus consulto responsum est. *Optima semper mente erga potentissimum, atque invictissimum Regem Rempublicam fuisse; cunctis semper studii, atque observantiæ officiis coluisse, quæ superioribus annis præstiterit argumento esse; de auxiliis in Italiam venturo subministrandis nil esse, quod modo ageretur; cum Summus Pontifex de communi inter Christianos Principes concordia summopere solicitus, id sedulo meditaretur, ut, semotis armis, tandem quies orbi Christiano affulgeret, ac Pannoniis trepidantibus, belliqueincendio confla-*

*fla-*

1523 *Hieronymi Adurni obitus.*

*Rentius Cerites, & Ambrosius Florentinus Gallici Oratores ad Venetos.*

1523 *flagraturis cito subveniretur, ne communis hostis ferrum in amplissimi regni viscera, nullo repugnante, ac obsistente, miserrime adigeret: apud Cardinalium Collegium dixisse, sibi Principes omnes monere in animo esse, ut in triennium, vel quinquennium inducias paciscantur; ni id faciant, anathematis pœnas additurum. Cum itaque res ita se haberent, de armis inferendis certi quidquam minime afferre posse; ne Respublica communi huic bono obstitisse, ac spem, quæ mortalium animos ad pacem erexerat, immaturo, ac præcipiti consilio turbasse videretur.*

*Antonii Grimani Principis obitus. Anno 1612. interregno Principis Donati antiquata lex hæc fuit.*

Pridie kal. maji Senatus consulto Gallicis Oratoribus de more perlecto: nonis Antonii Grimani Principis obitus est subsequutus. Inde cum ob ducalia comitia Senatus cogi non posset, publica consilia expediri nequibant: ita enim ex majorum veteri instituto inolevit, ut, Principe defuncto, priusquam successor sublegatur, nihil, quod ad Rempublicam pertineat; neque Senatus decretis, neque aliorum consiliorum, aut magistratuum sententiis sanciri queat: adeo tota ratio illorum Comitiorum perplexa est, ut ad omnem ambitum tollendum a prudentissimis, ac religiosissimis viris inventa videatur.

*Andrea Griti, & Georgii Cornelii comparatio.*

Erant ea tempestate duo clarissimi, ac præstantissimi cives, Reipublicæ lumina, qui eximiis in patriam meritis ceteris anteibant, Andreas Gritus, & Georgius Cornelius: ambo clarissimis natalibus, rerum agendarum usu, egregia in Rempublicam pietate conspicui, per omnes honorum gradus ad Procuratoriam dignitatem evecti. Gritus difficillimis temporibus pace, belloque clarus, apud summos Reges, ac Principes in honore habitus, innumera fortitudinis, ac prudentiæ facinora pro patria ediderat, illiusque singularis virtus in Patavio recipiendo, ac propugnando mirum in modum superioribus annis illuxerat. Cornelius, vir integritate, atque affabilitate singulis civitatis ordinibus in primis carus habebatur: fama est, illum in Senatu quidquid de publica dignitate, atque utilitate esse sentiret, admirabili eloquentia perfecisse. Verum illi ad memoriam in omnem posteritatem producendam, celebritatemque nominis propagandam peculiare, atque insigne fuit, quod opulentissimum, & nobilissimum Cypri regnum ex illius domo ad Rempublicam transtulit, ac ingenti dono, in-

sueto

ſueto mortalibus exemplo, patria aucta, atque ornata fuerat. 1523
In tot præſtantiſſimarum virtutum, ac meritorum concurſu, Andreæ Griti fortitudo, labores pro patria ſuſcepti, captivitates, pugnæ antelatæ ſunt. Nam cum Patres ad unum & quadraginta, ad quos Ducis creatio lege ſpectat, xvij. kal. junias curiam eſſent ingreſſi, ſequenti die Gritus Princeps renuntiatus eſt: qui poſtea per multos annos arduis tempeſtatibus conſilio, virtute, mira prudentia in Reipublicæ adminiſtratione excelluit.

*Andreæ Griti Principis electio.*

Cæſar, audito Hieronymi Adurni obitu, Marino Caracciolo, qui poſtea a Paulo tertio in Cardinalium collegium cooptatus eſt, ac tunc Orator ad Pontificem fuerat deſignatus, ut Adurni loco Venetias accederet, inchoatumque negotium denuo ſuſciperet, imperavit. Quocirca intentiore ſtudio intermiſſa pacis tractatio revocatur: quotidie Cæſareanis Oratoribus Collegium adeuntibus, petentibuſque ut moræ, ac cunctationum cauſæ tollerentur; amplectendamne Patres Cæſaris amicitiam, ac pacem cenſerent, non obſcuris verbis patefacerent. Senatu ſæpius coacto, ob diverſas ſententias nihil decerni poterat, cum majori parti quidquam in re tam ardua non liqueret: quamvis enim Collegii Patres cum Cæſare pacem firmandam arbitrarentur, atque ea de re decretum tuliſſent; complures acerrime oppugnabant, neque a vetere cum Gallo fœdere, atque amicitia recedendum eſſe contendebant; qui ſi, ut conſtanti omnium prædicatione ferebatur, in Italiam armatus deſcendiſſet, pro ingenita gentis ferocia, ac viribus, Regis præſentia haud difficulter Cremonæ arci opem laturus, ac Mediolano potiturus videbatur. Cæſareanos pecunia laborare; quamplurimarum rerum inopia premi; jam præda, ac rapinis alienos, a Galliſque averſos populorum animos ad veteris dominationis deſiderium redire; ea ſi contingerent, Rempublicam impetum omnem irati Regis excepturam; eo acrius fines illius invaſurum, quo magis ob ſpretam amicitiam, fœduſque fractum, ſe ab ea laceſſitum fuiſſe ſentiret. *Vires*, ajebant iſti, *Gallorum ſummo Reipublicæ damno experti ſumus, qui cum primum, licet immerito, a Reipublicæ amicitia regnandi cupidine, deſcrviſſent, nobis ingentem calamitatum cumulum intulere: cæde, ferro, ſanguine noſtra oppida*,

*Marinus Caracciolus Cæſaris Orator ad Venetos.*

1523 *da, agrique redundarunt: neque antea tot malis finis impositus fuit, quam in pristinam cum iis amicitiam, ac gratiam rediremus. Franciscus hic, qui nunc rerum potitur, fœdere vobiscum icto, ad imperium recuperandum sociis vos armis adjuvit; cui sane, quod Brixia, Veronaque amplissimis, ac ditissimis urbibus potiamini, acceptum referre debetis. Illum igitur Regem, qui post regni suscepta gubernacula semper amicus, sociusque vester fuit, adversus amicitiæ jura, ac fœderis religionem deserere, in animum inducetis? vos, inquam, qui semper beneficiorum memores nullo unquam tempore ingratitudinis notam subiistis; scilicet, ut Carolus Imperator, acerrimus illius hostis, nullo contradicente, in Italia dominetur, atque ea provincia, quæ ad Græciam, Macedoniam obtinendam, atque adeo ad totam Europam coercendam situs natura, virium robore opportuna semper est habita, sibi ad Christianam Rempublicam moderandam, ac subigendam gradum paret, atque adstruat? Quid enim, quominus illam integre possideat, Cæsari deest? amplissimum regnum Neapolitanum possidet: Insubribus potitur: Pontifex illi opera, & studio favet: reliqui Italiæ Principes, vel fide, vel officiis devincti sunt. Vos, inquam, vos illi estis, quibus, si in Galliæ Regis amicitia perseverare inconcussa opinio fuerit, librare potentissimorum Principum opes, regnandique immodicam cupiditatem compescere datum sit: cum immortali gloria vestram auctoritatem reliqui Principes sequentur. Italia libertatem, ac splendorem vobis acceptum referet.*

Contra iis, qui temporum conditionem, præsentemque rerum statum attentiore cura dispiciebant, minime tutum videbatur, Vormaciensibus induciis elapsis, cum Cæsareanis ob Insubres subjectos, ac Mediolanensem arcem nuper in deditionem acceptam, tumescentibus iterum ad bellum redire, qui ob propinquitatem momento in agros, oppidaque Reipublicæ irruere poterant, pacemque honestam certo, ac difficili bello anteferendam esse Senatui auctores erant; satisfactum jam esse Gallicis fœderibus, copiis, pecunia, tormentis: illorum rebus in Galliam Cisalpinam opem latam fuisse: modo ejectos, atque Italia pulsos, nihil, præter Cremonensem arcem, eamque cito in hostes casuram, possidere. *Quid faciat*

*Se-*

*Senatus? Bellumne cum Imperatore, cum quo semper inducias servasse affirmarit, modo suscipiat, dum cunctis bellicis rebus instructus apparatus iste regius in dies friget, atque elanguescit? Quid enim si Anglus, ut frequenti rumore increbuit, in Galliam impetum fecerit? An regni sui oblitus periclitanti Italiæ, Venetæque Reipublicæ opem feret? Tot igitur procellis patriam objectabimus? ut præterita vulnera, cicatrice nondum coalita, acerbius recrudescant? Quid vero vobis ipsis; quid ad Italiæ, vel libertatem, vel dignitatem optatius accidere potest, quam Insubrum imperium retroactis ætatibus propriis Principibus parere assuetum, ad Franciscum Sfortiam pervenire? Vos, neque Gallum, neque Cæsarem finitimos habere, qui aliquando Reipublicæ felicitati invidere, atque illius imperio inhiare queant; quod paucis ante annis, Ludovico Mediolano ejecto, summo cum damno experti estis. In Insubrum enim regione is Princeps erit, a quo turbandæ quietis, ciendique belli nullum vobis erit periculum pertimescendum: id porro in vestra est potestate; si pacem, ac fœdus, quod ultro Imperator offert, amplectamini; si quieta, securaque consilia dubiis, atque incertis anteferre volueritis.* 1523

Dum inter diversas sententias Patrum animi fluctuarent, Princeps Gritus gravi oratione Senatum alloquutus, dicendi vi, quæ non mediocris in illo fuisse fertur, atque auctoritate, quam ex assiduo maximarum rerum usu sibi comparaverat, flectere ad pacem nutantes Senatores potuit; ut tandem amicitia, ac fœdus cum Cæsare decerneretur. Ac sane hoc loco non parum miror; non modo a Francisco Guicciardino, verum etiam a Petro Justiniano Venetarum rerum conscio, scriptis mandatum fuisse, Andream Gritum ad supremæ dignitatis in Republica fastigium nondum evectum, ut Venetos in Gallorum amicitia, ac fœdere retineret, vehementer laborasse, iisque in Senatu acri se oratione opposuisse, qui Cæsari assentiendum suadebant: eundem mox Principatu decoratum, nulla amplius ea in re verba ad Patres habere voluisse; ne, qui diu in Galliis moratus esset, certa quadam erga gentem illam propensione duci videretur: nam Gritum in Senatu pro fœdere loquutum fuisse, ancipitesque animos ad certa impulisse constat. Vetus quippe mos semper in Senatu fuit, ut, cum

*Andreas Gritus pacem cum Cæsare suadet.*

de

1523 de gravissimis rebus agitur, qui prudentia, ac rerum usu opitulari patriæ consilio possint, quacunque privati commodi ratione semota, liberrime in suggestu, quæ sentiant, eloquantur.

*Fœdus inter Cæsarem ac Venetos.* Quod igitur faustum, felixque esset, pax, & fœdus iiij. kal. augusti in hanc sententiam inita sunt. Carolo, Divina favente clementia, Romanorum Imperatori electo (ita enim antequam coronam de more suscipiant, vocari pervetusta consuetudine Imperatores consuevere) nihil unquam antiquius fuisse, quam iis non modo malis, ac calamitatibus obviam ire, quibus nobilissima Italiæ provincia bellis præteritis afflicta, atque attrita, non sine gravi Reipublicæ Christianæ jactura fuerat, verum in posterum turbari, ac vexari posset: proinde veram, certamque pacem, ac quietem firmare, ut inde communis inter omnes Principes concordiæ bonum manare queat: ad hanc rem consequendam nihil conducibilius, nihil firmius esse, quam si pacis, fœderisque nexu cum Illustrissimo Andrea Grito, Dei gratia Duce, & Excellentissimo Venetiarum Dominio (his enim verbis pacta inter Principes, ac Rempublicam concipiuntur) adstringeretur: His de causis ad communem præsertim utilitatem spectantibus, cujus semper Veneta Respublica studiosissima fuerat, summi, sanctissimique Hadriani Sexti Pontificis, Serenissimique ac potentissimi Henrici Angliæ Regis, fidei defensoris; intervenientibus Thoma Campegio electo Feltrensi, sanctissimi Pontificis Legato, Richardo Paceo consiliario, & primario a Secretis, atque Angliæ Regis Oratore, tractatione primum Hieronymi Adurni, qui vitam cum morte commutavit, mox Marini Caraccioli Protonotarii Apostolici, ac Alphonsi Sanches Consiliariorum, apud Rempublicam Cæsaris nomine Oratorum munere fungentium; in id Serenissimo Domino Ferdinando Hispaniarum Infante, & Principe, Cæsaris fratre, per Balthassarem Glesium ejus Consiliarium, Oratoremque concurrente, cum clarissimis viris Aloysio Mocenico Equite Consiliario, Georgio Cornelio Equite Procuratore Sancti Marci, & Marco Antonio Venerio Doctore, Illustrissimi Ducis, & Dominii procuratoribus, ad pacis, ac fœderis pactiones devenere, quæ inter ipsum sacratissimum, & invictissimum Imperatorem, ac Illustrissimum Ducem, Excel-

cellentiſſimumque Dominium Venetiarum ratæ, firmæque ſint. 1523
Illarum ſumma capita hæc fuere.

*Præteritorum bellorum memoria inter Maximilianum, ac Rempublicam deleta, ac penitus ſublata, mutua pax, eademque perpetuo ſanciatur.*

*Qua vulgata, ultro, citroque iniri commercia terra, marique regiones utrinque adiri queant; piratæ, genus hominum invisum, pellantur, excindantur; qui hoc vitæ inſtitutum arripuerint, merita nece pœnas luant.*

*Extorribus in patriam receptis, jus civium amiſſum reſtituatur: quæ bona fiſco adjudicata fuerint, in eis jus non habeant: quinque aureorum millia illorum vice ſingulis annis pendantur.*

*Quæ loca, atque oppida Venetis a Ferdinando ex Vormacienſibus conditionibus adhuc reddita non fuere, reſtituantur.*

*Ducentorum aureorum millia octo annorum ſpatio, ſingulis viginti quinque millia, perſolvat Cæſari Reſpublica: ſolutione, niſi prius oppidis, locisque a Ferdinando receptis, minime teneatur.*

Hæc pacis conditionibus continebantur. Fœdere vero cavebatur: *Ut Franciſcus Sfortia Mediolani Dux quingentos Italos cataphractos in Inſubribus pace, belloque aleret; cujus rei ſe ſponſorem, ac vadem Cæſar promitteret.*

*Si adverſus Ducem, aut Venetos bellum moveretur, cataphractorum numerum ad octingentos augere Cæſar deberet, adjecto ſex peditum millium, ac quingentorum levioris armaturæ equitum numero, tormentorumque bellicorum apparatu; ut his viribus aucti hoſtium impetus arcerent, ſuoſque fines tuerentur.*

*Contra vero Veneti Inſubrum ditione bello petita, ac vexata, præſto futuros, omnique ope Ducem adjuturos; cataphractos octingentos, quingentos levioris armaturæ equites, ſex mille Italos pedites, præter bellicas machinas, ſubſidio miſſuros polliceantur.*

*Neapolitano regno a quovis Chriſtiano Principe, Summo Pontifice Hadriano excepto, bellis laceſſito, quindecim triremes, omni bellico apparatu inſtructæ a Republica in eas oras ad regnum tuendum mittantur.*

1523 *Hadrianus Pontifex, Henricus Angliæ Rex pace hac, atque fœderibus, si illis libuerit, honorifice excipiantur, eorumque conservatores sunto.*

*Qui ambarum partium fœderati, ac socii fuerint, eadem pace, ac fœdere comprehendantur. A Cæsare adscripti fuere Reges Lusitaniæ, Pannoniæ, & Poloniæ: Sabaudiæ Dux: Florentina Respublica, Julius Mediceus Cardinalis, omnesque ejus gentiles: Antonius Adurnus Genuæ Dux: Mantuæ Marchio: Senarum, & Lucæ civitates: Marchio Montisferrati.*

*Sex mensium spatium tam Cæsari, quam Reipublicæ ad aliorum, quos vellent, nomina apponenda constitutum est.*

Xviii. kal. septembris pax, fœdusque inter Cæsarem, Rempublicamque ac reliquos fœderatos ictum, solemni ritu, ac more promulgatum est; & ne Senatus liberalitas desiderari posset, Marinus Caracciolus Cæsaris Orator, qui in gravissimis negotiis tractandis sedulam, optimamque operam navaverat, quinquaginta auri libris donatus est. Ad Cæsarem duo præstantissimi Senatores, Andreas Naugerius, Laurentius Priolus; ad Ferdinandum vero Carolus Contarenus, ut pacem, fœdusque Reipublicæ nomine gratularentur, a Senatu missi sunt. Ad Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem, qui eadem de causa Franciscum Tabernam ad Patres miserat, ut idem officii genus præstaret, Marcus Antonius Venerius Legatus deligitur.

Pace, ac fœderibus inter Cæsarem, & Venetos Hadriani Summi Pontificis auctoritate percussis, satis pacatas, ac firmas res Italiæ fore, Gallorumque Rex suspicione Anglici belli domi detentus nihil hoc anno in Italia moturus videbatur. Verum, ut in rerum eventibus, ac Principum gestis pernoscendis, debilia, atque infirma sunt hominum judicia; quæ remorari Regem ab ea expeditione poterant, vehementiores illi, atque acriores spiritus addidere: nunquam enim præteritæ cladis memoria ex animo effluxerat, extimulabatque adeo amissa Insubrum regio, ut omnibus potius se objectare periculis, omnia subire incommoda, quam sibi a Cæsare illatas injurias perpeti posse videretur. Itaque quam maximum potest Gallorum, atque Italorum peditum, atque equitum numerum parat:

rat:

rat : bellicas machinas, tormentarii pulveris , jumentorum , vehiculorumque apparatus ingentes adhibet : tributa indicendo, vectigalia oppignerando , decumas a Sacerdotibus exigendo , quam maximam potest pecuniæ summam coacervat : ab Helvetiis per nuntios petit, ut cum primum in Taurinorum campos descenderit, peditum suæ gentis subsidia mittant. Iis de rebus instructum quamprimum Regem in Italiam cum exercitu venturum ore omnium circumferebatur; cum præcipue impetus ille, quem Henricus Angliæ Rex se effusurum in Gallias jactaverat, paulatim elanguisset; neque Cæsar aliquid extra Italiam moliri posset, quod Regem ab instituto revocaret. Itaque Franciscus Lugdunum contendit , ut loci opportunitate; tum ea, quæ ad bellum necessaria essent, urgeret ; tum ut brevius illi in Italiam iter foret. Veneti cum haud dubie rursus Italiam bello conflagraturam animadverterent , nihil quod, vel ad fœderis conditiones servandas, vel ad proprios fines tuendos pertineret, omittendum duxere. Theodoro Triultio summo militiæ Præfecto , quod partes Gallorum sequeretur, plurimisque cum ea gente affinitatibus, atque officiis adstrictus esset, ob navatam Reipublicæ operam gratiæ a Senatu actæ . Franciscus Maria e Ruverensi familia in ejus locum suffectus est; vir scientia militari , ac prudentia clarus , qui ereptum sibi per injuriam avitum imperium egregio conatu armis recuperaverat, ac nuper ab Hadriano Pontifice in gratiam receptus, legitimæ possessionis titulos consequutus fuerat, omnesque illius ditiones suscipere in clientelam Senatus pollicitus est. Copiis , quas ea tempestate Respublica in Cisalpinis habebat, sex Italorum peditum millium numerus adjectus; levioris armaturæ equitatus trecentis equitibus auctus est; urbes, atque arces validioribus præsidiis instauratæ, mille pedites subsidio missi. Leonardus Haimus Legatus a Senatu renunciatus, atque ut cum Urbinate ad exercitum proficisceretur , constitutum est; statimque Præfecti cataphractorum equitum ad Olii fluminis ripas se conferre jussi , ut fines Reipublicæ defendere , ac ad omnes rerum eventus in promptu esse possent.

1523

*Theodorus Triultius a Venetis stipendiis dimissus. Franciscus Maria Urbini Dux in locũ Triultii suffectus.*

*Leonardus Haimus Legatus in castris.*

Interea de Regis adventu fama increbrescente, qui Gallorum partibus favebant, novas res moliri cœpere. Leo Comes

1523 Carpensis oppidum, quo Cæsar Alberto fratri, uti perduellionis reo adempto, Columnam donaverat, per insidias occupat. Galeatius Biragus Valentiam oppidum juxta Padum situm in suam potestatem redigit, arcemque, deditione ab oppidanis facta, recipit. Qua re ab Antonio Leva, qui Hastam cum Hispano peditatu, ac levioribus equitibus ad continendos in fide populorum animos a Columna missus fuerat, intellecta, cum militum manu Valentiam profectus, neque natura, neque arte munitum oppidum biduo expugnat; cum arcem tormentis quatere cœpisset, deditione statim accepit, quadringentis interfectis, nonnullis captivis factis; inter quos ipse Biragus fuit. Verum dum Regem, qui se Lugdunum contulerat, quamprimum in Italiam venturum nemo ambigeret, novæ ortæ rerum rationes, præter omnium opinionem, illum alia omnia opinantem a suscepto itinere prohibuerunt. Præbuit mutandæ sententiæ occasionem Carolus Borbonius Dux regii stemmatis nobilitate, potentia, ac honorum insignibus (nam Equitum magistri munere fungebatur) apud Gallos longe clarissimus. Is, quod aliquot ante annos regio favore, & gratia excidisset, parumque sibi in regno administrando auctoritatis tribui iniquo animo pateretur, ac nuper aliquot ex paterna hæreditate, & Borbonensi ducatu oppida a regina in litem deducta essent, occulta odii, ac irarum semina animo conceperat. Opportunum itaque tempus adesse ratus, dum Rex trans Alpes profectus in Italicum bellum incumberet, aliquid adversus illum in Galliis facinoris patrandi: per Hadrianum Baurenum Cæsaris Oratorem, qui simulata veste mercatorem ementitus, ad illum profectus fuerat, cum Carolo, atque Henrico Anglorum Rege secretos tractatus habuerat, deque Gallorum regno cum illis pactus dicebatur; nempe ut Alpes transgresso Rege, ipse cum duodecim millibus peditum, qui communi Principum ære compararentur, Burgundiæ fines ingrederetur, magna spe subnixus, Rege absente, gratia, & auctoritate, qua plurimum apud omnes posset, facile amplissimi regni parte aliqua potiturum. Quapropter Molinii sub ægrotantis specie, ut sua consilia tegeret, substiterat, Rexque illum benevola animi significatione inviserat; cui, cum Lugdunum pervenisset, clarioraque in dies initæ conjurationis indicia

*Carolus Borbonius a Rege Gallia deficit.*

cia deferrentur, detecta, ac patefacta sua consilia Borbonius 1523
persentiens, duobus tantum comitatus, clam ad Sequanorum fines, qui Cæsari parebant, se recepit.

Rex de illius fuga edoctus, cum Germanos pedites Burgundiæ finibus appropinquare audivisset, periculi plenum esse ratus, si in regni visceribus atrocissima conjuratione patefacta, illo deserto, in Italiam proficisceretur, Gulielmum Gauferium maris Præfectum ( Galli *Admirallum* vocant ) in Italiam mittit; qui cum mille octingentis cataphractis, totidem levioribus equitibus, ac triginta millium peditum numero, nullo obsistente, Insubrum ditionem ingressus, usque ad Ticinum amnem pervenit. In itinere Novaria, quæ, consulto Francisco Sfortia, arce excepta, deditionem fecit, ac Viglevano receptis: nam Prosper Columna cum motus in Galliis, quos Borbonius conciverat, Regisque de profectione immutatum consilium intellexisset, in eam spem adductus fuerat, ut hoc anno Italica expeditio intermitteretur; quocirca nihil earum rerum, quæ, vel ad repellendos hostes, vel ad civitates ab eorum impetu tutandas pertinerent, comparaverat; inopinatoque hostium adventu, neque milites, qui ad pauciorem numerum redacti erant, aut agere, aut colligere, neque bellica tormenta parare, nec mœnia diruta, strataque reficere, aut munitiones erigere potuerat: id illi eo rerum statu unum erat consilium, ad Ticinum amnem coactis copiis, Gallos transitu prohibere. Itaque quatuor Hispanorum, totidemque Germanorum peditum millibus, ac equitibus quotquot poterat collectis, ipse, licet gravi morbo conflictatus, lectica deferri, atque in citeriori fluminis ripa consistere voluit. Verum secus, atque ille reputaverat, accidit; cum enim ad amnem Galli pervenissent, pertentatisque vadis, ob diuturnam siccitatem facilem transitum fore animadverterent, ad quatuor millia passuum ab hostium castris, nullo contranitente, idibus septembris, pars pedibus, pars lembis flumen tranarunt, eidem ponte superjecto, quo tuto tormenta bellica duci possent. Columna inani eventu consilium cecidisse sero inspiciens; gravioribus tormentis Mediolanum præmissis, eodem cum exercitu contendit: qua ex re tantum timoris, ac trepidationis urbi injectum fuerat, ut, si ea occasione usus Gauferius, confestim cum copiis adfuisset, civitate potiturus foret.

*Gauferii in Italiam adventus.*

1523 Dum hæc agerentur, Gallorumque cœptis fortuna adſpiraret, Senatus Leonardo Haimo Legato mandaverat, ut cum quadringentis cataphractis, ac trium millium peditum numero, Ollio trajecto, in Abduanam glaream profectus inter Bergomatum, ac Cremenſium fines opportuno ad utraſque urbes ſubveniendas loco caſtra haberet: ad Cremam, quæ magis patere hoſtibus videbatur, tutandam Chriſtophorus Albanenſis, ac Burgheſius ductores cum trecentis peditibus ſubſidio miſſi fuere. Sed cum nondum Urbinas in caſtra veniſſet, & Galli inter Binaſcum, & Abiatum, duodecim a Mediolano paſſuum millibus, caſtrametati fuiſſent, cunctabundus Legatus rem trahebat. Ceterum præclare gerendæ rei opportunitas, vel negligentia, vel copiarum omnium ad Ticinum amnem cogendarum ſtudio, e manibus Gauſerii effluxit. Dum enim ille in ulteriore fluminis ripa ſubſtitiſſet, Columnæ, Mediolanenſiumque animi in meliorem ſpem erecti, omiſſis de relinquenda urbe conſiliis, excipere, ac ſuſtinere ingruentes Gallos decrevere. Quapropter, quæ ad Mediolanum retinendum idonea videbantur, ſummo ſtudio perficere, præteritamque ſocordiam virtute, ac diligentia corrigere: aggeres lapſos reficere: Italicum peditatum augere: commeatus intra mœnia convehere: ad arma ſæpius, atque ex improviſo conclamare, ut quid ſpei, præſidiique in civibus reponendum foret, innoteſceret. Quo factum eſt, ut brevi duodecim peditum millia, præter cives, in armis eſſent; ad hæc, ut Ticinum, ac Cremona præcipuæ Inſubrum urbes hoſtium vim repellerent. Antonius Leva cum valida militum manu Ticinum miſſus; Cremona mille peditum præſidio aucta fuit: tribus egregie munitis urbibus, nihil a Gallis Columna pertimeſcendum ratus. Gauſerius cum triduum in colligendis militibus operam impendiſſet, atque inter Binaſcum, & Abiatum oppida copias collegiſſet, Mediolanum verſus proficiſcitur, ac inter Romanam, & Ticinenſem portam tormenta admovet: ſed nimis arduam ſe aggreſſum rem conſpicatus, externis militibus, atque armati populi numero ſubnixam urbem omnem impetum egregie excepturam, oppugnatoreſque propulſaturam fore, gradum retroagere, expugnationis conſilium deferere cogitur. Inde inter Laudenſem, Ticinenſemque viam poſitis caſtris, ad Modoe-

doetiam recipiendam partem copiarum mittit. Petrum Bajardum cum octo peditum millibus, equitatus robore, decem bellicis machinis ad Laudem oppugnandam proficisci jubet. Modoetia nullo negotio occupatur. Marchio Mantuanus, qui nuper cum equitibus quingentis, ac totidem peditibus ad exercitum venerat, cum se imparem ad hostes arcendos animadverteret, Parmæque, quod Pontifici militaret, subsidium importare vellet, Laude relicta, Cremam se contulit. Laude Gallus potitus est. Leonardus Haimus Legatus cum Modoetiam amissam, Laudem captam cerneret, Cremonam potituros hostes haud dubiis nuntiis intelligeret; ne ex ea parte Venetorum fines ab hostibus aliquid detrimenti acciperent, ad Pontem vicum prope ripam Ollii fluminis situm copias statuit. 1523

*Modoetia & Laus a Gallis captæ.*

Interea Feltrius Veneti exercitus Imperator in castra pervenerat: complures secum, quos in Flaminia, ac Piceno conscripserat, milites adduxerat; cumque non procul a Ponte vico Mantuanorum Princeps suos milites collegisset, situs opportunitate id eventurum sperabat; ut, & Galli nostrorum propinquitate Cremona abstinerent; & Venetorum ditiones ab hostium incursibus tutiores redderentur: quorum alterum Columna magnopere optabat; alterum Senatui maxime cordi erat; atque in id, ut valde niteretur, Legato mandaverat. Cæsaris, ac Mediolani Ducis Oratores cum mirum in modum de Cremona tuenda soliciti essent, a Senatu petunt, ut quam celerrime subsidia Cremonam mitti, exercitum trans Ollium flumen in Cremonensi agro esse jubeat; hac una ratione Gallos consilia de illa oppugnanda relicturos: non tam exiguo numero, neque tam modicis viribus nostros esse, ut timorem illis incutere hostes possint, qui quinque millium peditum, ac quadringentorum cataphractorum equitum summam non excedant: ad solicitandos Patrum animos Prosper Columna, ac Franciscus Sfortia nuntios Venetias misere. Senatus quæcunque e re communi forent, atque præsertim ad Cremonam tuendam spectarent, imperaturum affirmat. Verum Galli a Cremonæ oppugnatione non destitere; ac primum arci, quæ adhuc in illorum potestate erat, subvenire statuunt. Federicus Bozzolus cum quadringentis hastatis, ac sex peditum mil-

*Urbinatis ad Venetorum exercitum adventus.*

*Federicus Bozzolus, & Rentius Ceres ad Cremonæ oppugnationem.*

 libus,

1523 libus, Rentio Cerite adjuncto, Abdua trajecto, Melenianum contendit: inde Cremonam adortus, quam centum cataphracti equites, ac peditum quatuor millia præsidio tenebant; tormentis admotis, postquam triduo urbis mœnia magno impetu quassata, ac diruta forent, dato signo milites corona urbem aggredi jussit: conatus irrito eventu cecidere; tum propugnatorum virtute; tum pluviis repente obortis, ac magnis imbribus quatriduo e cælo demissis.

Cremonæ igitur recuperandæ spe amissa, Gauferius, qui antea Mediolanensis expugnationis dubium, difficilemque exitum veritus, in aliis oppugnandis oppidis, atque urbibus tempus triverat, rursus cum omnibus copiis ad Mediolanum obsidendum revertitur, recenti spe adductus, ut commeatu intercludendo, hostes omnium rerum inopia pressos ad deditionem compelleret. Quocirca Modoetiam, Mediolanumque inter parte copiarum collocata, a duobus lateribus urbs obsessa, tam iis, qui e Laudensi, ac Ticinensi agro, quam illis, qui ex Brianteis montibus commeatus in civitatem importari solent, carere cogebatur. Ad hæc frumentariis molis a Gallo disjectis, ac incensis; adeo ingens in civitate oppidanorum multitudine, ac militum referta annonæ caritas est oborta, ut supra centum hominum millia per aliquot dies leguminibus vesci coacti fuerint; donec molis, quæ manu versarentur, in civitate fabrefactis, huic incommodo obviam itum est. Civitas liberali victu assueta, rerum non modo affluentia privari, verum quoque in usus vitæ necessariis ægre intercludi patiebatur. Prosper Columna, ut hostes a cœpta obsidione averteret, Principi Mantuanorum mandaverat, ut cum Pontificio equitatu Ticinum profectus, ne annona ad castra hostium deferretur, omni contentione niteretur. Eodem tempore cum Venetorum copiæ ad Ticinum pervenissent, inopia urbis laxari, atque affatim in obsessam urbem cuncta confluere, cives afflicti sublevari cœpere. Veritusque Gallus, ne a nostris disjecto, aut occupato ponte, quem ad Viglevanum struxerat, qui alios obsidebat, exercitus penuria laboraret, copias, quæ Modoetiæ erant, ad se vocat; quo facto undique ex agris tanta tritici, vinique copia in urbem est invecta, ut omni spe per obsidionem potiundæ civitatis Præfectus maris

*Mediolanensium inopia.*

exci-

excideret. Neque feliciorem in ea obtinenda eventum in insidiis est expertus, quæ detectæ exitium, atque infamiæ notam auctoribus intulere. Nam Morgantius Parmensis, occiso cohortis præfecto peditum Joannis Medicei, stationem ad sublicium pontem agente, qua extra urbis aggeres patebat aditus, ea se parte Gallos introducturum pollicitus fuerat: a Joanne Ferrariense Stephani Columnæ milite, qui proximas illi excubias agebat, & quem propositis hostium præmiis, ad se allicere tentaverat, proditio fuit ad ipsum Columnam delata, a quo, cum Joannes Mediceus detectos dolos cognovisset, Morgantius, ac facinoris socii more militari lanceis transfixi pœnas dedere.

*1523 Gauferius Mediolanenses per insidias aggreditur.*

*Insidiæ detectæ: noxiorum pœnæ.*

Cum igitur rerum eventibus sua frustrari consilia, nullamque benignioris fortunæ spem sibi relictam esse Gauferius animadverteret, ne, hieme jam adventante, ad munera belli obeunda opportunitas elaberetur, digredi ab urbe, obsidionisque metu Mediolanenses solvere coactus est; inde ad inducias animum convertit. Locus inter castra, urbemque deligitur, quo utrinque ad negotium pertractandum mitterentur; e Cæsareanis Ferdinandus Alarco, Hieronymus Moronus, Paulus Victorius Florentinus; e Gallis Galeatius Vicecomes, Thomas Baverrius conveniunt. Summa animorum contentione disceptatur: petunt hi bimestres inducias, ut interea aliqua inter Cæsarem, Regemque pacis ratio iniri posset, Insubresque variis fortunis triennio fere agitati tandem quiescerent: Principibus id gratum fore; assiduis incendiis, rapinis, cædibus exitum Mediolanenses inventuros: addunt, nulla magis in re, quam in bello incerta omnia esse, in quo eventus sæpius mortalium consiliis nusquam respondeant; uterentur itaque opportunitate, periculisque, ac metu Cisalpinam Galliam, atque Italiam solverent. Contra Cæsareani disserebant, nunquam aversos se a pacis studiis fuisse, neque bellorum occasiones quæsivisse: ut pax Italiæ firmioribus radicibus coalesceret, Franciscum Sfortiam in avito imperio collocasse: Gallos arma in Italiam invexisse; pacem publicam perturbasse; ut Insubribus potirentur, cuncta molitos fuisse: pro Italiæ pace Pontificem, Venetos, reliquos Italiæ Principes cum Cæsare fœdera junxisse; eam consequi non posse, nisi quæ citra

Ti-

1523 Ticinum Galli occupavere, sociis restituantur: quod si omnino ab Italia abstinuerint, si ita illis constitutum sit, tum de induciis agi posse: cumque propediem Carolus Lanojus in Insubres esset venturus, rem omnem in illud tempus rejiciebant: nihil enim ipso, vel invito, vel inscio, vel inconsulto facturos: is namque, Prospero Columna gravi morbo confecto, atque in interitum vergente, ad bellum administrandum a Cæsare fuerat designatus. Multis igitur hinc, atque inde jactatis, re infecta discessum est, variisque incommodis Gauferii exercitu conflictato, quæ nivium ingentium copia e cælo irruente, procellis, ventorumque turbine aucta fuerant, urbis obsidione desperata, ab ea abscedere, atque ad Abiatum duodecim ab urbe passuum millibus castra ponere Gauferium coegere.

*Hadriani Pontificis obitus.* Dum modo afflante, modo reflante fortuna res Galliæ Cisalpinæ agitantur, Hadrianus Summus Pontifex ex humanis excessit; vir sane, qui si optimam mentem, ac literarum studia, quibus imbutus fuerat, cum rerum usu, ac præcipue Italicarum notitia conjunxisset, celebriorem nominis famam posteris, præsentibus vero ingens sui desiderium reliquisset. Fuit is valde erga Venetam Rempublicam propensus; si vita longior adfuisset, clarioribus argumentis aliquando testaturus: constat enim Ravennæ, & Serviæ urbes, quæ a Julio Pontifice Venetis ademptæ fuerant, Reipublicæ de re Christiana, ac sanctissima Sede optime meritæ restituere illum in animo habuisse. Romæ Cardinalium comitiis coactis, de subrogando Pontifice actum; cumque illorum, qui ad supremum dignitatis fastigium anhelabant, dissidiis, suffragantiumque affectibus res fere ad duos menses protracta esset, tandem xiiii. kal. decembris Julius Mediceus Cardinalis Pontifex Maximus deligitur, qui splendore familiæ, auctoritate, atque concepta de se apud omnes eximia opinione virtutis, aditum sibi ad amplissimum inter mortales dignitatis gradum struxerat; Clemens *Clementis vij. electio.* Septimus nuncupari voluit. Erant sane in eo viro quamplurima, vel natura, vel rerum usu, quæ in maximam spem omnes erexerant, fore, ut sedatis bellorum tempestatibus, illius virtute, atque consiliis tandem Italia conquiesceret: nam Leonis Pontificatu summæ rerum universæ præfectus gravissima ne-

negotia confecerat ; pene solus imperii molem sustinuerat ; maximi, atque infracti animi documenta præbuerat : morum gravitate, quam subtristis quidam, & cogitabundus adspectus comitabatur, ad magna, atque eximia agenda formatus ; nil, nisi de maximis, semperque seriis rebus cogitare, atque ab omnibus voluptatum illecebris alienus, severam quamdam modestiam spirare videbatur. Compositi animi illud non mediocre argumentum extitit, quod vehementer musica oblectaretur ; ut compertum sit, nullum ea tempestate in Italia fuisse, qui illo magis in ea liberali facultate excelleret. 1523

Pontificatus initio infensum in Gallos animum, veteremque sibi infixam animo cogitationem inesse Italia Gallos pellendi, non obscure significavit : in Italiæ pacem vehementer propensus, Franciscum Sfortiam in Mediolanensi imperio retinendum esse, ut ea firmioribus radicibus coalesceret, censebat : verum quot, quantisque illius Pontificatu convulsa ruinis Italia, quot Romana urbs religionis sedes perturbationibus jactata, ac concussa fuerit, antequam pax affulgeret, suo loco pluribus nobis erit explicandum. Senatus Venetus Clementi primum per literas gratulatus ; mox Oratores octo designavit, qui publico nomine consuetum officii munus obirent : fuere hi Thomas Contarenus, Hieronymus Pesareus, Marcus Dandulus, Laurentius Bragadenus, Nicolaus Teupolus, Dominicus Venerius, Aloysius Bonus, Vincentius Capellus. Mediolanensi obsidione soluta, e Gallia Narbonensi, atque ex Allobrogicis Alpibus summo studio milites cogere Gauserius enititur ; Helvetiis instantissime missionem postulantibus, persolutis stipendiis, abeundi facultas concessa ; tormenta bellica trans Ticinum abducta : cum reliqua quatuor millium peditum Helvetiorum manu, ceterisque copiis in hybernis commorari statuit ; ut interim quæ a Rege subsidia mitti quotidie afferebatur, adventarent ; ac, ne omnino belli consilia omisisse videretur, ad Aronam in Verbani lacus finibus munitissimum arte, naturaque oppidum, animum adjecit, Rentioque Ceriti viro impigro, plæclarisque rebus in bello gestis insigni, ut cum septem Italorum peditum millibus summa vi illud aggrediatur, imperat. Ceres nihil moratus, citato gradu Aronam profectus, neque feliciorem, neque faci-

*Oratores Veneti ad Pontificem designati.*

*Rentius Ceres frustra Aronam aggreditur.*

1523 faciliorem fortunam votis Gallorum eſt expertus. Licet enim per triginta dies admotis tormentis mœnia arcis, quæ oppido imminet, atque ab hoſtium injuria tutiſſimum reddit, magno impetu, & horribili fragore quaſſata, & concuſſa forent, ſæpiuſque per murorum ruinas irrumpere milites conati fuiſſent; propugnatorum tamen virtute, quos Columna mille ducentis peditibus Mediolano emiſſis auxerat, hoſtibus repulſis, quamplurimorum edita ſtrage, oppidum, ſitus opportunitate ſummum ad bellum conficiendum momentum allaturum, egregie tutati ſunt. Hoc loco res erant, cum Carolus Lanojus Prorex e Neapolitano regno in Inſubres venit; ad quem Senatus Oratorem Carolum Contarenum deſignavit, ut publico nomine de bello adminiſtrando conſilia cum eo iniret, quæque in rem communem forent, Reique publicæ intereſſent, mature exequi poſſet. Atque in id tempus Proregis adventus incidit, quo Proſper Columna morbo octimeſtri conſumptus ex humanis exceſſit; vir bellicæ virtutis gloria ea tempeſtate clarus, quique potiſſimum hanc laudem apud multos retulerit, ut ducibus illius temporis bella non minus conſilio, ac prudentia, quam cæde, ac ſanguine confici poſſe, oſtendiſſe videatur.

*Carolus Contarenus ad Lanojum Proregem orator.*

*Proſperi Columnæ obitus.*

## M. D. XXIIII.

1524 RErum gerendarum initium a rationibus, conſiliiſque belli adminiſtrandi Prorex auſpicandum duxit; atque ea de cauſa Metaurenſium Dux ſummus Venetæ militiæ Præfectus, ac Leonardus Haimus Legatus Mediolanum convenere. Conſiliorum ſumma fuit, omni ope nitendum, priuſquam Galli ſibi majora ſubſidia compararent, ac jam prope lapſas vires, animumque colligerent, ut bellum conficeretur: id vero conſequi haud difficulter poſſe, ſi fœderatorum copiæ jungerentur, quæ peditum, atque equitum numero, ac virtute, Ducum peritia hoſtibus terrorem incuterent, Mediolanenſibus animum adjicerent: non intra urbis mœnia in otio continendum exercitum eſſe, ne torpeſcant vires, hebeſcat ferocia militum; immo aſſiduo armorum uſu, atque exercitatione alatur, ac ſuſtentetur: quocirca caſtrorum loca tuto,

atque

atque opportuno situ deligenda, ut hostes commeatu prohiberi, atque ad omnem rerum inopiam redigi queant; aut, si vires experiundi opportunitas affulserit, manum haud dubia victoriæ spe conserere, ac profligare hostes possint: neque enim fortunæ aleam subire, & opulentissimæ ditionis imperium, sociorumque res incerto plerumque belli eventui objectare tutum fore censebant: mora, arte, studio tepentis Gallorum ardoris reliquias extingui posse; ac fortunæ inconstantia ereptum pulcherrimæ victoriæ fructum, in studio, prudentiaque præstantissimorum Ducum reponendum esse. His consiliis per Legatum Senatui significatis, ut Reipublicæ copiæ Cæsareanis conjungerentur, facultas Imperatori, ac Legato permissa est; injunctumque, ut oppidorum, ac urbium, quæ finitimæ hostibus sint, ratio habeatur, idque præsidii relinquatur, quod ad illas tuendas sufficiat; cum præcipue a Laudensibus timendum foret, ne duobus Helvetiorum millibus, quos illis Gauferius subsidio miserat, aucti, Cremonensium, ac Bergomatum fines invaderent: idque illis in primis curæ esset, quantum studio, ac diligentia assequi possent, ut eo loco castra locarent, quo pugnandi optio a nostris ad hostes transferri non posset; ne, victoria, quæ jam præ manibus teneretur, per negligentiam amissa, Insubres in discrimen adducti in eadem pericula Venetas ditiones traherent. His constitutis, cum pecunia Cæsareani laborarent, ne illius inopia mora maturandis consiliis injiceretur, ac quamprimum ex hybernis milites deduci possent, quam maximam possunt argenti vim undique colligunt, Clemente ad Cæsarem juvandum mirum in modum proclivi; qui cum viginti aureorum millia Cæsaris Oratori persolvi jussisset, Florentinis, Senensibus, ac Lucensibus auctor fuerat, ut quidquid ex fœdere deberent, alacri animo ad Italiæ præsentem statum retinendum erogarent; neque Francisco Sfortia aliquid, quod ad avitum imperium spectaret, omittente, qui propensa Mediolanensium voluntate, cunctisque populorum in se inclinatis animis, nonaginta aureorum millibus, quæ statuto tempore redditurum se polliceretur, adjutus fuit. Neque minus ea in re Venetorum studium extitit, qui a Cæsare rogati decem & octo aureorum millia, quæ ex pace Veneta debebantur, cum non- 1524

dum

1524 dum solutionis tempus adesset, grato in fœderatum Imperatorem animo numerari mandaverunt.

Dum pecuniæ, pediti, equiti, ac reliquis ad bellandum opportunis, ac necessariis rebus comparandis socii incumbunt, Joanni Mediceo Melenianum oppidum cum arce ultro, vi non expectata, in deditionem concessit; nec multo post Lanojus, Davalus, Mediceus equitum, peditumque robore suffulti Robechum, cui Bajardus cum trecentis levioribus equitibus, ac non parva peditum manu præerat, nocte intempesta adorti, hostes nil ejusmodi suspicantes, aut cæde affecere, aut armis, equisque ademptis, fugæ se committere compulere. Interim Gauserius ad Abiatum tuto, ac forti loco castra habebat, e quo ad certamen subeundum a nostris nulla, vel vi, vel astu cogeretur, Helvetiorum auxiliis adventantibus ad pugnam lacessere hostes, aleamque martis experiri tuto posse ratus. Cum interea crebris excursionibus suus miles ferro, incendiis, atque omni calamitatis genere in agros grassaretur, at Cæsareani Germanorum auxiliis aucti cum exercitu, qui cataphractis equitibus mille sexcentis, levioris armaturæ mille quingentis, Hispanorum septem, Germanorum duodecim peditum millibus, Italisque mille ac quingentis constabat, Mediolani præsidio quinque Italorum peditum millibus relictis, ad Binascum consedere; quo Metaurensium Dux Venetarum copiarum Præfectus cum sexcentis cataphractis, totidem levioribus equitibus, ac sex peditum millibus accessit; oppidum situ opportunum ad milites continendos ratus, ne ab hoste lacessiti ad prælium ineundum cogi possent, cum usque ad Ticini fere suburbia protensum, civitatem munitam, firmoque præsidio vallatam pro munimento haberet. Ibi exploratis iis, quæ a Gallis gererentur, cum Gauserium cum octingentis cataphractis, Helvetiis undecim, Italis quatuor, Germanisque duobus millibus adhuc Abiati se continere intellexissent, neque annonæ affluentia, castrorum firmitate, situs natura, aut vi pelli, aut ulla ratione ad munitissimum locum deserendum compelli posse animadverterent; alias belli ineundas rationes Duces statuunt, ut nempe trans Ticinum amnem copiæ ducerentur: ita hostes commeatu prohiberi, civitates, atque oppida, quæ trans Ticinum obtinerent, occupari

*Venetarum copiarum cum Cæsareanis conjunctio.*

pari

pari posse; his Gallos permotos castra munitissima deserturos, 1524
atque, ut rebus suis opem ferrent, divulsis, atque disjectis viribus, aut nostrorum virtute profligatum iri, aut Insubrum provinciæ obtinendæ spe abjecta, in Galliam se recepturos. Francisco itaque Sfortia, cum sex Italorum peditum millibus, ut sua auctoritate populum in fide contineret, Mediolanum regredi jusso, tribus confectis pontibus, Ticinum amnem fœderati exercitus trajiciunt: ad Gambalotum Cæsareani castrametantur.

Urbinas cum Trumeli castra ponere statuisset, medioque inter Ticinum, & Trumelum loco Garlascum oppidum interjaceret, quod commeatibus ex urbe in castra convehendis maximo nostris erat impedimento, magna vi illud aggredi statuit; tormentorumque impetu magna mœnium parte disjecta, ac solo æquata, qua aditus militibus intra oppidum per strata mœnia patebat, equite ex equo descendere jusso, ut una cum pedite per murorum ruinas invaderent, summa alacritate adhortatur. Præfectus, ac milites, qui Garlascum tenebant, nostros imperterriti excipiunt, atque initio propellunt. Tum Urbinas acrius instare: spiritus suis addere: adequitando, voce, manu, nixu corporis incitare: labantes sustinere: ubi opus esset, pugnam vehementius redintegrare. Cujus virtute, ac exemplo ductores nonnulli, ac milites Veneti concitati fossas aquis oppletas mento tenus nobili ausu transiliunt: hoc facto, reliqui omnes impulsi per diruta mœnium spatia, ubi hostibus aggeri reficiendo distentis, minus ad nostros pellendos roboris inerat; conglobatione facta, urgere acrius, ac vehementiori conatu irruere. Hostes primum ad nostrorum impetum sustinendum impares loco cedere; mox trepidatione oborta, fuga salutem quærere: oppidum, quadringentis hostibus cæsis, aut captis, a Venetis direptum. Maximum inde ad annonam exercitui importandam commodum consequutum est; nec minor Urbinatis Ducis laus fuit, qui eo die egregii, fortisque Imperatoris decus tulit, suamque erga Rempublicam operam felici, atque egregio facinore commendavit.

*Garlascum Urbinatis virtute captum.*

Postquam Galli Ticinum amnem nostros trajecisse, Garlascum expugnatum fuisse intellexere; veriti, ne iis, quæ trans Tici-

1524 Ticinum obtinerent, Viglevano, ac reliquis Laumellensis regionis oppidis a nostris occupatis, commeatu intercepto, obsidione premerentur, Abiati mille peditibus, centumque equitibus relictis, Ticino superato, ad Viglevanum cum reliquis copiis consedere. Ibi cum omnia se inauspicato expertum, secum maris Præfectus reputaret; neque obsidione profecisse; neque levioribus pugnis tempus terendo bellum confici posse animadverteret, cum non longius a nostris duum passuum millibus abesset, extremum eventum experiri sibi in animum induxit, fœderatisque Ducibus pugnandi facultatem, exercitu in aciem explicato, per triduum præbuit: qui, licet virtute, & numero hostibus præstarent, a prælio tamen abstinere; neque in ancipites belli casus, quam sibi victoriam tenere videbantur, præcipitare satius esse existimarunt; cum præsertim exquisitis Mediolani de belli administrandi ratione sententiis, a prælio abstinendum Prorex Neapolitanus, Davalus, summus Venetæ militiæ Præfectus, ac Legatus censuissent; eandemque sententiam Senatus, tuta consilia incertis rerum eventibus anteferre solitus, probasset. Huc etiam illud accederet, quod ex interceptis hostium literis compertum fuerat, pecuniæ inopia adactos diutius militem sub signis continere non posse: quocirca quemadmodum Abjato expulerant, ita Viglevano deturbare Gallos nituntur, atque Sartiranum oppidum in citeriori Padi ripa ad commeatus, qui in castra hostium convehebantur, opportunum, cui Hugo Pepulus Bononiensis, ac Joannes Biragus cum quingentis peditibus, atque equitum manu præerant, aggrediuntur. Primum tormentis mœnia stravere: mox ingruentes Hispani, quos ad duo millia Joannes Urbinas, cui oppidi expugnandi munus mandatum fuerat, secum adduxerat, ingenti edita propugnatorum strage, Ducibus in captivitatem redactis, oppidum, atque arcem in potestatem redegere; neque Gauferius, qui suis, Viglevano relicto, opem laturus contendebat, celeritate nostrorum præpeditus opportune suppetias ferre potuit; quinimo Mortariæ de rei eventu certior factus, subsistere coactus est. Hoc secundo victoriæ cursu Vercellenses, Hieronymi Persii summæ apud illos auctoritatis viri consilio, atque opera a Gallis aversi ad Cæsareanos accessere; atque ab opulenta civitate

*Vercellenses Hieronymi Persii opera ad fœderatos accedunt.*

vitate affatim annonæ, & ceterarumque rerum copia exercitui subministrata est: inde fœderati majori spe subnixi, hostes undique circumcingere, atque reditum in Galliam intercludere parant; quocirca ad pagum, qui Arcus Marianus dicitur, Vercellas inter, & Novariam situm, contendunt. 1524

Gauferium, qui ad Novariam copias duxerat, ne penitus spem rei gerendæ abjiceret, hæc maxime sustinebant: primum, quod decem Helvetiorum millia, ac quadringentos e Gallia equites expectabat; alterum, quod ex Rhætia quina illius gentis peditum millia acciverat, qui per Bergomates in Cisalpinos descenderent, eo consilio, ut Abdua trajecto, cum ad Laudem pervenissent, junctis copiis, nostros Mediolano metuentes a Laumellensi agro revocarent. Ob id a tribus Rhætorum fœderatis pagis Martinus Roccolinus Orator Venetias missus fuerat; ut pro vetere illius gentis in Gallos propensione Rempublicam ad amicitiam regis amplexandam cohortaretur: Rhætos, quæ illorum semper fuerat in Gallorum reges observantia, nullum, quod ab iis proficisci posset, officii genus in Regem prætermissuros; armis, ac milite ad opem suis rebus ferendam propediem in Galliam Cisalpinam exscensuros; Senatum rogare, ne Regi optime de se merito, regnoque florentissimo deesset. Ad hæc Senatusconsulto responsum est: nullis casibus quidquam de Reipublicæ in Regem observantia imminutum; cur a fœdere cum Cæsare icto recederet, nullam causam esse; quæ illo continerentur, ne irrita forent, omni contentione, ac studio enixuram. Hi Rhætorum motus, atque excursiones, quæ quotidie a militibus, qui Laudem insederant, in Bergomatum, & Cremensium fines fiebant, Senatum movere, ut trium Italorum peditum millium, quadringentorum Epirotarum, ac ducentorum levioris armaturæ equitum delectum haberi juberet, quo facilius Rhætis obsisti, atque a fluminis Abduæ transitu illius gentis milites arcerentur. Quapropter Joannes Maurus Legatus cum copiarum partem in Bergomates duxisset, iisque novo delectu non parva manus accessisset, brevi quatuor peditum millium, ac sexcentorum equitum copias coegit, adjecta agrestium multitudine, quæ undique ad tuendos agros a Bergomi magistratu evocabatur. Franciscus quoque Sfortia cum totidem peditum

*Martinus Roccolinus Rhætorum Orator ad Venetos.*

*Joannes Maurus Legatus in Bergomate.*

1524 ditum millibus, ac ducentis equitibus eodem Joannem Mediceum miserat. Itaque Veneti, ac Sfortiadæ junctis opibus Rhætos transitu prohibere nituntur, ne (ut Galli summopere optabant) iis, qui Laude erant, adjungerentur. Levioribus igitur certaminibus potius, quam justo prælio aggrediuntur; leviores equites eo pugnæ genere assueti modo lacessere, modo fugæ simulatione longius elicere; tum vehementiori impetu adoriri. Gens hujuscemodi præliis minime assueta cum triduo inter Abduam, Brembumque amnem octo a Bergomo passuum millibus substitisset; neque pecunia ad stipendia persolvenda; neque commeatus ad alendos millites invenisset; moræ impatiens, tædio confecta, levitatem Gallorum, Rentiique Ceritis, qui eos ductaverat, negligentiam incusans, eo, quo profecta erat, itinere in suos fines regressa est.

*Abiatum a Sfortia expugnatum.* His gestis, ad Abiatum occupandum Sfortia animum adjecit; ac Joanne Mediceo cum militum manu præmisso, qui pontem disjiceret, quem in Ticino amne ad Busalorum Galli struxerant, præsidioque firmaverant; mox ipse cum Mediolanensium popularium agmine, qui militiæ adscripti fuerant, eodem contendit; illiusque mœnibus ab oriente sole usque ad meridiem tormentis quassatis, summo ardore oppugnat. Propugnatoribus, quamvis initio ingenti conatu hostem repellerent, ea tamen vis animorum, aut corporum non fuit, ut milites per aggeres, fossasque aquis oppletas muro appropinquantes sustinerent, atque impedirent, quin eodem die magna eorum cæde, oppidanorumque captivitate, locus opima præda refertus misere caperetur, ac diriperetur; licet relata ex hostibus spolia maxima postea cladis semina fuerint; ut pote quæ exitialis vi morbi correpta, pestiferam luem in Galliam Cisalpinam, ac præcipue Mediolanum diffuderint, quæ late plebem pervagata, in ea civitate quinquaginta ferme mortalium millia absumpserit. *Pestilentia ex hostium manubiis exorta.* Dum hæc gererentur, Gauferius, qui, ut diximus, ad Mortariam substiterat, fœderatorum exercitu adventante, Novariam se receperat: acrius a nostris obsidetur; commeatuum, qui e citeriore Ticini ripa in castra supportabantur, facultas adempta; multi pedites, atque equites belli incommodis affecti trans Alpes iter arripere; alii signa deserere; robur exercitus in dies debilitari, atque infringi; jam

non

non ad belli decora Gauferius adſpirare, ſed reditum in Galliam incolumem moliri; quem periculi plenum abſque Helvetiorum auxiliis mente circumſpiciebat, quos, cum ad quinque millia, tranſgreſſis Alpibus, Eporediam perveniſſe, atque ob aquarum copiam, quibus Seſites amnis præter ſolitum excreverat, trajicere non poſſe intellexiſſet, Novaria motis caſtris, inſtructa acie, ad Romananum ejuſdem fluminis ripæ adjacens oppidum progreditur, ut trajecto flumine, ſibique Helvetiis junctis tuto itinere in Galliam proficiſci poſſit. His cognitis, fœderati propius hoſtes copias admovent; diſſentientibus Ducibus, rectane hoſte in patriam contendente, incruenta victoria potiri; an pugna laceſſitum in martis aleam elicere, ac cogi præſtaret. Nonnulli, inter quos Prorex Neapolitanus erat, cum jam ſex millia paſſuum hoſtes antevertiſſent, ulterius minime progrediendum cenſebant. Carolus Borbonius, cui de Burgundia ſubigenda conſilia peſſimo conatu ſuſcepta, irrito eventu ceſſerant, atque ad exercitum in Italiam ſe contulerat, ut, qui ſemel a Rege defecerat, fidum, ac gnavum ſe Imperatori oſtenderet, non hoſtium fuga contentos eſſe oportere, ſed pleno gradu properantem victoriam excipiendam eſſe clamabat; tantumque eo die itineris conficiendum, ut poſtero hoſtem perterritum, pavore, ac conſternatione dejectos milites, vel ad pugnam proficiſcentes pertraherent, vel in turpiſſimam fugam conjectos inſequerentur, palantes, turbatoſque proſternerent. 1524

Dum conſiliorum varietate, atque altercationibus cunctando tempus teritur; Galli intempeſta nocte motis caſtris, ad diluculum, nondum inalbeſcente cælo obviis Helvetiis, qui Eporediæ conſederant, vado Seſitem amnem trajiciunt. Rumor de Gallorum profectione in caſtra fœderatorum perlatus, multos Cæſareanorum militum ad amnem tranandum, hoſteſque perſequendos illexit. Hi nullo militaris diſciplinæ ordine, abſque vexillis, tumultuario nixu Seſite ſuperato, poſtremum agmen adorti, levioribus certaminibus laceſſunt; variis ex partibus in hoſtes ingruunt. Suſtinuere primo impetum Galli, neque ab itinere deflexere; mox in terrorem verſi, minus virium ad obſiſtendum objecere; quippe qui quam celerrime itineri conficiendo operam dabant, ſeptem bellicis tormentis, vexillis, aliiſque quamplurimis in hoſtium poteſtatem relictis. Multi cæſi, ac pro-

*Gallorum ad amnem Seſitem profligatio.*

1524 fligati eo die fuere; inter quos præcipui nominis Petrus Bajardus, ac Joannes Cabaneus, qui equo militaria ſtipendia cum imperio meruerant. Gauferius vulnere in brachio accepto, lectica delatus, unum id cum reliquis Ducibus curabat, ut incolumes, quantum fieri poſſet, trans Alpes copiæ reducerentur; tormentis, quæ itineri impedimento futura erant, neque per Auguſtæ Prætoriæ vallem, qua iter facturi erant, niſi vehiculis deferri poſſent, in arce novem paſſuum millibus ab Eporedia relictis; Cum interea Bothelinus, qui cum quadringentis equitibus ſubſidio Gallis Sebuſium uſque pervenerat, his auditis, in Gallias reverſus eſſet. Fœderati, levioris armaturæ equite emiſſo, qui hoſtes inſectaretur, tormentiſque in poteſtatem redactis, quæ Galli cum gravioribus impedimentis reliquerant, ulterius minime progrediendum cenſuere. Legato namque Senatus Venetus ſignificaverat, Inſubrum fines egredi e Republica minime arbitrari: longius enim abductis copiis, neque Inſubrum finibus, neque Venetis ditionibus recte conſultum iri: at vero, ſi rationes belli ulterius progredi compellerent, ac in Montisferrati, vel in Sabaudiæ Ducis fines copiæ ductandæ forent, militum licentiam coerceret, Marchionique, ac Duci ſignificaret, id a Senatu in mandatis habuiſſe, ut ab omni injuria eorum ditiones vendicaret. Legatus igitur Venetus ad Laudem, quæ Gallis parebat, recipiendam cum Metaurenſium Duce; Davalus cum Hiſpanico peditatu ab Alexandriam occupandam proficiſcuntur. Laus, cui Julius Severinas præerat, vi non expectata, ad noſtros acceſſit. Alexandria, quæ Federici Bozzoli auſpiciis in fide Gallorum continebatur, cum jam Alpes tranſgreſſum Gauferium certis nuntiis accepiſſet, ultro in Cæſareanorum poteſtatem conceſſit, Italis militibus in Gallias commeatu permiſſo, qui cum ad quinque millia eſſent, magno uſui Franciſco Regi fuere.

*Gauferius in brachio vulneratus.*

*Urbinas Laudem occupat.*

*Alexandria ultro Cæſareanis ſe dedit.*

Hic eventus Gallicæ expeditionis fuit, quæ ſummo ardore, ingenti mortalium opinione ſuſcepta, langueſcente primum concitatæ nationis impetu, mox imperatoris faſtu, ac arrogantia repreſſa, impares exitus habuit: is enim qui minax, ac jactabundus Italiam ſumma vi, maximiſque copiis ingreſſus fuerat, conſilii inops, pavoriſque plenus, acciſis rebus, in Gallias reverſus eſt. Senatus cum egregiam erga Cæſarem voluntatem re ipſa comprobaſſet, atque omnia, quibus

ex

ex fœdere Venetiis inito tenebatur, cumulate præstitisset; 1524
bello jam confecto, Petro Pesareo D. Marci Procuratori Legato in patriam reditum concessit; Joanni Mauro, qui Prætor Cremæ designatus, in Brixiensibus Legatus declaratus fuerat, ut peditibus, ac levioris armaturæ equitibus commeatu permisso, cataphractis in hyberna deductis, ipse Cremæ Præturam iniret, injunctum. Ita bellum, quod intra Italiæ viscera alebatur, disjectum, ac discussum est; ac Respublica in spem felicioris fortunæ erecta, bellorum se casibus Senatus prudentia, Ducum virtute subductam fuisse lætabatur; cum præsertim singulare omnium populorum in illam studium non obscuris argumentis renituisset; nam cum ob diuturnos bellorum labores, pecuniæ inopia Respublica premeretur, certatim singula oppida argenti, atque auri vim pro cujusque facultate contulere, quibus gratiæ a Senatu actæ: quæcumque ad illarum fortunas augendas pertinerent, summæ sibi curæ futura semper pollicitus est. Ad hæc autem quod egregiam erga Rempublicam fidem, atque operam Franciscus Maria, Metaurensium Dux, summus militiæ Præfectus, præstitisset, in eoque omnes imperatoriæ virtutes cumulatæ viderentur, quas fortunæ vicissitudine jactatus, domesticis sibi, externisque præclaris gestis comparaverat; maximum præterea, non modo apud Senatum, verum etiam apud omnes civitatis ordines favorem & gratiam iniisset, de suprema imperatoris exercitus dignitate illi tribuenda a Patribus actum est; cum præcipue plurima accederent, quæ non parum illi ad amplissimam consequendam dignitatem favere viderentur: ditiones imperio illius subjectæ ad læva Adriatici maris littora sitæ, quæ e regione Dalmatiæ Veneto obtemperanti respondent, haud mediocri usui Reipublicæ futuræ: nam frumenti maxime ferax ea pars Italiæ est, hominesque ad bella aptos gignit, ut commeatus, & milites momento præstare possit; quæ ad urbes, atque oppida Dalmatiæ tuenda magnum adjumentum afferre poterant. His de causis Senatus imperatoria Metaurensem dignitate insignivit; iis conditionibus adjectis, ut trecentos ac vigintiquinque cataphractos, ducentos leviores equites in usus belli aleret: annuum illi stipendium octuaginta aureorum millia persolverentur, quorum quinquaginta in cataphractos, tri-

1524 ginta millia in leviores equites impenderet : ad hæc quinque illi aureorum millia ære publico penderentur ; eaque omnia decora, ac privilegia, quæ terrestrium copiarum imperatoribus deferri solent, attributa sunt.

Nam vetere Reipublicæ instituto inolevit ; ut, quemadmodum navalium armorum suprema auctoritas penes patricios semper esset, qui, toga deposita, atque arma induti proprio milite, atque indigenarum maritima peritia ingentia facinora edidere, imperiique Veneti fines in Orientis longinqua loca propagavere ; ita quæ ad terrestres pugnas tractandas spectant, exterorum ducum, quorum spectata in Rempublicam fides atque eximia virtus præclaris bellicis actionibus emineret, imperio, fidei, atque curæ committerentur. Cujus consilii rationes eas plerique retulerunt, ut Veneti, qui pacem inter cives, concordiamque semper summo studio aluissent, quieti publicæ perperam consultum existimaverint, civibus tantum auctoritatis impertiri ; exercitus subjicere ; summæ omnium rerum præficere ; ne dominandi assuetudine transversi clientelis, atque amicitiis nixi, popularique aura suffulti, opibus, atque imperio in publicam aliquando perniciem abuterentur. Usu namque compertum fuisse, ab iis respublicas sæpe labefactatas, ac pessumdatas, qui magnam auctoritatem nacti, civiumque privatas fortunas supergressi, sibi ad arripiendam dominationem gradus struxere. Romanorum exempla documento esse, qui cum exercituum imperatoribus Rempublicam permisissent, ii totis viribus ad dominandi libidinem, non ad imperii incrementa usi, patriam sanguine civili fœdatam, ac domesticarum tempestatum fluctibus obrutam, suis parere consiliis, ac nutibus coegere : quocirca nihil mirandum, si Veneti mortalium omnium publicæ libertatis studiosissimi, moderata imperia civibus tribuere, maritimaque gloria contenti terrestres copias exteris Ducibus subjecere. Verum non defuere, qui verius fortasse universam hujusce instituti rationem non alio, quam ad tempestatum illarum statum referendam duxere, quo in Italia complures Principes, Respublicæ, ac Reguli imperabant ; quique vel amplitudine familiæ illustres, vel militari disciplina clari erant, affinitatibus, clientelis atque amicitiis fulti quoscumque manu promptos, atque inge-

nio

nio ad militiæ munera obeunda idoneos existimarent, ad se trahebant, ut in eorum manibus quidquid, vel peditum, vel equitum roboris erat, reponeretur. Hos Principes, ac Respublicæ summa vi auri illectos, annuisque stipendiis obstrictos copiis præficiebant: illorum ductu, atque auspiciis limites non modo tuebantur, verum aliquando provehebant: inde Picinini, Sfortiæ, Fortebraccii, Carmaniolæ fluxere, qui egregie militiæ muneribus functi memoriam in omnem posteritatem propagarunt, humilique loco, abjectis parentibus orti, virtute sibi ad summos honores, atque imperia gradum fecere. In ea tempora cum Respublica Veneta incidisset, ubi terrestre imperium laudi maritimæ adjunxit, a procerum rerumque publicarum, quæ tunc in Italia florebant, exemplis non abhorrens, gravissima bella exterorum Ducum auspiciis gessit: cum interea, quæ ad classes, bellicosque maris apparatus, totamque navalem rem spectarent, civium virtute, ac disciplina administrarentur, quam, veluti propriam, cum Republica ortam, atque ab illius incunabulis exceptam majores nostri per varias temporum successiones posteris transmisere, nullamque maris oram, vel procellis infestam, vel piratis infamem, formidandam uspiam censuerunt: opes, atque imperium a parvis initiis ad summam amplitudinem perduxere. Neque vero dubium videtur, ita si tempestates tulissent, quin plurimi bellica virtute, rerumque gestarum fama noti cives terrestribus pugnis præesse, neque minoribus terra, quam mari præclaris facinoribus Rempublicam illustrare potuerint. Verum ea, quæ arduis rerum maritimarum casibus, periculis, ac laboribus probata virtus enituit, ad continentis imperium adipiscendum, aut augendum Veneti minime utendum rati, a veteri instituto nunquam recessere, neque decursu temporum confirmatum immutari voluerunt. Quo fit, ut vani illi metus penitus a Venetorum magnanimitate alieni existimandi sint, quibus plerique permotos exteris magis, quam civibus terrestres copias committere solitos fuisse sibi persuaserunt; cum ingentes classes milite refertas eisdem tradiderint, atque in triumphi morem e præliis redeuntes in civitatis sinum hostium manubiis onustos exceperint. Verum, ut ad institutum revertar, Metaurensium Duce imperatore declarato, Joanni Fulgo- 1524

1524 ſio Genuenſi, qui principatum in patria adeptus antea fuerat, centum cataphractorum equitum præfectura a Senatu tributa eſt; horum quinquaginta ſub Alexandro; totidem ſub Cæſare fratribus ſtipendia publica mererent. Aloyſius Gonzaga Rodulfi filius militiæ Venetæ eſt aſcriptus, annuum ſtipendium pacis tempore ſexcenti aurei, bello mille decretum, quo centum cataphractis, aut ducentis levioris armaturæ equitibus Reipublicæ militaret.

*Oſtrovizza a Turcis occupata.*

Hoc anno de munienda Jadera urbe, quæ Illyrici caput eſt, variis conſultationibus in Senatu agitatum; cum Suleimanus Turcarum Imperator poſt Albam Græcam in Pannonia occupatam, novis in dies oppidorum acceſſionibus imperii ſui fines late propagaret, ac nuper Oſtrovizzam ſibi adjeciſſet, quod oppidum, a Laurana in agro Jaderenſi poſita haud longe diſtat, propinquitatemque ferocis, ac potentiſſimæ gentis provinciæ pertimeſcendam Senatus cenſeret. Nam terminatur Illyricum a ſeptentrionali plaga Pannoniis; a meridionali vero Adriatico ſinu; ab occaſu Iſtria; ad orientem ſolem Mœſia, linea, quæ a Savi fluminis diverticulo ducta juxta Scardum montem protenta, Liburniam ab Epirotis diſterminat. Urbium, atque oppidorum numero, incolarum frequentia, ac ferocia, frugum ubertate, ſinuum, ac portuum varietate, quibus univerſa ora maritima diſtinguitur, inſignis provincia fere omnis ea tempeſtate Reipublicæ imperio continebatur. Jadera inter civitates principatum obtinebat, archiepiſcopali dignitate, agri fertilitate, & amplitudine, civium opibus, caſtellis, quorum tria, Laurana ſcilicet, Nadinum, ac Novigradum præcipua habebantur, longe ceteris anteibat; præteritiſque temporibus ſæpius cervices a Venetorum dominatu excutere auſa, ſæpius domita, at repreſſa fuit. Hanc civitatem totius Illyrici primariam majoribus præſidiis firmare, vallo, foſſa, propugnaculis munire; tum ad cives in officio continendos; tum ad hoſtes fortius ſuſtinendos Senatus decrevit: ea omnia ita præſtita fuere, ac ſubſequentibus temporibus cumulatius aucta, ut inter præcipuas Veneti imperii urbes, ſitus opportunitate, mœnium firmitate, ac propugnaculorum magnitudine merito connumerari queat.

*Jadera a Venetis munita.*

Dum hæc ſummo ſtudio geruntur, quies, quæ ſumma o-

omnium

mnium lætitia Italiæ parta videbatur, brevi labefactata, ac convulsa, majores exitiorum, ac cladium ruinas dedit. Franciscus Galliarum rex Gauserii turpi ex Italia discessu commotus, non per duces bellum gerere, sed ipse in Italiam cum ingenti exercitu ad Insubrum imperium recuperandum proficisci statuit. Ea re cum vehementer Cæsaris animus angeretur, antevertendum ratus, in Galliæ intima præcordia bellum inferre statuit, ut Regem a novis in Italia ciendis motibus revocaret; eo præsertim Caroli Borbonii consiliis, atque adhortatione ductus, quem, quod auctoritate, & opibus inter Gallicos proceres eminebat, maxime ad commovendos populos, ac res Gallorum turbandas aptum fore censeret: fieri posse, ut regno lacessito, de invadenda Italia Francisci consilia interturbaret, cœptisque, fortuna favente, Borbonii existimatione parte aliqua Galliæ potiretur: cum in primis Henrici Angliæ Regis opes accederent, qui veteribus, recentibusque injuriis Gallis infensus, cum Imperatore se jure societatis devinxerat, ut si uterque diversis e regionibus; Cæsar ex Hispania, aut inferiori Germania; Anglus a Northmanis regnum eodem tempore aggrederentur, omnia illis prospera futura sperandum videretur. Magna præmia a Cæsare Borbonio proposita; ut in avitum imperium restitueretur; Narbonensis Galliæ regio adjiceretur; regiis titulis insigniretur. In eam maritimam Galliæ oram Cæsar arma invehenda duxit, quæ portuum, ac sinuum frequentia, & amplitudine ad comparandas, atque augendas classes valde est opportuna, atque ob celeberrimum Massiliæ emporium ad negotia, quæ toto Mediterraneo exercentur, excipienda valde accommodata. 1524

*Francisci Gallorum Regis de Italica expeditione decretum.*

Borbonius itaque, ac Piscarius, quem Cæsar expeditioni præfecerat, cum quingentis cataphractis, octingentis levioribus equitibus, quatuor Hispanorum, trium Italorum, quinque Germanorum millibus peditum Nicæam proficiscuntur: & licet neque terra tantæ rei perficiendæ vires pares essent; mari vero regia classis Cæsaream, cui Hugo Moncata præerat, superaret; omnia tamen Imperatoris decretum, & Caroli Borbonii constantia vicit. Cum exercitu Provinciam ingressi Taurentiæ turrim ( hodie *Tolonem* vocant ) quæ portui imminet, expugnant. Aquæ Sextiæ urbs regionis primaria ultro in Cæsa-

*Cæsareani in Galliam bellum inferunt.*

*Tolone a Cæsareanis capta.*

1524 *Aquensium deditio.* ſareanorum poteſtatem venit. Illius auctoritatem alia minora oppida, nullo obſiſtente, ſequuntur; cum enim quas hoſtibus opponeret juſtas copias in agris rex non haberet, præfecti intra urbium, oppidorumque mœnia continere milites, quam dubiam martis fortunam experiri malebant, donec rex, cui Cæſareanorum in Galliam ingreſſus valde inopinatus acciderat, exercitum inſtruere, Germaniſque & Helvetiis firmare poſſet. Animis inde auctus Borbonius auctor erat, ut Rhodano amne trajecto, in intima Galliæ loca exercitus duceretur; Rege imparato, pecunia laborante, ſuis copiis haud ſatis fidente, externis ſubſidiis nudato, aditum ad tutam, peramplamque de hoſte victoriam reportandam patefieri. Vicit tamen Piſcarii, *Cæſareani Maſſiliam aggrediuntur.* Hiſpanorumque militum ſententia, qui Maſſiliam oppugnandam cenſebant, opportunitate loci adducti, qui ad Gallias ſubigendas, atque ad Italiam invadendam alliceret. Univerſis itaque copiis urbem aggrediuntur; diſpoſitis tormentis mœnia quatere; cuniculis occultos in civitatem aditus moliri; nihil non experiri, ut perampla, nobilique Galliarum urbe potirentur. Verum irrito cuncta conatu ceſſere; nam murorum fir- *Maſſilia a Rentio Cerite propugnatur.* mitudo, militum virtus, Rentii Ceritis, cui ex Italia in Galliam profecto civitatis tuendæ munus mandatum fuerat, præſtans rerum militarium uſus, incolarum erga Regem incredibilis amor, in hoſtes acre odium, fortiſſimo munimento erant. His certa auxiliorum ſpes accedebat, quæ mari, terraque magno ſtudio comparari certis nuntiis afferebatur; cum rex Avinionem profectus ingentes copias undique colligeret. Cæſareanis, neque pecunia in promptu erat, neque Anglus Northmandiæ bellum intulerat, neque Cæſar ab Hiſpaniæ finibus in Galliam irrumpere potuerat. Itaque cum quadraginta dies in Maſſilienſi expugnatione contrivissent, tandem re deſperata, exercitu amoto, diſceſſere, & quammaximis itineribus poterant in Italiam contendere, minoribus tormentis in fruſtra comminutis, mulorumque dorſis impoſitis; majoribus, quia propter Alpium confragoſa itinera duci non poterant, Genuam navibus comportatis.

Galliarum rex Mediolanenſis ditionis recuperandæ opportunitatem adveniſſe arbitratus, ſi maximis, quas collegerat, copiis recta in Italiam proficiſceretur, dum hoſtes improſpero

Maſ-

Massiliæ eventu animos demisissent, Helvetiorum peditum sex 1524
millibus, totidem Germanorum numero, ex Italia, Galliaque decem millibus delectis militibus, cataphractis equitibus ad duo millia, paribusque levioris armaturæ equitibus stipatus incredibili celeritate in Italiam contendit. Ferunt itineri accincto Ludovicam matrem significasse, antequam Alpes trajiceret, convenire se illum, & colloqui cupere; Regem licet omnibus pietatis officiis matrem in omni vita coluisset, veritum, ne muliebri affectu mentem nulla re immutandam flecteret, illius colloquium renuisse. Itaque Franciscus, per Alpes Cottias arrepto itinere, per Salassiorum fines progressus, eadem die prima cum acie Vercellas, qua etiam Davalus Albam cum equitibus, atque Hispanis peditibus pervenit, Germanis insequentibus, mox Borbonio Duce: postridie Davalus Alba ad vicum Iriæ juxta Padum profectus: proxima luce suas copias Ticini cum Prorege conjunxit. Tam inexpectato, celerique Regis in Italiam adventu perculsi Lanojus, Borbonius, ac Davalus, de bello administrando consiliis statim initis, Mediolanum robur exercitus traducere, Ticinum valido militum præsidio munire statuunt. Illi tuendo Antonium Levam cum trecentis cataphractis, ac quinque fere Germanorum peditum millibus præficiunt: cum reliquis ipsi copiis Mediolanum contendunt; Sfortiæ, qui Pisleoni erat, significant, ut nulla mora interjecta eodem conveniat. Verum eo in statu civitatem offenderunt, ut adversus ingentes Regis conatus defendere se illam posse diffiderent: pestilentia, quæ tota æstate sævierat, urbe deformata, summa frumenti, rerumque omnium inopia laborante. Ad hæc vero, cum mœnia, aggeres, propugnacula fere solo æquata essent, neque præ temporis angustia fossores, atque opifices ad ea reficienda vocari, aut comparari possent; Gallique cis Ticinum castrametari ab exploratoribus nuntiarentur; satius esse duxere, spe ad meliora tempora servata, fortunæ, ac felicitati hostium cedere. Quocirca edicitur, ut copiarum duces in crastinum parati copias in promptu habeant. Interea vero Franciscus Sfortia, qui cum suis Ticino movens vix duo passuum millia confecerat, a Ferdinando Castriota, tormentorum machinarumque ductore, de Gallorum cis amnem Ticinum transitu admonitus, veritus, ne sibi aliquid

*Francisci Galliarum Regis in Italiam adventus.*

*Mediolanensis pestilentia.*

1524 quid detrimenti in itinere accideret, consilio mutato, Ticinum revertitur.

Galli, qui victoriam in celeritate reposuerant, instructa acie ad urbem propius accedunt. Cæsareani commeatus quam maximam copiam possunt in arcem invehi jubent; Mediolano egressi Laudensi via proficiscuntur: vix Romana porta exierant, cum per Ticinensem, & Vercellensem Galli ingressi incruenta victoria Mediolano potiti sunt. Constans fuit opinio, ingentem eo die Gallos oblatam rei egregie gerendæ occasionem deseruisse, vehementiorique Mediolani urbis desiderio integra victoriæ laude privatos esse; qui si eodem animi ardore redeuntes ex Provincia Cæsareanos insequuti fuissent, longis itineribus defatigatos, cum plerique arma abjecissent, atque equos amisissent, profligare, ac delere potuissent: ne id fieret, Regis occupandæ urbis desiderium obstitit; cum mortalium ejusmodi sit ingenium, ut si quando rerum, quas ardenti animo concupivere, compotes fiant, partis detentus animus langueat, & contabescat, ac dum præsentibus fruitur, dispicere futura, vel prævidere nequeat. Ceterum erga Mediolanenses summa Regis clementia enituit, qui nil hostile a militibus fieri passus: ipse, nisi confecto bello, intra mœnia contineri decori regio minime convenire arbitratus, ne invisere quidem civitatem voluit. Verum quo potissimum Mediolanum adeptus victorem exercitum duceret, consulto, Ticinum, in quo summum ad profligandum bellum momentum inerat, aggredi statuit, veritus, ne si a tergo relinqueretur, circumveniri ab hoste exercitus posset. Relicto igitur Mediolani quantum satis esset militum præsidio, ipse cum ceteris copiis Ticinum contendit.

Gallorum in Italiam adventu, repentina rerum mutatione Italici principes perculsi, in summa animorum perplexitate versabantur; cum maxime timerent, ne prosperis rerum eventibus elatus, ac victoria impotens Galliarum rex, Cæsareanis ex Insubrum possessione ejectis, suum ad arbitrium res Italas componere statueret; cum illi alte animo insedisse videretur injuria, quam sibi ab Italis illatam rebatur, qui vetere illius amicitia, ac fœdere relicto, Cæsari accesserant: cujus ulciscendæ, Cæsareanorum debilitatis, fractisque viribus, copiarum

rum robore, ac numero potens, occasionem nactus videbatur: 1524
nam cataphractos Gallicos ad duo, Germanorum peditum octo, Helvetiorum sex, Italorum quatuor millia habebat: præterea milites voluntarios quamplurimos, qui prædæ spe illecti quotidie ad exercitum confluebant. Cæsareani contra, neque in acie vires ostentare, neque in agris copias explicare poterant; sed intra oppidorum munimenta continere se cogebantur, ut quacumque rex vellet, vix nullo obsistente, victor excurreret. Clemens Pontifex, ut fœderi, quod anno elapso inter Hadrianum, Carolum, ac Venetos ictum fuerat, subscriberet, adduci non potuit; cum adeo se Cæsari obstringi, ut in Gallorum Regis inimicitiam incideret, minime tutum censeret; in id vero incumbebat, ut pacis inter potentissimos principes conciliandæ, vel paciscendarum induciarum ratio iniretur; quorum illud a Cæsare; hoc a Rege minime probabatur. Veneti, qui de Gallorum in Italiam adventu fama gliscente, copias augeri, septem millium peditum, equitum mille delectum haberi jusserant, Urbinatem imperatorem, ut de gerendo bello consilium caperent, Venetias advocaverant; cataphractos equites, ut in omnes rerum eventus parati essent, in Veronensium fines miserant. Cum valido exercitu Regem celerrime Alpes transgressum, Mediolanum occupasse; ingentes victoria spiritus sumpsisse; totius sibi Italiæ principatum brevi polliceri; consilia pacis aspernari intellexissent: quonam difficillimis temporibus, tot procellarum, turbinumque imminente tempestate consilia publica fluerent, summopere soliciti erant. Adversus Regem proprio milite, externisque auxiliis præpotentem, antea amicitiæ, ac fœderis nexu Reipublicæ adstrictum, nisi summo periculo arma sumi posse pecuniæ difficultate, militum paucitate, Mediolani amissione attritas Cæsareanorum vires ad obsistendum exundantibus Gallorum copiis impares videbant. Quid si rex itidem secunda afflante fortuna, Ticinum adipisceretur? aut Cæsaris Duces, desperatis rebus, spe subsidiorum abjecta, Insubribus penitus excederent? timendum esse, ne rex injuriæ persequendæ stimulis actus, fines Reipublicæ ingressus, victricia adversus illam arma convertat: ad hos bellorum impetus sustinendos impares illius vires esse: his addi Clementis erga Regem propensum animum,

*Urbinas Venetias evocatus.*

1524 mum; qui licet in neutram partem initio propendere videretur, postquam tamen Gallos Mediolano potitos persensit, ne Ecclesiæ ditiones superioribus annis diu bellis vexatas novis calamitatibus objiceret, a pacis, fœderisque cum Rege societate minime aversus esset; quippe qui cum Senatu ageret, ne Gallorum amicitiam aspernaretur, pacique publicæ consuleret; proprium illud Venetorum semper prudentiæ fuisse, pericula primum saluberrimis consiliis repellere; in ea conjectos virtute, constantiaque superare. Contra fœdera superiore anno sancte cum Imperatore icta mentes solicitabant, quibus deesse indignum eo Senatu videbatur, qui jura amicitiæ etiam dissitis gentibus, atque ab institutis, ac religione abhorrentibus servasset. His fiebat, ut difficillima, ac periculi plena ea deliberatio esset. Primum igitur Urbinate copiarum Imperatore, & Petro Pesareo, qui denuo Legatus fuerat declaratus, Venetiis discedere jussis, injunctum fuit, ut ne quid Reipublicæ civitates, oppida, agri, incolæ detrimenti paterentur, omni opera, curaque providerent; statimque Senatu convocato, dissentientibus Senatorum, qui præcipui ea tempestate erant, sententiis, disceptatur: Dominicusque Trivisanus, ac Aloysius Mocenicus, qui tunc primi ordinis Præconsultores erant, atque prudentia, & eloquentia ea tempestate florebant, magnis certaminibus e suggestu in Senatu acerrime pro utraque parte disseruere. Primum Dominicum Trivisanum, Marcium Procuratorem, ætate, rebusque pro patria terra marique gestis clarum, in hanc sententiam dixisse ferunt.

*Dominici Trivisani Procuratoris oratio.*

*Si unquam ulla in re sapientiam vestram, maximumque rerum gerendarum usum, Amplissimi Patres, in consiliis capiundis Respublica desideravit, eadem potissimum difficillimo hoc tempore a vobis suo quodam jure requirit; ut qui ex cunctis civibus propter egregiam virtutis opinionem in amplissimum Senatoriæ dignitatis gradum cooptati estis, iidem Senatorio munere, dum de rebus gravissimis decernendum est, strenue perfungamini. Non enim res hujusmodi agitur, quæ in utramvis partem propendeant consilia, parum momenti ad publicam incolumitatem allatura sit; sed hoc uno Senatusconsulto, bellumne cum potentissimo Francisco Galliarum Rege suscipiendum, atque hæc civitas, universumque imperium, quod nomini Veneto paret,*

*ret,*

*ret, quieti, ac paci sapientia vestra restitutum, in majores angustias, bellorumque procellas conjiciendum sit; quæ adeo gravia mihi videntur, ut in hoc consilio capiendo rem omnem publicam, privatamque, divitias, imperium, per tot temporum successiones auctas, exaggeratasque nobilissimæ civitatis fortunas in discrimen adduci censeam. Quis enim adeo est rerum imperitus, ac ignarus, qui nesciat statim, adversus Regem victoria exultantem arreptis armis, ditiones vestras cunctas rapinis, cædibus, incendiis, atque omnibus bellorum calamitatibus conflagraturas? Quæ tot, atque ingentia mala, si prudentia arcere, si opportunis consiliis avertere vestrum est, Patres, nescio, cur speciosa magis, quam tuta, hac temporum conditione, hoc rerum statu, amplecti velimus. At cum Cæsare superiore anno fœdus percussum est; ne Mediolani imperio excidat, decertare, cuicumque hosti ingruenti pro viribus obviam ire debemus. Utinam vero is status rerum esset, atque ita Respublica se haberet, ut ea salva, atque incolumi hæc præstare possemus: urgemur undique non imminentium modo, sed præsentium periculorum mole, ut jam non de Mediolano tuendo, verum de imperio servando, hostibusque a Reipublicæ finibus arcendis agatur; cum rex quoquo versus arma victricia prosperis successibus insolescens verterit, novas præteritis victoriis sit cumulaturus. Expectabitisne illum hostem recenti injuria infensum, illiusque vindicandæ ingenti studio incensum? at quo exercitu? quo milite? quibus viribus? exundanti hujus torrentis vi, quæ munimenta, quos aggeres objicietis, ne perfractis repagulis; undique in perniciem vestram ruat? Cæsaris res in Italia periclitantes sustinuimus; Ducibus, commeatu, copiis, pecunia adjumento fuimus; fultum nostris auxiliis Mediolanum stetit; omnia, quæ a nobis proficisci possent, abunde, & cumulate præstitimus. Nunc omnium rerum facies immutata est. Rex cum prævalido exercitu in Italiæ præcordia irrupit: nullo negotio Cæsareanis urbem, totius regionis caput, ademit: anni tempus, prospere rei gerendæ opportunitas animum jam per se anhelantem ad majora impellunt. Cæsaris exercitus, neque justo certamine cum hoste congredi, neque e mœnibus exire oppidorum potest; Ticini, Laude, Cremonæ inclusi milites impetum hostium perhorrescunt; auxilia incerta admodum, vel* 1524

*lon-*

1524 *longinqua; pecuniæ, vel ad continendos veteres, vel ad novos comparandos milites summa inopia; Cæsar in extremis Hispaniæ oris degens, neque auctoritate, neque consilio, neque viribus jam labentibus, ac cito casuris rebus præsto esse potest. Quid igitur? nos, qui undique bellorum incendiis circumfundimur, armis Gallorum circumcingimur, propriæ salutis obliviscemur? atque, ut Cæsaris res ruentes sustineamus, nos in malorum omnium barathrum, certamque perniciem conjiciemus? Id non virtus arduis in rebus a vobis semper testata; non prudentia; non venerandi istius toto orbe Senatus canities timere nos sinit. Nautæ profecto medio in mari fluctibus, ac procellis jactati, portum, quem recta tenere nequeunt, ventis obsecundando, tempestatibus obsequendo, cursum flectendo, sæpe assequuntur; ita viri sapientes, atque ii, qui in rebuspublicis, imperiisque regendis floruere, consilia nonnunquam temporum rationibus accommodando, patriam e summis periculis eripuere. Exemplo, atque argumento nobis sit Clemens Pontifex Maximus, vir exactæ prudentiæ, atque in maximis gerendarum rerum curis innutritus, qui cum primum Pontificatus gubernacula suscepisset, medium se inter Imperatorem, regemque constituit, atque ut potentissimos principes in exitium Christianæ Reipublicæ dissidentes, restinctis odiis, conciliaret, enixe laboravit; cumque illorum animos a pacis studiis aversos intelligeret, Regem faucibus Italiæ hærentem ingens moliri bellum inspiceret; non exasperandum, sed officiis, benevolentiæque significationibus alliciendum, mulcendumque duxit. Modo vero cum eo, jam Mediolani potito, de fœdere sanciendo agere incepit. Ea res si ad exitum perducitur, Pontifex autem, & rex Galliæ, Republica prætermissa, consentiant; quos vobis Italos Principes amicitia devincietis? Florentinosne, qui Pontificis auctoritatem sequuntur? an Duces, qui neque viribus, neque auctoritate pollent; immo clientelis, & patrocinio aliorum nituntur? Ad mensem jam videre videor, Gallum, nullo contradicente, toti Italiæ fræna injicere, illamque pro arbitrio moderari: in nostros fines irrumpere: cuncta ferro, sanguine, incendiis, rapinis deformare. Contra vero si illius, quæ ultro a vobis petitur, amicitiam amplectimini, ad quam a Pontifice adhortamini, ab ipso Rege invitamini, omnia tu-*

*ta,*

*ta, tranquilla, felicia nobis polliceri possumus*. Ad hæc Aloysium Mocenicum ita respondisse ferunt. 1524

*Qui de rebus gravissimis statuunt, eos ab omni spe, metu, ira, odio, ceterisque humani animi perturbationibus vacuos, ac liberos esse decet; ne, si rationis loco, quam agendorum omnium regulam sane præstantissimam a Deo optimo maximo accepimus, animi motus sæpe illi adversos in consilium vocemus, recti specie decepti ea decreta amplectamur, quæ sæpe Respublicas cum ignominiæ nota maximis objectas periculis aliquando pessum dedere. Quod utique in consilio de tantis rebus capiendo ne vobis accideret, verendum fortasse esset; nisi vestra constantia, Patres Amplissimi, arduis Reipublicæ temporibus, non huic modo civitati, sed Italiæ, atque universo orbi perspecta omnem mihi penitus hanc dubitationem ex animo eximeret. Quis enim, dum ex hoc loco summa auctoritate, & eloquentia amplissimum Virum disserentem audivit; potius trepidatione, metu, terrore suadere vobis Gallorum amicitiam, quam ratione, aut præteritarum rerum exemplis non animadvertit? quasi vero larvis, ac terriculis majorum exempla, vestra instituta non maxime præponderent. Nemo sane ignorat, qua fide, integritate, constantia sanctissimi illi viri, qui nobis florentissimam istam Rempublicam, atque imperium, veluti per manus tradidere, societates, fœderaque coluerint; ut sæpe sociorum causa gravissima bella susceperint: non pericula, impetus hostium, cædes reformidarint: quo effectum est, ut summi Reges, ac nationes amicitiam vestram concupiverint; inde Venetum nomen usque ad extremas orbis regiones protentum immortalem gloriam huic Reipublicæ, ac peramplum imperium pepererit. Tot egregia decora a majoribus nostris parta, ut hoc uno Senatusconsulto obscurare velitis, auctor vobis est Trivisanus; dum, ut pacti superiori anno cum Cæsare fœderis obliviscamini, Galliarum Regis societatem amplectamini, eximia dicendi vi, & copia enixe contendit. Quoniam vero illud summopere ab institutis vestris abhorrere novit, ut nulla causa permoti societates, ac fœdera sanctissime icta, & confirmata dirimatis, atque convellatis, eo disputando orationem flectit; Gallos Mediolano potiri, viribus pollere, Regem quacumque velit armis sibi sternere iter posse, Ticinum bre-*

Aloysii Mocenici oratio.

1524 *vi in suam potestatem redacturum, res nostras eo loco esse, ut, nisi fœdere cum Gallis inito, nulla nobis spes reliqua sit. Quæ omnia si ita se haberent, ut Trivisanus disseruit; constantiæ tamen, ac dignitatis vestræ esset, omnia prius experiri, nihil prætermittere, antequam ab oppigneratæ fidei vestræ testimoniis recederetis, sponsiones, ac pacta infringeretis. Verum non ea est rerum conditio, ut ad extrema quæque non evitandæ necessitatis remedia confugiendum sit, ut præcipites in Gallorum amicitiam nullo consilio, nulla re urgente proruamus. Nam quid rei est, cur copiis, & Ducibus Cæsaris parum fidamus? prælione sunt victi? an magna pars exercitus deleta? an forte nulla auxiliis, copiisque augendis spes relicta? Integer exercitus; strenui, atque obstinati Duces; subsidia undique accersuntur. At vero a Gallis ensibus vagina reconditis Mediolanum in potestatem redactum; Cæsareani omnes in fugam versi. Primum quæ illius civitatis conditio hoc tempore fuerit, nemo non novit: pestilentia absumptos cives: urbem desertam, cunctarum rerum inopia laborantem: diruta mœnia: prostratos aggeres, ut ne minimum quidem pristini roboris, atque amplitudinis retineat. Deinde non fuga arrepta, ut fertur, Cæsareani a Mediolano recessere; quinimo mature habito inter prudentes, atque bellis administrandis assuetos Duces consilio, cum satius esse duxerint, peramplam civitatem, quam tueri non sine maxima difficultate possent, hosti permittere, quam robur copiarum in illa defendenda summis periculis objectare; Ticino, Alexandria, Cremona militum præsidiis firmatis, donec externo milite exercitu aucto, ad decertandum acie cum hoste pares sint. Quis enim sibi persuadeat, Cæsarem, qui amplissimum in Italia imperium, tot impensis, laboribus, ac sanguine partum possideat, curam illius, vel retinendi, vel recuperandi abjicere omnem velle? Non hoc præterita egregia facta; non mens; non ætas; non ardor, atque impetus illi insidens ad gloriam; non imperatoriæ dignitatis apex persuadent. Ex Germania, Hispania, & ceteris, quæ nomini Austriaco parent, copias in Italiam mittet, omni ope, studio, conatu de Insubrum imperio cum Rege certaturus. Quæ si contingant, quid, spreta illius amicitia; quid, contempto fœdere, tunc vobis agendum erit? cum amicos longe, ho-*

*stes*

*stes prope, atque in sinu, ut ita dicam, habuerimus? At Pontifex, qui auctoritate plurimum valet, atque in utramvis partem pendeat, summum ad victoriam consequendam momentum affert, amicitiam Regis complectitur; de paciscendis cum illo fœderibus agit; vos hortatur, rogat, ne a suis diversa consilia ineatis. Facit sane Clemens, quod e re sua fore existimat; Cæsari, nulla pactorum conditione obstringitur; semper Gallis insita quadam patriæ propensione favit: nos Cæsari ex fœdere obstricti, neutri parti unquam addicti fuimus; amicitias publica utilitate, dignitateque metimur; neque Pontificis cohortationes apud nos majus pondus habere debent, quam commoda, ornamentaque Reipublicæ patiantur; cum idem Pontifex si aliquo minus fausto eventu (ut in bellis plerumque solet) Gallorum victoriam in dubium vocari senserit, qua facilitate modo Gallis; eadem tunc Cæsareanis adhæsurus sit. Vos vero, Patres sapientissimi, qui animi moderationis, constantiæque singularis apud omnes gentes laudem tulistis, videte, ne tam præpropera cum Gallo societas ex levitate potius animi, quam ex eodem moderationis, ac constantiæ fonte fluxisse videatur; cum præsertim Gallorum Regem nullo unquam tempore amicitiam vestram aspernaturum certum sit, nullum majus in Mediolanensi imperio retinendo firmamentum, quam amicitiam, societatemque vestram habiturum.* 1524

Ob diversas Senatorum sententias eo die nihil a Senatu decerni potuit: quatriduo post eodem coacto, cum recentia Pontificis officia, quibus Patres ad Gallorum amicitiam trahere conabatur, accessissent, eorumque vires incrementa quotidie sumerent, Collegii Patres Marco Foscaro, apud Pontificem oratori, ita scribendum, mandandumque esse censuerunt, & iiij. kal. novembris ad Senatum retulere: Pontificem adiret; miram illius prudentiam, vigilantiam, qua pro communi reipublicæ Christianæ salute excubaret, Senatus nomine quam maximis posset laudibus extolleret: ab illius consiliis nunquam alienum, aut aversum fore, totum hoc grave negotium in ejus auctoritate, consilio, voluntateque reponere, quem, ut summum in terris locum obtinentem decet, publicæ incolumitatis custodem, ac vindicem haud dubiis argumentis perspexerit. In hujuscemodi Senatusconsultum, Zacharia Bembo conti-

1524 nentis Præconsultore licet magna dicendi vi, atque impetu animi contradicente, frequentes Senatores ivere. Sequenti vero die ex Foscari literis acceptum est, Joannem Matthæum Gibertum omnium Clementis consiliorum participem, qui Datarii munere fungebatur, citatis equis ad Regem ab eo missum, ut de fœdere sanciendo ageret.

Cæsareani interea Duces, ut Ticinum fortiter adversus Gallos propugnarent, nihil prætermittunt: annonam omnis generis in urbem convehunt: stationes militum disponunt: molas frumentarias parant: pecuniam undique conquirunt: selectos fide, & solertia viros in Germaniam ad novos illius gentis delectus habendos mittunt. Ferdinando Davalo injungunt, ut Hispano milite Laudem in fide contineat, magnum in ea urbe momentum ad bellum esse, quod Abdua flumine, quo illius mœnia alluuntur, ad colligendas copias esset opportuna, eaque ab hostibus occupata, Ticino Germanorum supplemento subveniri non posset, omnisque trans Abduam ora cum Cremonensi agro in hostes foret concessura. Gallorum rex eorum omnium, quæ ad Ticini expugnationem necessaria essent, nihil prætermittebat; ac v. kal. novembris urbem aggressus ad Carthusianorum ædes quinque a Ticino passuum millibus castra locat, quæ dum propius admoventur, levioribus certaminibus propugnatorum virtutis periculum facit; mox disposito circa urbem exercitu, aptatis tormentis, biduum ab oriente, & occidente mœnia continenter quatiuntur; quorum ingenti impetu, ac vi nonnullis in locis diruta, ac prostrata, aditum in urbem patefecerant. Rex milites fossas transilire, & per murorum ruinas ordinata acie conscendere jubet. Gallorum virtuti, & audaciæ acriter Germani, Hispani, atque oppidani obsistunt; utrinque compluribus cæsis, Galli repelluntur. Irrito eventu ingressu urbis tentato, ad operas vinearum, aggerum, propugnaculorum, cuniculorumque divertit; quæ cum absque temporis mora ad exitum perduci non possent, ac nulla re propugnatorum constantiam imminui animadverteret, cunctationis impatiens, Ticinum amnem in duo distractum cornua; alterum civitatis mœnia alluens, prœaltis, latisque aggeribus divertere ab urbe, atque uno, eodemque alveo deducere parat, ut ex ea parte urbem

tur-

turribus, & propugnaculis nudatam, ac profunditate tantum 1524
aquarum tutam, feliciori successu adoriatur. Sed incredibili prope hominum multitudine opere inchoato, immensisque in eo perficiendo exhaustis pecuniis, cum repente pluviæ incidissent, aquarum insueta, ac vehementiori copia irriti conatus cessere.

Quapropter, neque vi, neque operibus Ticinum expugnari posse Galliarum rex expertus, obsidione civitatem premere, tum ad rerum omnium inopiam redactam compellere ad deditionem statuit. Quæ cum brevi temporis intervallo perfici non possent, duriorem, atque animo conceperat, urbis expugnationem Pontifex fore arbitratus, animi anceps, variis agitatus curis, quidnam potissimum tanta in re agendum esset, mente volutabat, totumque belli exitum ex Ticinensi oppugnatione pendere ratus, nihil undequaque tutum sibi decernere posse videbatur: defenso a Cæsareanis Ticino, Gallorum impetum retundi, vincique illos posse: urbe a Rege vi, aut deditione recepta, reliquam Insubrum ditionem statim in illius potestatem concessuram, ac reliquias Cæsareanorum exercitus brevi confectum iri. His fiebat, ut in Clemente pristinus ille ardor, quo cum Rege amicitia, ac fœdere jungi concupiverat, paulatim languesceret, & restingueretur, consiliumque a Ticinensis expugnationis exitu petendum censeret. Eam rem vocato ad se Reipublicæ oratori secreto aperuit. *Summa*, inquit, *prudentia hac tempestate, dum maximarum rerum momenta in ancipiti sunt, utendum, cunctatione opus esse, ne ex festinatis consiliis omnia in summa pericula prolabantur; proinde sibi constitutum esse, nihil hoc rerum statu certi decernere; si Ticinum Cæsareani tuerentur, fœderi cum Rege ineundo moras nectere: contra si urbe Gallus potiatur, statim cum Rege societatem, fœdusque inire, & a Cæsaris Ducibus flagitare, ut penitus Insubrum imperium Gallo cederent; abnuentibus, illico bellum illaturum: cupere, quæ mens Patrum hac in re sit, intelligere*. Foscari literis, ut moris est, in Senatu perlectis, variæ fuere sententiæ; nonnullis consilium Pontificis probabatur, rescribendumque censebant, Ticino expugnato, statim cum Rege societatem ineundam. Aloysio vero Mocenico consilii Sapienti, licet Ticinum in Regis pote-

1524 ſtatem perveniret, nihil tamen, niſi denuo conſulto Senatu, fieri placebat. *Quid enim ſi Cæſareani, Ticino amiſſo, adhuc milites ſub ſignis continerent, atque haud diſpares viribus, juſto prælio cum hoſte congredi vellent? quid ſi Gallus multa cum cæde, ac ſanguine urbe potiretur? Temporis momento dubios humanarum rerum caſus verti; plurimum fortunam in bellis poſſe; quocirca nihil incerto eventui committendum, neque aliquid abſque Patrum conſenſu in re tanta perficiendum.* Qui alterius erant ſententiæ, *ſummopere cavendum eſſe*, ajebant, *ne ambiguo reſponſo Pontifex turbatus, atque in hac rerum fluctuatione incertus, Reipublicæ conſilia ſuſpecta, amicitiam parum fidam opinaretur, ſeparatimque ab ea conſilia caperet, quo nil periculoſius, nil durius hoc tempore accidere poſſe: ut contra nil ſalubrius, & conducibilius, quam communia conſilia, communem mentem cum Pontifice habere: nulli dubium eſſe, quin de toto belli eventu ex Ticinenſi obſidione conjectari poſſit; unde non modo Galliæ Ciſalpinæ, verum etiam totius Italiæ res pendere neceſſe ſit.* Verum cum in neutram ſententiam Senatores iviſſent, Hieronymi Peſarei conſilium audivit, ac probavit Senatus. Is neque Pontificis animum in ſuſpicionem adducendum, neque ſtatim Ticino occupato, fœderis conditiones amplectendas, quæ extremæ erant ſententiæ, cenſebat: facile id aſſequi poſſe, ſi Foſcarus Clementi ob oculos poneret, auctas ſenis Germanorum peditum millibus Cæſareanorum copias, comparatam ducentum quinquaginta aureorum millium pecuniam, Hiſpanorum militum auxilia, quæ propediem in Italiam ventura fama vulgaverat. Quid ſi Ticini expugnatio multo ſanguine, cæde, detrimento Gallis conſtet? tunc (niſi importuna celeritate utendo, nimis anxii de Gallorum ſocietate videamur) majori certe cum utilitate, ac dignitate totam rem tranſigi poſſe: neque vero hæc ea de cauſa dici, ut quidquam de illius egregia prudentia, & virtute ambigatur; ſed, ut ad præſtandam ſingularem animi gravitatem, ac moderationem, qua mirifice excelleret, eo magis inflammaretur; Senatum nunquam ab illius conſiliis, ac voluntate alienum fore. Eodem fere tempore Prorex Carolum Aragonium, Franciſcus Sfortia Equitem Bilium, Venetias miſere, qui Patrum Collegium ingreſſi, voce, & ſcriptis in hanc ſententiam ſunt loquuti.

*Carolus Aragonius & Eques Bilius a Prorege & Sfortia ad Venetos miſſi. Oratorum Aragonii, & Bilii oratio.*

Ni-

*Nihil unquam Cæsareæ, Catholicæque Majestati æque animo hæsisse, quam Italiam per multos annos gravissimis bellorum incendiis conflagrantem pristinæ dignitati, ac tranquillitati restituere: itaque cum primum ad Imperatoriæ dignitatis fastigium evectus est, hac in re omnes suæ potentiæ, amplissimorumque regnorum vires, ac nervos contulisse: idcirco ut Franciscum Sfortiam cognatum suum superioribus mensibus bello a Gallis petitum in imperio Mediolanensi retineret, nullis sumptibus, nullis laboribus pepercisse: Gallorum gentem hujus provinciæ subigendæ cupidam, a pacis consiliis semper aversam, a cervicibus Italiæ repulisse: duos summi nominis Duces, Lautrechium, & Gauferium cum copiis pene deletis, ut se in Gallias reciperent, coegisse: scire, ac testari Proregem, optimam, atque egregia Imperatoris mentem; quæ ad se non spectarent, non modo non occupasse; sed ne concupivisse quidem, neque cogitasse: id sane pro communi salute summis votis exoptasse, ut omnes suis contenti, quiete, atque otio fruerentur. Huic tam humano generi præstabili voluntati unum Franciscum Galliarum Regem reluctari, qui ambitione, insitaque sibi inexplebili regnandi cupiditate nihil non moliatur, ac tertium fortunæ aleam in hac provincia experiri velit, si forte illius partem aliquam occupare, atque ad se rapere queat, humanis, divinisque haud quaquam parsurus. Hisce ausis, & conatibus pro Cæsaris dignitate, pro Italiæ incolumitate Proregi obsistere statutum esse, ac propediem exercitu decem Germanorum peditum millium adventante in aciem exire, cum Rege, aut ad Ticinum, aut quocumque Senatui libuerit certaturum: proinde a Republica, quæ amicitia, & fœdere Cæsari adstricta esset, petere, ac flagitare, ut pedestribus, equestribusque copiis cum Cæsaris exercitu conjunctis, pulso ex Italia Rege nobilissimam provinciam a Gallorum dominatione eriperet: certam victoriam polliceri: exercitum neque virtute, neque numero cum hostibus conferendum; Hispanos milites ad sex mille cum Davalo, cum Prorege, & Carolo Borbonio quatuor Italorum millia esse; Novocomi in præsidiis mille, Alexandriæ duo peditum millia contineri; Ticini quinque Germanorum millia, quingentos Italos, Hispanos totidem reperiri: his accedere mille quingentos cataphractos, in iis quingentos* 1524

H 4 Se-

1524 *Sequanos numerari, leviores equites mille, præter decem Germanorum peditum millia, qui jam Alpes superassent, atque in Cisalpinæ Galliæ plana descenderent. His si Reipublicæ copiæ accederent, quis jam animo cumulatæ victoriæ gloriam præripere vereatur? Quapropter pro amicitia, pro fœdere superiore anno cum Cæsare percusso; pro Francisci Sfortiæ incolumitate, qui semper addictissimus Veneto nomini fuerat; pro Reipublicæ Venetæ gloria petere, hortari, orare, ut statim ea de re Senatus decernat, ne mora tempus terendo eximiæ rerum optime gerendarum occasiones præterlabantur.*

*Franciscus rex Neapolitanos invadere statuit.*

Dum in re tam gravi anceps Senatus cunctatione utitur, ex novarum rerum successibus novæ in nutante Pontificis mente cogitationes oboriuntur. Nam rex, ubi spei a se de Ticino celerrime occupando conceptæ exitum nunquam respondere animadvertit, copiarum partem ad Neapolitanum regnum invadendum mittere statuit; duorum alterum fore ratus; aut Proregem, ut suæ fidei commissum Neapolitanum regnum tueretur, Insubribus relictis, eo statim cum majori, validiorique copiarum parte convolaturum; aut, illo absente, copiis fere omnibus exutos Neapolitanos ægre suorum impetum laturos. Joanni itaque Scoto, Albaniæ Duci, id onus a Rege imponitur; ut sexcentis levioris armaturæ equitibus, ducentis cataphractis, quatuor Italorum peditum millibus ex universis copiis delectis, Apennini jugis superatis, in Neapolitanos impetum faciat. Rentio Ceriti mandat, ut iis militibus, quos ad classem, quæ adhuc in Herculis portu detinebatur, ducebat, præsto esset: complures ex Ursina familia adfuturos, quæ Gallicæ factioni semper studuerat; iis, ut in agro Romano quatuor peditum millium delectum haberent Franciscus jusserat. Quæ res Pontificis animum nil tale suspicantem vehementer perculere; angebatur, quod Gallorum exercitus per suos fines iter facturus esset. Ducum consilia, militum insolentiam pertimescebat; regno Neapolitano Regem potiri æquo animo pati non poterat. Si transitum Gallis per pontificios fines permitteret, Cæsarem illum pro hoste habiturum; sin vero renueret, Regis offensam subiturum; utroque bellum in fines illius allici; nec sine magno Italiæ discrimine Regem evehi: in clientela Ecclesiæ Neapolitanum regnum esse; benefi-

cia-

ciarium illius Cæsarem, qui nuper a Leone Neapolitanorum 1524
rex declaratus fuerit: se invito, atque inconsulto nil hujusmodi Regem moliri oportere. Omni itaque studio ab hac sententia illum avertere contendit; nondum perfecta Mediolanensi expeditione, Neapolitanum regnum invadere, periculi rem plenam esse; sejunctas copias, neque in Insubribus, neque Neapoli onus belli sustinere posse; Cæsareanos pecunia, recentibusque auxiliis auctos, in Gallia Cisalpina superiores futuros; magnam Italiæ partem, antequam in Neapolitanum regnum perveniat, emetiri exercitum oportere; interea classe milites, auxilia, ceteraque ad illius defensionem convehi posse. His pollicitationes adjiciebat, ut Mediolanensi ditione rex potiretur, omni ope enixurum.

Dum hæc cum Rege ageret, Carolo pollicebatur, Gallos se nunquam Neapolitano regno potiri passurum; cunctis viribus illi adfuturum. Hoc pacto Principum spes alere, utrisque amicum, & gratum se reddere; atque, ut se ab implicita, & involuta consiliorum ratione explicaret, de concordia inter Regem, atque Imperatorem concilianda multa mente agitare. Id vero se consequi posse arbitrabatur, si Regi Insubres, Cæsari Neapolitani parerent, Franciscus Sfortia in Cardinalium Collegium cooptaretur, atque illi viginti aureorum millia singulis annis persolverentur. Hæc Marco Foscaro exponit: addit singula Sinuessano Duci Caroli Legato, ac Proregi significaturum; qui si cedere Insubribus velint, statim ad pacis conditiones venturum; si abnuant, bellum quoque indicturum; si eadem mente Veneti fuerint, eandemque fortunæ aleam subire velint, eodem adstrictos fœdere sibi adjuncturum: interea rogare, ne quid certi de Senatus sententia Cæsareanis respondeant; cunctatione utantur, ac mora tempus trahant. Paulum Victorium statim ad Proregem mittit, qui nuntiet, Pontificem, uti in terris Christi vices sustinentem decet, nil vehementius cupere, quam, ut restinctis aliquando odiis, bellisque fine imposito, optata pax toti orbi Christiano affulgeat; id ut facilius consequi queat, arma sæpius iniquo Italiæ fato sumpta recondi jubere; sponsorem se, vademque statuere; nihil molestiæ Neapolitano regno Regem illaturum: si id moliretur, nullo

*Clemens Paulum Victorium ad Lanojum mittit.*

1524 lo pacto passurum ; summis votis optare, hortari, Insubres funestum tot incendiorum pabulum sibi oppignerari ; e Republica esse censere, ut Rex ea regione potiatur, potentissimique Principes haud exiguo singuli in Italia imperio contenti sint. Ad hæc Clementis postulata Prorex in hunc modum respondit : Sapienter a Cæsare Italiæ pacis diuturnitati consultum fuisse, dum superioribus annis cum Leone Pontifice Maximo communicatis consiliis, Franciscum Sfortiam Insubrum provinciæ præficere, Gallos penitus ex Italia ejicere statuerat: summis impensis, ingenti labore, magnis copiis instructis, votis fortunam non defuisse; pulsos Italia Gallos, Sfortiæ imperium restitutum : mirari quanam tandem re permotus Pontifex novis rebus, consiliisque studere velit: si pax illi Italiæ, ut prædicat, cordi sit, gentem turbidam, inquietam, nova semper appetentem, ac molientem longe ab hujus provinciæ finibus arceat; neque Principi, ad quem jure Insubres spectant, illorum imperium adimat; si diversas rationes cogitationum, ac consiliorum inierit, Italiam, Christianamque Rempublicam continentibus bellorum fluctibus jactatum iri. Quod vero Mediolanensem ditionem Pontificis potestati permittat, id a Cæsare in mandatis non habere; neque sibi suaderi posse, ullo unquam tempore id Cæsarem facturum: nihil sibi Imperatorem aliud præcepisse, quam, ut omni conatu, viribus, sanguine denique ipso Insubres tueretur; nunquam se, vel metu, vel spe, vel si fœderati quoque arma adversus Imperatorem sumerent, ab officio recessurum. Sinuessanus eadem ferme Clementi respondit ; nullam se ad ea negotia perficienda facultatem habere ; verum de tota re ad Proregem scripturum.

*Lanoji Proregis responsio.*

Senatus, novis Pontificis consiliis intellectis, eo magis adducebatur, ut tempus proferendo nil certi Proregis, ac Ducis legatis responderet ; & præsertim, quoniam rumor de Neapolitana expeditione confirmatus suspicionem Patrum animis injecerat ; ne Prorex, ut regno sibi credito opem ferret, Mediolanenses res desereret, ac Rempublicam Gallorum viribus objiceret. Jam enim Albaniæ Dux, rebus ad Neapolitanam expeditionem comparatis, itineri se commiserat, atque Apennini juga transgrediebatur ; qua re vehementer Cæsa-

Cæsareanorum animi angebantur; cum nondum auxiliis firmato exercitu, pecunia laborantes, duplici lacessiti bello, vel deserere Insubres, Galliarumque Regi ultro objicere, vel Neapolitanos copiis, ac subsidiis nudatos, hostium libidini relinquere cogerentur. Proregis mens cum primoribus, qui illi a consiliis erant, eo vergebat, ut, Insubribus relictis, cum copiis Neapolim quam maximis itineribus properarent; ne milite, ac Ducibus destitutum regnum, in quo vetus in Gallos populorum studium adhuc vigebat, imparatum hostes adorirentur. At Davalus, qui rei militaris disciplina, atque animi magnitudine ceteris anteibat, contra disserere; neque e Cæsaris dignitate; neque ex utilitate publica esse, paulo ante armis partum imperium per summum dedecus amittere; ac nondum signis collatis, nondum robur, ac virtutem hostium expertos, nullo incommodo accepto, oppida, urbes, populos prædæ loco Gallis relinquere. An non id invictum Cæsaris nomen perpetuæ notæ labe commaculatum posteritati mandaturum? an non amplissimum Italiæ imperium in discrimen adducere, si sponte derelicta Mediolanensi ditione, pro Neapolitano regno decertaretur? Sex millia Germanici peditatus robora jam in castris esse; totidem paulo post adventura; si adhuc ad non multos dies contineatur exercitus, rerum præclare gerendarum opportunitates ducum prudentiæ, virtuti militum non defuturas: ex hoc uno salutem Italiæ, incolumitatem, ac decus Imperii pendere. Nam Insubribus amissis, & Gallicæ victoriæ fama per cunctorum populorum ora pervagata, Neapolitanum quoque regnum cito in hostium potestatem casurum: iisdem retentis, Neapolitanos non modo, & quidquid in Italia Cæsar obtinet, conservaturos; sed victoriæ certos fructus ingenti gloria cumulaturos. Vicit Davali sententia; verum ne penitus Neapolitanos deseruisse viderentur, Honorato Cajetano cum pecunia Neapolim misso mandatur, ut cum regni primoribus equitatus, peditatusque delectu habito, Neapolitanum regnum quacumque ratione possent, tuerentur..... *Desunt nonnulla*. 1524

M. D.

1525

## M. D. XXV.

CUm insequentis anni principio ad Ticinensem expugnationem cunctorum conversis animis, atque oculis, tantæ rei exitum solicitis mentibus homines præstolarentur, non cessabant Cæsaris duces cum Senatu agere, ut suas copias cum Cæsareano exercitu conjungeret, cum Rege de rerum, summa dimicaturi. Ob eam causam Hieronymum Caracciolum Venetias misere, qui, Alphonso Santio ordinario Cæsaris legato, ac Mediolanensi oratore comitante, cum Patrum Collegium adiisset, ut in suam sententiam Senatum impelleret, multis, & gravissimis verbis egit: *Nunquam sibi in animum Proregem inducere potuisse, Rempublicam, quæ summa semper fide cum exteris quoque gentibus moribus, cultu, religione a nobis dissitis jura societatis coluerit, hac tempestate, hoc rerum statu Imperatori amico, & fœderato deesse velle, qui omnia cumulate præstiterit, quæ superiore anno pacta fuerint: neque satis scire, cur idem Senatus, qui paucis ante mensibus fortiter, ac summa cum laude in eadem causa arma induerit, nunc a se ipso dissentire videatur. Missos superioribus diebus a Prorege Neapolitano Carolum Aragonium; a Francisco Sfortia Equitem Bilium, ut de Cæsaris exercitu, de hostium viribus singillatim Senatum docerent, simulque hortarentur, ut cunctatione amota, Cæsaris exercitui suas copias sociaret: nondum hac in re. Senatus mentem, ac sententiam percepisse; hinc hostes insolentiores factos nihil non audere; Insubres quotidie majoribus calamitatibus objici; multos hoc exemplo ab officio deterreri; quamplures Gallo accedere; nonnullos suspicione transversos agi; alios in perniciem Cæsaris nova consilia agitare: neque tamen Senatusconsultum aliquod fieri: Proregem existimare id accidere, quod Imperator, ac Legatus ex hac omnium copiarum conjunctione, ut fertur, detrimenti aliquid Rempublicam capere posse affirment; tamen Proregi, & summi nominis ducibus certa ratione constare, in hoc uno salutem, dignitatemque Reipublicæ, atque Italiæ totius repositam esse: ne quis vero pluris hostium vires, nostras minoris æquo æstimet,* *cer-*

*Hieronymi Caraccioli Cæsareanorum Oratoris oratio.*

*certo illud constare, Gallorum, Ticino amne trajecto, haud* 1525
*parum diminutas, nostrorum auctas copias esse : post Mediolanum Gallico impetu occupatum nullo incommodo nostros affecisse; licet tunc Proregi, præter Germanos, qui Ticinum tuentur, sex Hispanorum, quatuor Italorum peditum millia tantum adessent : contra vero non parva hostibus damna nostros intulisse. Quis nescit postea Helvetios multos, complures Italos a Gallo discessisse ? manum militum haud exiguam cum Duce Albaniæ Neapolim versus contendisse? Rhætorum tantummodo quatuor millia; mille Sedunenses accessisse? Nos vero sex Italorum, septem Germanorum millium numero copias auxisse? ut, si acie certandum sit, numero aut superiores, aut certe non impares futuri simus? ut interim militum robur, ac fortitudinem, Ducum dexteras victoriis assuetas, militarem disciplinam longo labore, & periculis partam silentio prætercam, quibus nos longe Gallis antecellere compertum est. His mille, ac sexcenti leviores equites accedunt, qui numero, & virtute præstant; cataphracti præterea, qui nulla ratione sint conferendi cum Gallicis sexcentis nuper cum Albaniæ Duce in Neapolitanum regnum profectis. Ad hæc civitates munitissimas, incolas Cæsaris nomini addictissimos, hostibus infensissimos habemus : quæ omnia certam apud nos victoriam fore pollicentur; cum præsertim septem Germanorum millia, equitum quoque non exiguus numerus propediem in castra venturus sit. Neque vero ignoramus, quæ malevolorum hominum vocibus in vulgus jactata circumferantur; Insubrum imperium pro se arripere Cæsarem velle; id ne vi facere videatur, hoc obtentu tegere, quod ingentem auri vim in illo protegendo effusissime exhauserit : rem sane tanto Principe indignam, qui fidem, pietatem, justitiam omni tempore summopere coluerit; neque ullis vel ingentibus præmiis propositis averti ab officio potuerit. An non id aperte ostendit, Franciscum Sfortiam in fœdere Ducem Mediolani declarasse ? a Senatu petiisse, ut Helvetii ad Italiam, in primisque ad Insubrum ditionem tutandam asciscerentur? Hujusce rei si qua in animis vestris hæret suspicio, Prorex, qui Imperatoris mentem multis argumentis, & literis optime perspectam, & cognitam habet, vadem se, ac sponsorem, si ita Senatui libuerit, fore pollicetur,*

1525 *cetur, constituto tempore Imperatoris decretum de Sfortia in Mediolanensi imperio confirmando allaturum. Ad impensas quod attinet, totam rem Patrum judicio, voluntatique permissurum. Quocirca omni abjecta mora, hæsitationeque amota, ictis fœderibus, amico Imperatori, laborantibus Insubribus satisfaciant.*

Caracciolo ex Senatus decreto in hanc sententiam responsum est. *Nullum officii genus, quod summam erga Cæsarem benevolentiam, observantiamque patefaceret, prætermissum fuisse: testari superiori anno, ut dignitatem, imperiumque illius in Italia adversus Gallorum vim, & copias sustineret, gesta: mentem minime immutatam: alia tempora, alia consilia, diversas administrandi belli rationes exposcere; neque cuncta volubilitati, inconstantiæque fortunæ permitti; neque uno certamine, momento, de summa rerum periclitari oportere: non, si adesset, pro eximia illius prudentia Imperatorem secus facturum: si patientia, & cunctatione Prorex uti velit, aut victoria incruenta potiturum, aut honestis conditionibus inter potentissimos Principes pacem confectum iri; in hoc enim totum esse Pontificem, officiis, literis, nuntiis tantæ rei sedulam operam navare: Cæsarem ab iis consiliis minime alienum esse, eo magis quod nihil in Galliam, ut omnium fama percrebuerat, moliretur. Quid porro si Reipublicæ copiæ cum Cæsareanis jungantur? vel ad Ticinum obsidione liberandum, vel ad Mediolanum oppugnandum deflectant? congrediendum, certandumque acie fore, aut turpiter prælium vitari, subduci copias oportere; quorum alterum periculi plenum esse, rerum usu, ac militari prudentia duces summa necessitate compulsos extremum omnium experiri; alterum vero amplissimæ victoriæ aditum hostibus patefacere, ut, non modo Insubrum provincia, sed quidquid, vel Carolo, vel Reipublicæ in Italia pareat, in Regis potestatem casurum sit. Neque vero id minus Rempublicam urgere, quod, Abdua flumine trajecto, in Bergomates Rhætorum permagnum numerum essent immissuri, quibus cuncta ferro, sanguine, præda permiscentibus, aut copiæ revocandæ, aut innoxii, optimeque de Republica meriti incolæ hostium libidini, ac violentiæ relinquendi. Cunctandum itaque hoc tempore Se-*

*natum*

*natum censere; ne supremo cuncta discrimini objiciantur; neve pacis spes in multorum animis concepta, insigni aliqua, & Christianæ Reipublicæ deflenda calamitate conteratur.* 1525

Hæc Venetorum consulta; hæ consiliorum rationes eo spectabant, ut in re ancipiti variis fortunæ casibus, ac vicissitudinibus obnoxia, neque in Imperatoris, neque in Regis offensam incurrerent. Verum jam ita se res habebant, ut earum eventus omnium populorum, ac Principum Europæ mentes hæsitabundas, ac suspensas tenerent: in utram partem victoria inclinaret, ærumnis, & calamitatibus orbi Christiano se se objicientibus; atque Italiæ præsertim, quæ superioribus annis oppugnationibus, ac præliis vexata, miseranda cunctis gentibus humanæ sortis exempla præbuerat; neque adhuc, quibus fœde discerpta fuerat, vulnera coaluerant.

In primis vero Pontifex, ac Respublica Veneta summis angebantur curis, quod rerum præsentium mutationem consecuturam circumspectabant; nihilque molestius, quam duos Principes acie de hujus provinciæ imperio decertaturos cernebant: Cæsarem Pontifici infensum, Reipublicæ amicitiam suspectam habere, victricia illius arma timenda esse: neque minus si Rex victoria potiretur, verendum ne felicitate impotens, atque elatus cuncta suo arbitratu in hac provincia moderari vellet. Quamobrem quantum precibus, atque adhortationibus niti poterat Clemens, ne Reges in arma ruerent, contendebat. Per Albertum Carpensem, Franciscum admonet, orat, obtestatur, ne cum Cæsareanis acie decertet; neve fortunas, opes, potentiamque Gallicæ gentis horæ momento in summum discrimen conjiciat. Eumdem Carpensem hortatur, ut Sigismundum, qui illi erat a secretis, in castra mittat, ut Regis animum a prælio ineundo amoveat. Idem quoque agit cum Novioduni gubernatore, ac Regis legato, qui apud Venetos erat; atque in omnem eventum intentus, communi saluti prospiciendum ratus, per Foscarum legatum Clemens Senatui significat, sibi in animo esse, oratorem ad Helvetios mittere, qui decem illius gentis peditum millium delectu habito, communibus stipendiis, si opus esset, in Italiam duceret; ut Reipublicæ adjunctis copiis; nec non pontificiis, Hetruscisque auxiliis, hostes a fini-

*Clemens Franciscū Regem a prælio deterret.*

bus

1525 bus summoverent, ne incursionibus ipsorum facile paterent. Ea in re Senatus sententiam exquirit, qui, illius consilio probato, difficillimis, ac turbulentissimis temporibus a Clementis auctoritate, atque sententia se nunquam recessurum testatur. Sulpitio Verulano Episcopo id munus a Pontifice mandatur. Eodem tempore summo animi ardore Senatus Clementem hortabatur, ut paci publicæ consuleret, atque ea auctoritate usus, quæ summam in terris dignitatem deceret, dissentientium Christianorum Principum voluntates, intestina odia mitigaret; iras molliret; certis concordiæ propositis conditionibus, a conserendo prælio revocaret. Cum enim per eos dies Henricus Angliæ Rex fortunæ Gallorum invidens, Gregorium Casalium equitem in Cæsareanorum castra misisset, ut mentes illorum ad bellum gerendum, acrioribus admotis stimulis accenderet, & Hieronymum Paceum Venetias proficisci jussisset, ut ad socia cum Cæsareanis arma ex præscripto fœderis jungenda Senatum adhortaretur; ingens suspicio animos invaserat, ne Cæsar, cum Anglo adversus Galliarum Regem percusso fœdere, ex inferiori Germania, atque ex Britannia terra, marique Gallias aggressi, Regem cum exercitu ab Italia revocarent, Carolusque armatus, quas vellet, singulis leges diceret.

*Cassianum a Davalo captum.*

Dum hæc geruntur, & varia in utramque partem consiliorum momenta expenduntur; Davalus, qui res Cæsaris fide, virtute, ac disciplinæ militaris usu præ ceteris sustinebat, semper aliquid novi moliri, agitare, quo Regem a Ticini obsidione abduceret, aut renuentem in aleam martis alliceret. Ac ne quid sibi a tergo relinqueret, cum omnibus fere copiis Cassianum, ad Abduæ fluminis ripam situm, atque belli initio a Gallis occupatum profectus, admotis tormentis, in potestatem recepit; præsidioque arci imposito, Laudem reversus est. Et quoniam cunctos conatus retardari, ac impediri posse pecuniæ inopia noverat, in id omnes consilii nervos, mentisque aciem intendebat, ut qua ratione cogi milites, continerique sub signis possent, sedulo perquireret: cum præcipue ex Antonii Levæ literis admonitus esset, Germanos Ticini obsessos, seditiones, ac tumultus ciere; ni stipendia persolverentur, civitatem hosti tradituros minari. Huic tam

gravi

gravi incommodo militari astu obviam itum est : duobus fidis, & industriis viris, ut cum equis vino onustis in Gallica castra progrederentur, præcipitur; tribus aureorum millibus vafro consilio in vas vinarium immissis. Leva ea de re per litteras occultis notis exaratas edoctus, extemplo ab ea parte, qua significatum fuerat, exire ad leve certamen ineundum milites jubet. Tumultu in castris orto, statim undique ad arma conclamatur; misceri pugna incipit; alter ex iis, cui deferendæ pecuniæ munus injunctum fuerat, e medio elapsus, fracto vase, arrepta pecunia, urbem ingressus ad Antonium Levam sistitur; quæ res adeo Germanos permovit, ut compressa seditione, se solertiores in tuenda urbe, quam in pecunia petenda insolentiores ostenderint. 1525

Non minor in equitatu ex hybernis deducendo, ob pecuniæ inopiam difficultas aderat, cui Hieronymi Moroni opera valde fuit opportuna. Is enim Cremona in mensem equitatui suffecturam argenti vim attulit, quantaque ad tormentorum apparatus, & cetera belli instrumenta usui esse posset. Pedites, quia facultas persolvendi stipendii non erat, Davalus pollicitationibus, adhortationibus, prece flexit; atque Laude exercitu coacto, in quo septingentos cataphractos, totidem leviores equites, pedites Italos mille, Hispanos, ac Germanos ad sena & dena millia censeri ferebatur, viii. kal. februarii motis castris, Melenianum, quod Mediolano passuum decem millibus abest, Cæsareani proficiscuntur, tanquam Mediolano exercitum admovere statuerent; eo consilio, ut, si periclitanti urbi Rex subvenire vellet, a Ticino exercitum abduceret, vel metu perterriti hostes urbem ultro desererent. Verum consiliis eventus dispar fuit. Lambrum amnem Cæsareani trajiciunt, oppidumque Sancti Angeli medio ferme inter Laudem, & Ticinum itinere aggrediuntur, ne hostes commeatus, qui a Laude ad exercitum convehendi erant, opportunitate loci impedirent, aut interciperent. Quod Rex veritus, ut Italis peditibus octingentis, equitibus ducentis, qui Pyrrhi Gonzagæ auspiciis oppido se tenebant, prospiceret, simulque an satis munitum, hostiumque ad impetum excipiendum validum esset, intelligeret, Jacobum Cabaneum Magistrum equitum, & Federicum Gonzagam Pyr-

1525 rhi fratrem misit; qui egregie defendi posse retulere. Re tamen ipsa aliter compertum fuit; nam Ferdinandus Davalus dispositis, admotisque ad mœnia tormentis, ac prostratis pinnis, e quibus propugnatores tecti telis, scloppisque hostes ab oppidi ingressu arcebant, adeo strenue rem gessit, ut metu oborto, milites, mœnibus relictis, in arcem se receperint, neque hostium impetu expectato, ultro Davalo se dederint. Pyrrho Gonzaga, aliisque ducibus detentis, reliquos equis tantum, armisque mulctatos incolumes abire ea conditione permisit, ut Abduam trajicerent, neque illis arma adversus Cæsarem capere, nisi exacto mense, jus esset.

*Sancti Angeli deditio.*

Rex cum primum copias cogere, atque exercitum movere Cæsareanos cognovisset, consilia de belli gerendi ratione agitare cœperat. In diversas partes, ut plerumque arduis in rebus solet, consilia ducum scindebantur. Tramolii, ac Paliciæ ea erat sententia, quamprimum a Ticino exercitum abduci oportere; ad Carthusianas ædes, vel ad Binascum, aut si quis alius aquis, quarum regio ad agros irrigandos copiosa est, tutior esset locus, in eo castra statuenda: haud dubia hoc facto de hostibus regem victoria absque sanguine, ac suorum cæde potiturum: copias Cæsaris pecuniæ inopia premi, ingentibus promissis vix ex hybernis eductas, in prælio, si cito committeretur, spes omnes reposuisse: cunctaretur Rex, moram traheret, hostem cito sponte abiturum; non ducum auctoritate, non vi milites sistendos: Ticino obsidione liberato, statim Germanos stipendia flagitaturos, ac momento temporis cuncta tumultu, minis, seditionibus exarsura: præclaros duces, quorum memoria adhuc viget, ad prælium nunquam, nisi vi coactos descendere consuevisse, summam militiæ laudem prudentia, non temeritate adeptos: incertos præliorum exitus esse, in quibus nonnunquam fortunæ potius, quam virtuti locus fuerit. *At gloria* (inquiunt) *Gallici nominis, Regis constantia, cunctisque mortalium oculis, tanquam in amplissimo orbis theatro spectanda virtus, pugnam suadent. An non dissuadet locus? dum ex uno latere exercitus desperatione actus, ex altero vero obsessa urbs, cum Germanorum militum robore hinc, atque inde circumire, atque aggredi copias nostras poterunt? quod sane militarium rerum*

*rum scientissimi semper cavendum sunt opinati. Non audacia, non incertis, ac periculi plenis consiliis, sed prudentia captæ rerum præclare gerendarum opportunitates, prosperos eventus solidæ, veræque gloriæ fructum pariunt.* Sed contra maris Præfectus speciosa tutis anteferre solitus, atque vulgi opinione, ac vocibus, non rei veritate consilia metiri, maximam illius famam in omnem posteritatem notam dedecoris subituram arbitrabatur, si constantiæ, invictique animi existimationem, quam apud cunctos mortales concitaverat, Ticinensem obsidionem solvendo, corrumperet, certamque obtinendæ jamdiu obsessæ urbis spem sponte amitteret: hostes rerum omnium penuria, atque egestate adactos; loco munito, atque ad obsistendum Cæsareanis opportuno castra esse: egregio hoc facto debellari hostes, totam Italiam subjici Gallorum imperio haud difficulter posse: audendum, dum omnia regiæ felicitati faverent, ac fortunam benigne afflantem, dum tempus esset, excipiendam. 1525

Consilium illius Rex amplexus, cum Sancti Angeli oppidum captum ab hostibus allatum esset, copias omnes (parvo militum numero excepto, quos trans Ticinum amnem ad continendos in officio incolas illius regionis reliquit) in unum contrahit. Italorum peditum duo millia, qui æstate superiore Rentii Ceritis auspiciis militaverant, nuper Massilia Savonam profectos ad castra vocat. Joanni Ludovico Palavicino, cui quinquaginta equitum præfecturam, tribunatumque peditum concesserat, mandat, ut Cremonam auxiliis destitutam occupare conetur; commeatus, qui inde ad castra hostium convehebantur, intercludat. Nihil, quod vires exercitus augere, vel hostes detrimento afficere queat, prætermittitur. Qui Massilia moverant milites, cum in Alexandrinum agrum prope Urbam fluvium pervenissent, a Gasparo Mayno Mediolanensi, qui cum mille ac septingentis peditibus Alexandriæ præerat, parva manu, cum ex itinere defessi, ac rei novitate perculsi non diu substitissent, fœde in fugam vertuntur, atque in Castellettum oppidum se recipiunt: nonnulli cæsi, ceteri cum oppido in hostium potestatem concessere. Palavicinus, duobus peditum millibus, ac quadringentis equitibus Pado trajecto, Casale majus nullis

1525 præcinctum mœnibus oppidum ingressus, tumultuario opere aggere, & cratibus circumambit; depopulari, grassari, deterrere undique populos, & agricolas jubetur. Franciscus Sfortia mille quadringentos pedites cum exiguo equitatu ductu Rodulphi Varani Camertis, nec non leviores equites nonnullos Alexandri Bentivoli Bononiensis auspiciis exire præcipit. Ea re audita, Palavicinus, licet Franciscum Rangonium Mutinensem cum peditatu, equitatuque sibi præsto futurum intellexisset, moræ impatiens, numero suorum confidens, paucitatem hostium contemnens, ad pugnam egreditur. Equites Bentivoli initio in fugam vertuntur; sed Sfortianorum omnium adventu re cominus agi cœpta, Palavicini copiæ referre pedem; dux frustra animos addere, in confertos hostes impetum facere; donec equo excussus, Bentivoli, Sfortianorumque prosperum certaminis eventum sua captivitate cumulavit: quo facinore erecti Cæsareanorum animi de totius belli exitu felicia omina accipere, alacriori animo pugnam appetere; cum etiam eodem fere tempore Rhætorum sex millia inopinato ex regiis castris callido Joannis Jacobi Medicei facto recessissent.

*Joannis Jacobi Medicei facinus.*

Erat is Mussiæ arcis, quæ juxta Larium lacum sita est, præfectus; cumque mente secum reputaret, qua ratione Clavenna Rhætorum oppido, non longe a lacu summo potiretur, sors consiliis aditum struxit: nam cum per eos dies Clavennæ Præfectus nihil hujusmodi suspicatus, arce, quæ juxta collem oppido imminet, egressus esset, a militibus, quos Mediceus inter quasdam rupes in insidiis non longe ab arce disposuerat, comprehenditur; atque uxore ad vociferationem, tumultumque commota, & quidnam illud rei esset, ad portam sciscitante, milites strictis ensibus eidem minantur; ni statim arx traderetur, conjugem interfecturos. Itaque reclusa porta, Cæsareani arcem occupant. Confestim Mediceus cum trecentis peditibus arce egressus, oppido potitus est. Qua re ad Rhætos delata, cuncti ad arma concurrunt; qui in regiis castris erant per literas vocati, mox proscriptionis pœna deterriti reditum in patriam moliuntur. His accensi Cæsaris Duces, ac in primis Davalus, in cujus auctoritate, consilio,

*Clavenna a Mediceo occupata.*

filio, ac virtute belli totius adminiſtratio ſita erat, nihil, niſi de manu cum hoſte conſerenda, ac juſto congredi marte, cogitare; quique levioribus præliis ſemper ſuperiores fuerant, ſi tota acie decerneretur, ampliſſimam de rege ſibi victoriam pollicebantur. Davalus caſtra Gallorum undique inſpicere, ſitum diligenter obſervare, loca notare, quo inſiſterent Helvetii, quo Italicus peditatus ſtationem haberet, ubi locati equites, qua parte tormenta diſpoſita; agrorum foſſas, vias, ingreſſus, exituſque illarum optime noverat; nocte intempeſta ad arma hoſtem excitare, foſſas propugnacula, vineaſque propius agere, levioribus certaminibus laceſſere, victricia ſigna nonnunquam in caſtra reportare. Neque vero obſeſſi Antonio Levæ minus parebant; ex obſeſſa enim urbe ſæpe exibant, improviſi hoſtes adoriebantur. Joannes Mediceus, cui rex paulo ante trium millium peditum, ac trecentorum equitum præfecturam tribuerat, vir bellica virtute, ac militari auſu illuſtris, glande plumbea juxta pedis talum transfixus eſt, atque ob id Placentiam delatus prælio intereſſe non potuit. 1525

*Ioannes Mediceus glande percuſſus Placentiam deducitur.*

Rex, ut appropinquantes Cæſareanos exciperet, in valle, quam Vernacula, rivus ex Parco fluens, præterlabitur, caſtra locat; a fronte, a tergo, atque a ſiniſtro latere vallo, ac præaltis foſſis circumcingit; a dextro in Parci Ticinenſis muro ſatis ſibi eſſe munimenti arbitratus; Mirabello præcipue, quod olim venationi operam daturi Mediolani Duces incolere conſueverant, nonnullis equitum turmis, ac manipulis peditum firmato. Davalus ex adverſo, ſex inſtructis acierum ordinibus, quarum duæ equitum, quatuor peditum erant, exercitum diſponit: peditum primam ex duobus Germanorum, totidemque Hiſpanorum millibus, admixtis Italis, conſtituit; huic Vaſtium Marchionem præficit: ſecundæ ex ſolo Hiſpano peditatu ipſe Davalus præerat: tertia, & quarta, quæ ex Germanis conſtabant, Proregi, Caroloque Borbonio parebant. Rebus omnibus ad pugnam ineundam comparatis, de omnium Ducum ſententia vi. kalen. martias, intempeſta nocte, caſtra movet: ante ſolis exortum per fabros lapidarios, adjuvante milite, paſſibus ſexaginta muri ſolo æquatis, per ruinas Parcum ingreditur. Prima peditum acies Mirabellum, reli-

1525 reliquæ ad regia castra contendunt, statimque ad arma undique conclamatio in exercitu Gallico fit. Rex Parcum ingressos hostes certior factus, suis opem ferre: milites arma capere, Cæsareanis obviam ire, castrorumque relicta munitione, hosti æquo loco pugnandi potestatem facere. Primum Hispanorum agmen pugnam capessit, emissoque summo impetu globorum ferreorum turbine, multos ex Gallis vulneribus, sanguine, cæde affectos retrocedere cogit. Gallicus equitatus cum Helvetiis peditibus insita ferocia a latere urgens Hispanos loco movet; verum subsequuti Germani cuneata acie Helvetios adorti, ingenti cæde illata, prosternunt, ac profligant. Tum equitum hastatorum numero, in quibus omnem victoriæ spem collocaverat, rex stipatus eximia virtute, infracto animi vigore, & corporis robore in certamen prodit; ac dum suos labantes, atque in fugam versos compescere, & redintegrare pugnam nititur, inter confertas hostium acies acriter dimicando sauciatus, equo, cui insidebat, graviter icto, excussus, densissima undique militum confluentium turba circumseptus, vivus in potestatem hostium venit: corporis proceritate, armorum rutilanti splendore insignem virum Prorex, qui eo accurrerat, conspicatus, ipsum jam quisnam esset palam ferentem, manu deosculata, summo honore nomine Cæsaris excepit. Eodem momento Alphonsus Davalus Gallicos equites, qui Mirabello insederant, dejicit, ac conficit, atque Antonius Leva cum Germanis Ticino egressus, Gallos a tergo invadit. Tunc undique in fugam versi, nemo consistere, nullus hosti frontem objicere, cuncta pavoris, ac trepidationis plena: jam non pro dignitate, & pro Regis salute certare; sed sævienti fortunæ cedere, ab hostibus vitam deprecari: ut ex tanto exercitu, postrema equitum excepta acie, cui Carolus Alenconii Dux, Regis sororius, præfectus aderat, statimque conserto prælio se subduxerat, pauci hostium vel ferrum, vel manus evaserint. Gallorum supra octo millia aut occisi, aut Ticini amnis aquis hausti: ex Cæsareanis septingenti circiter desiderati sunt. Ad hæc e Gallis proceribus multi occubuere, inter quos Gulielmus Gauferius, maris Præfectus, qui superiore anno improspero exitu in Insubribus dimicaverat, auctorque ineundi

*Gallorum ad Ticinum profligatio, & Francisci Regis captivitas.*

undi

undi prælii Regi fuerat; Scudus Lautrechii frater; Jacobusque Cabaneus equitum Magistri, *Marescballi* a Gallis vocati, aliique summi nominis viri. Regis fortunam reliqui fere duces subiere. Hic eventus Ticinensis pugnæ fuit, qui sicuti non minus Regi, totique Galliæ, quam Italiæ luctuosus fuit, quæ acriores bellorum tempestates inde perpessa est; ita Cæsarem; ejusque Duces e gravissimis periculis ereptos ingenti gloria, ac lætitia cumulavit, tantumque prædæ e totius exercitus, castrorumque direptione, e manubiis, captivisque accessit, ut exantlatos labores, ac pericula opulentissima mercede supra vota compensarint. Atque in eodem die deletæ Gallorum copiæ, rex captus, Mediolanense imperium a Cæsare recuperatum est. 1525

# Finis Libri Primi.



# EPITOME.

*Galliæ Rege captivo, auctisque Cæsareanorum viribus, Italorum Principum animi ob tuendam Italiæ dignitatem, ac libertatem in varias curas distracti sunt. Primum in commune consulere, ac vires in unum conferre singuli animum induxere; at statim Clemens Pontifex ad Cæsaris partes pertractus est. Franciscus Rex ex Italia in Hispaniam devectus, ob captivitatis tædium gravi morbo tentatus tandem convaluit. Dum novi inter Cæsarem, Italiæque Principes fœderis conditiones scribebantur, Davalus Franciscum Sfortiam tota Insubria, præterquam Mediolanensi, ac Cremonensi arcibus exutum, Mediolani obsedit, arctaque custodia adstrinxit. Galliæ Rex iniquis conditionibus e carcere dimissus est. In Coniaci oppido fœdus inter Galliæ Regem, Pontificem, Venetos, ac Mediolanensium Ducem est percussum. Dum Cæsar Italos Principes lenire, ac sibi conciliare nitebatur; Veneti minime interea cessandum rati, Laudem-Pompejam occuparunt; mox Mediolanum aggressi, incepto absistere coacti sunt. Fœdere Conjacensi vulgato, dum, Modoetia capta, ad Mediolanum inter fœderatos de oppugnanda urbe consulitur, Sfortia necessitate adactus arcem Hispanis tradidit. Cremonam a Baleonio circumsessam Urbini Dux in Venetorum fidem recepit.*



# HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI

## LIBER SECUNDUS.



RAELIO ad Ticinum inito, Gallorum profligatis copiis, Rege capto, proceribus in Cæsaris potestatem redactis, Alenconio Duce ex Italia quam citatissimo gradu abeunte, Mediolano recuperato, incredibile dictu est, quantum Caroli Imperatoris felicitas omnium Christianorum principum, Italorumque præsertim animis terroris incusserit, populorum omnium oculis prospectantibus, quonam hæc ingens Gallorum clades, victriciaque Cæsaris arma essent evasura. Permovebant Imperatoris ætas, animus, occasio, magnam apud cunctos mortales, maximam apud principes vim habere solita: neque facile sibi suadere poterant; res ad eximias principem a prima juventa aspirantem, tantam sui nominis illustrandi, imperii- 1525

que

1525 que propagandi opportunitatem elabi per socordiam permissurum. Regem illum in potestate habere, cum quo simultates, odiaque intestina exercuerat, illustrique æmulatione de Imperii dignitate paucis ante annis decertaverat: Gallias nihil non pro sui Regis libertate Cæsari concessuras: præcipuam Italiæ partem illi obtemperare: exercitum Ducum peritia, militum virtute, recenti victoria exultantem nihil non ausurum. His fiebat, ut qui potentia principes in Italia eminerent, Pontifex, & Veneti pro illius libertate dies, noctesque excubarent. Metuebat sibi Pontifex, quod Regi Gallorum adhæserat; quod Albaniæ Ducem in Neapolitanum regnum bellum inferentem, per suæ ditionis fines transeuntem commeatu, & milite juverat; quod pro Rege in Insubrum possessione retinendo, consilio, auctoritate, viribus enixe laboraverat. Senatus autem Venetus, quod copias ex fœdere Cæsareanis flagitantibus conjungere detrectaverat, verebatur, ne ea re permotus Cæsar veteres inter Maximilianum, & Rempublicam inimicitias, ac bella memoria repetens hostile aliquid moliretur. Quocirca unum illud ad Italiæ incolumitatem, deeusque retinendum hoc tempore superesse videbatur, ut Cæsari, si victoria ad perturbandam quietem, præsentemque rerum statum uti vellet, communibus consiliis, ac viribus Clemens, Senatusque Venetus obsisterent. Eam sibi animo hærere sententiam Pontifex, neque societatem absque Republica cum Cæsare unquam habiturum, Senatui significaverat.

*Joannes Sarmentus a Lanojo Venetias missus.*

*Andreas Naugerius & Laurentius Priolus ad Cæsarem Legati.*

*Antonius Surianus ad Lanojũ Legatus.*

Verum Cæsareani Pontificem, Venetosque conjunctos esse ægre ferebant; unum hoc illis, quo minus ad nutum Italiæ principibus leges dicerent, pecuniamque, qua maxime egerent, ad deducendum exercitum colligerent, esse impedimento rati. Sejungere igitur amicos principes adoriuntur; Clementem ad suas partes pertrahere, multis propositis commodis, contendunt; Senatui, Clementis ratione posthabita, facilia omnia apud Cæsarem fore pollicentur: propterea Joannes Sarmentus a Prorege Venetias missus fuerat, qui partam ab Imperatore victoriam Reipublicæ gratularetur. Senatus vero Andreæ Naugerio, ac Laurentio Priolo in Hispanias profectis, ut eodem officii genere uterentur, & de prospero ad Ticinum prælio Cæsari gratularentur, injunxit. Antonius autem Surianus Bri-

Brixiæ Prætor Reipublicæ nomine ad Proregem, Carolumque 1525
Borbonium eadem de causa proficisci jussus est. Verum longius prospiciens Senatus cum Pontifice agebat, ut communi consilio imminentia Italiæ pericula propulsarentur; id fieri absque dubio posse, si Pontifex, Senatus, Florentinaque Respublica, quæ Clementis auctoritatem sequebatur, fœdere inito, tantum copiarum equestrium, pedestriumque numerum instruerent, qui ad ditiones illorum tuendas, atque ad Cæsareanos, si quid hostile aggrederentur, arcendos sufficeret: ab auctoritate, potentiaque fœderatorum minores in Italia principes non recessuros. Erant sane tunc Reipublicæ cataphracti equites nongenti, levioris armaturæ sexcenti, pedites ad decem millia, præter classem, quæ multis triremibus, magnis, parvisque navibus instructa facillime a Republica maritimis in rebus innutrita augeri poterat. Alphonsus Ferrariensis Dux ducentos sexaginta cataphractos, leviores equites quadringentos, non parvam militum manum habebat. Metaurensium vero Ducis ea erat sententia, duorum cataphractorum millium, mille quingentorum leviorum equitum, peditum triginta millium exercitu Italiæ libertatem, dignitatemque defendi, hostium impetum repelli, ac pro tempore non minima illis damna inferri posse: celeritate tantum opus esse videbatur: pecuniæ defectu, militum tumultu, variis incommodis Cæsaris undique pressis Ducibus, occasione utendum: non alienum ab Italis Henricum Angliæ Regem futurum, qui licet fœdere Cæsari vinctus esset, atque ad prælium illius Duces incitandos Gregorium Casalium in Italiam misisset, in immensum illius augeri vires, & penes unum leges belli, pacisque esse æquo animo minime laturus erat. His accedebat, quod a Cæsareanis pro novo fœdere ineundo oblatæ conditiones suspicione minime carere videbantur; cum præcipue Cæsar tunc in Hispania moraretur, neque ex illius consilio, & auctoritate quidquam decerni posset; quæque tractata de gravissimis rebus forent, comprobare, aut infringere in illius potestate esset. Cæsaris societati Italiæ libertatem, ac salutem prætendere nihil aliud esse, quam acre adversus Gallos bellum, cunctis spectantibus, moliri; illis subactis, totius Christianæ Reipublicæ principatum Carolo deferre.

Qui-

1525 Quibus ſane permotus Pontifex a fœdere cum Cæſareanis ineundo animum averterat; Senatuque ſuadente, in Helvetios ad peditum delectum habendum Verulano miſſo, undique copias cogere nitebatur, Jacobo Salviato, qui ſumma apud Clementem auctoritate pollebat, impellente, eamdemque Florentinæ Reipublicæ mentem eſſe ſuadente, quæ Franciſcum Victorium ad Pontificem miſerat, atque illum, ut paci, & tranquillitati Italiæ proſpiceret, omni officii genere fuerat cohortata. Ad hæc Ferrarienſis Dux, viribus, pecunia, ſitus opportunitate maximo videbatur adjumento futurus. Is cum Pontifice amicitiæ conciliandæ, veterumque odiorum memoriæ delendæ occaſione arrepta, oratorem Venetias miſerat, qui ducentos cataphractos, leviores equites quadringentos, de quibus ſupra diximus, Duces virtute, militarique diſciplina inſignes ad Pontificis nutum præſtaturum polliceretur: Senatuſque cum Clemente agebat, ut Duce in fœderis ſocietatem aſcito, non minimum roboris exercitui adjiceret, ac libertatem, dignitatemque publicam firmius tueretur. Neque alienus Clementis animus ab Alphonſo videbatur; atque ut Henrici Angliæ Regis auctoritas accederet, ſuadente Senatu, Hieronymum Ghinnuccium Senenſem in Angliam miſerat, ut quo loco res Italiæ eſſent, Regi ſignificaret, illumque impelleret, ut nimiæ Cæſaris potentiæ jam in omnium perniciem redundanti, auctoritate, potentiaque, quibus plurimum poſſet, obviam iret: id ipſum Reipublicæ nomine Laurentium Aurium Oratorem ad Henricum deſignatum ſignificaturum. Dum hæc aguntur, Cæſareani nihil prætermittendum rati, ut in ſuas partes Clementem allicerent, pollicitatione, prece, minis agebant; illum deterrere ab inceptis nitebantur; ſi id obtinerent, pecuniam militibus non defuturam arbitrati, reliquos Italiæ Principes, vel Pontificis auctoritatem ſequuturos, vel certe cum Cæſare certaminis aleam nulla ratione ſubituros. Id ut facilius conſequerentur, octo peditum Germanorum millia, quadringentos cataphractos, tria Hiſpanorum vexilla in Carporum ditione ſita, in agrum Placentinum, qui una cum civitate tunc Pontifici parebat, Prorex immittit: minatur ſe, ſexcentis adjectis levioribus equitibus, copias ad decem millium numerum auctas per Apennini juga in Campaniam tranſmiſ-

*Hieronymus Ghinnuccius Clementis Legatus in Anglia.*

*Laurentius Aurius Legatus in Anglia deſignatus.*

missurum, Albaniæ Ducem oppugnaturum; se vero cum pari militum exercitu Insubres defensurum. Interea Archiepiscopus Capuanus ex Hispaniensi legatione Romam reversus Pontificis animum nutantem, & in varias partes distractum ad concordiam cum Cæsareanis Ducibus amplectendam flexit; atque, ut omnia e finibus Ecclesiæ nascentis belli initia tollerentur, Ursinique, & Columnenses diversæ factionis homines, qui milites, & arma ad res novandas comparabant, reprimerentur, Albaniæ Duci Clemens auctor fuit, ut majori copiarum parte dimissa, e regno Neapolitano discederet: quo facto Cæsareani quidquid militum in agro Romano haberent, statim missuros; Columnenses ab armis recessuros polliciti sunt.

*1525*

*Capuanus Archiepiscopus Pontificem ad pacem amplectendam flectit.*

Dux vero Sinvessanus Cæsaris apud Pontificem legatus, ut penitus ad Cæsareanos Clementem traheret, Proregis nomine de fœdere adversus Gallos ineundo, atque de sociis in illos armis vertendis, maximis propositis conditionibus, agebat; a quibus sane consiliis cum illius animum non parum abhorrere intelligeret, de præsenti rerum statu in Italia, inita societate, retinendo agi cœptum est. Clemens Senatui significat, necessitate adductum, ut rebus suis prospiceret, quas quamplurimis bellorum periculis, ac ruinis objectas, non sine populorum clade, ac ditionis Ecclesiæ detrimento, jam tum mente intueretur, præterita consilia deserere coactum: non Italorum principum societatem, non copiarum incrementa probare; sed cum Cæsareanis certis conditionibus in gratiam redire statuisse: enixurum, si ita Senatui visum fuerit, ut eodem fœdere, ac societate Rempublicam complectantur. Ad hæc Senatus, ne in re summi momenti, ex qua totius Italiæ libertas, ac dignitas penderet, aliquid perturbato animo agat, vel nimio timore permotus decernat, hortatur: non eo loco res Cæsaris esse, ut properanter, ac præcipiti consultatione in illius sinum ruendum sit: imminutas Cæsareanorum vires, octingentos cataphractos, totidem, vel paulo amplius leviores equites, pedites quatuordecim millia illis adesse, quos pecuniæ inopia sub signis vix contineri posse, ne dum novi aliquid hoc tempore moliri queant: summis laudibus efferre Pontificem, quod fœdus adversus Gallos non modo Italiam, sed universum Christianum orbem incendiis bellorum, ac cladibus inflammatu-

rum,

1525 rum, forti animo repulerit; ſuadere, ne aliquid de ſocietate pro præſenti Italiæ ſtatu retinendo ſtatuat, priuſquam Cæſaris voluntas, ac mandata ex Hiſpaniis perferantur.

Verum Pontifex, quem præſentia potius, quam futura urgebant, conſilium amplexus, quo ſe, reſque ſuas in tuto collocaret, & Cæſareanorum ſtimulis, & ſuorum adhortationibus impulſus, non expectata Cæſaris ſententia, kal. aprilis cum Prorege fœdus iis conditionibus ſanxit. *Primum, ut communibus armis, atque auctoritate Franciſcus Sfortia Cæſaris auſpiciis in Inſubrum poſſeſſione retineatur. Deinde, ut Cæſar Pontificiæ ditionis imperium adverſus hoſtium injurias tueatur. Tum, ut in ſuam clientelam Florentinorum Rempublicam recipiat; Mediceæ familiæ dignitatem, atque amplitudinem nulla unquam de cauſa imminui in patria permittat: qui intra Eccleſiæ fines detinentur milites, ſtatim amoveantur: centum aureorum millia Florentini Cæſaris Ducibus pendant.* Quadrimeſtre ſpatium, ut hæc Caroli decreto firmentur, præfinitur. Venetæ Reipublicæ, ceteriſque Italiæ principibus viginti dies aſſignantur, ut æquis, honeſtiſque conditionibus, ſi ita libuerit, in fœderis ſocietatem coire poſſint. Atque his diebus Albaniæ Dux claſſe regia cum Rentio Cerite ad Centumcellas exceptus, majori parte ſuorum amiſſa, in Gallias reverſus eſt. Patres, cum Pontificem Cæſari acceſſiſſe, minoriſque auctoritatis principes eadem veluti tempeſtate jactatos, in eumdem portum delatos animadverterent; multa ſecum animo volvere, maximis curis agitari; Galliæ viribus conſopitis, ac labefactatis, nulli rei, niſi Regis libertati aſpirantibus; Pontifice adverſus omnium opinionem in Cæſaris partes protracto, quot ſupereſſe, qui illius potentiæ, aut adverſari, aut reluctari queant? Uni Senatui, & Reipublicæ libertatis, incolumitatiſque Italiæ onus incumbere.

*Fœdus inter Clementem & Cæſarem.*

Miſerat ſane per eos dies Ludovica Franciſci mater, cui ob Regis captivitatem totius regni adminiſtratio obtigerat, Venetias Gaſparem Sormanum cum literis, quibus Senatui ſignificabat, omnia in Galliis tuta eſſe, neque ex adverſo prælio, Regiſque captivitate quidquam, quod vires ampliſſimi regni imminuere, potentiam, ac majeſtatem poſſit, pertimeſcere: rogare, ut quæ ſemper fuit erga Venetam Rempublicam Regis

*Gaſpar Sormanus a Franciſci Regis matre Venetias miſſus.*

gis benevolentia, ac nobilissimæ gentis in Venetum nomen 1525
propensio, pro eadem officio, auctoritate, viribus nitatur, ut Regi de Republica, ac de toto Christiano orbe optime merito ex indignissima servitute erepto libertas restituatur, qua salus, atque incolumitas rerum, filiorum, ac totius Galliæ regni, veluti fulcimento, sustentatur. Ad hæc rescripsere Patres, *Senatus ad Reginam responsio.* ægerrime Regis casum Rempublicam tulisse, nihilque accidere illi molestius potuisse, quam Regem illum, quem semper summa observantia coluerat, in has ærumnas incidisse. Ceterum tela ictusque fortunæ, qua varie humanæ res commoventur, ac veluti fluctibus agitantur, fortiter perferre id demum esse animi vere regii; cum præcipue res eo loco sint, ut omnia sperare fortunatum exitum jubeant; atque incredibili providentia totius regni incolumitati, sapientissimis reginæ consiliis, prospectum fuerit: nihil magis Senatui cordi esse, quam ut celerrime rex pristinam libertatem consequatur; in eo omnem operam, studium, curam, quantum in se erit, adhibiturum. Verum magnas res sæpius prudentia, & cunctatione mortales assequi; quocirca cum opportunitas affulserit, nihil ad tantam rem consequendam Senatum prætermissurum. Eodem ferme tempore Hieronymus Caracciolus, & Alphonsus Santius, ut novum fœdus a Republica cum Cæsare iniretur, a Senatu flagitabant. Patres minime de nova agere societate, cum prior sufficere videretur, necessarium arbitrabantur; cum acrius instarent, ne difficillimis temporibus prorsus pacis consilia aspernari viderentur, Senatus decreto responsum est. Si in ea sententia permaneant, novique fœderis Pontificem caput, ac principem esse velint, non recusaturos. Verum cum in dies mora negotium protraheretur, & Pontifex cum Cæsareanis concordiam, pacemque firmasset, Mediolani Dux, Prorege non dissentiente, Equitem Bilium Venetias misit, qui Collegium ingressus Ducis nomine significavit, mentem Proregis esse, ut novi fœderis mentione præterita, vetus confirmaretur: *Eques Bilius a Prorege, & Sfortia Venetias missus.* cum copiæ Reipublicæ Ticinensi prælio non interfuerint, & ob id, ut militum numero pares hostibus essent, ingentes impensas efficere Cæsareani coacti fuerint; æquum censere, ut ea vis pecuniæ, quam ratio exposceret, a Republica persolveretur: petere idcirco aureorum millia centum, & viginti.

Ea

1525 Ea re in consultationem adhibita, placuit, ut Petrus Pesareus legatus Mediolanum renovandi fœderis causa proficisceretur, cui perampla a Senatu cum Prorege paciscendi auctoritas impertita fuit; dummodo mandata, quæ ad negotium peragendum requiri solent, non desiderarentur. Verum cum nullam Prorex a Cæsare tanta in re conficienda auctoritatem haberet, mora, ac novis eventibus nihil perfici potuit.

*Petrus Pesareus a Venetis Mediolanum missus.*

*Franciscus rex captivus Pisleonem perducitur.*

Interea Franciscus Galliarum rex qui post Ticinensem captivitatem Pisleonem perductus, regio cultu exceptus, & honorificentissime habitus fuerat, summo studio, ac diligentia in arce servabatur. Is cum primum eo post prælium perductus fuisset, literas ad matrem dederat, ut nuntiis Cæsareanis in Hispaniam proficiscentibus, tutum per Gallias iter agere liceret, eo gratiam Caroli Lanoji Proregis sibi conciliatum iri sperans, auctoritateque illius libertatem a Cæsare adepturum. Id non modo ultro a Regina concessum est; sed etiam per eumdem, qui victoriæ nuntium ad Cæsarem ferebat, literæ additæ, quibus illum enixe obsecrabat, ne in tanta victoria, tam secundis rerum eventibus humanæ sortis oblivisceretur, Regemque sibi affinitate conjunctum, in illius manus prolapsum, clementia, & mansuetudine, quæ vere imperatoriæ virtutes sunt, erigeret, ac recrearet: tempus affore, quo illi pro immortali beneficio non inferior gratia redderetur. Cæsarem tantæ victoriæ nuntio accepto, fama fuit, nullum lætitiæ signum, ne vultu quidem, dedisse; sed immobili, quam in utraque fortuna gerebat, animi constantia gestientis gaudii stimulos cohibuisse; & ne publica, quæ assolent, a populis victoriæ argumenta ignium, æris campani, ludorum, spectaculorumque ederentur, penitus prohibuisse: supplicationibus tantum Deo Optimo Maximo Cælitibusque decretis, qui sua illum providentia complexi aditum perhonorificum ad pacem Italiæ, atque totius Reipublicæ Christianæ firmandam aperuissent. Ceterum rex moræ impatiens, cum varia ob impedimenta, & difficultates libertatem sibi aut differri, aut negari animadverteret, in dies animi, mentisque curis contabescebat; nunquam e captivitate solutum iri arbitratus, nisi Carolum alloquendi sibi potestas permitteretur: quamobrem ut in Hispaniam ad Cæsarem perduceretur, a Prorege eni-

enixe flagitabat. Postulatis Prorex tandem assensit, atque ut iter a Gallis tutum in Hispaniam foret, Annas Momorantius ad Ludovicam Regis matrem citato itinere profectus est, ejusque jussu sex e Massiliensi portu deductis triremibus, Regem, Lanojo comitante, ad Delphini portum (quod viginti passuum millibus in orientali tractus Genuensis parte a Genua distat) offendit; inde mutato itinere, cum suis, sexque Gallorum triremibus ad occidentem Hispanias versus flexit, ac Barcinonem delatus, mox Madritum Franciscus perductus est. 1525

*Franciscus Rex Madritum perducitur.*

Rege ex Italia in Hispanias advecto, magna Principum Italorum immutatio subsequuta est, jactaque suspicionum semina in dies augeri cœpere: Italiæ totius ad imperium Carolum aspirare. Cur enim, si id illi, ut maxime prædicabat, cordi erat, ut bellorum procellis agitatam provinciam, Christianamque rempublicam stabili, firmaque pace sublevaret, non statim æquis conditionibus Rex de Ecclesia optime meritus magnanimo consilio libertate donatus? cur tot itineribus emensis, in penitiora Hispaniæ loca adductus; nisi ex illius libertate ingentem auri vim, Galliarum partem, Italiæ principatum adipisci in animo habeat? ac Regis ærumnis, & calamitate ad res suas amplificandas, extollendasque fortunas usurus sit? Jam enim fama pervulgatum erat, in sequentem annum, ut de more Augustali corona insigneretur, Cæsarem in Italiam venturum, atque nobilissimæ provinciæ statum ad libitum compositurum. Idque haud difficile Carolo fore plerique arbitrabantur; utpote qui Neapolitanum regnum obtineret, Insubres subegisset, intra viscera Italiæ exercitum victoriæ assuetum haberet; cujus nutum, ac potentiam minores Italiæ Principes sequuturos; urbes, & oppida multa in suam potestatem redacturum; in iis milites, exercitumque distributurum; pecuniæ vim ingentem comparaturum, qua & copias veteres continere, & novos delectus habere posset. Denuo itaque a Clemente, atque a Senatu consulitur, quanam potissimum ratione ab imminentium malorum formidine Italiam liberarent, metuque Italos solverent. Licet enim concordiam cum Cæsareanis Pontifex nuper iniisset; attamen rerum præteritarum memor, quas alte menti Imperatoris infixas esse non ab re verebatur, plus timendum ob insitam Regum, ac Principum ambitionem, dominandi-

1525 que libidinem, quam pactis fidendum esse censebat. Senatus vero Venetus, qui tanquam ex specula libertati Reipublicæ, atque Italiæ semper prospexerat, minime tutum arbitrabatur, res tam magnas, tam ingentes fortunæ, casuique committere, atque iis Italos Principes præsidiis nudatos esse, quibus se, resque suas tueri, ac Cæsaris vastis, quæ ferebantur, consiliis obsisti posset. Huic rei duo præsertim conducere; primum si inter omnes Italiæ Principes societas iniretur; deinde si Ludovica Francisci mater, quæ pro filii libertate solicita nihil non factura esset, Italorum conjunctis animis, ac viribus, in spem Regis liberandi, quem adhuc arcta Cæsar detinebat custodia, erigeretur: non alienum ab his consiliis Franciscum Sfortiam futurum; cum præcipue post tot labores, ac vigilias, quas pro avito retinendo imperio exantlaverat, spes tantum incertas, inanesque captaret: quamvis enim Prorex Mediolanensis ducatus diploma penes se esse palam affirmaret; duodecies tamen centena aureorum millia a Sfortia prius persolvi petebat, ut justis Insubrum titulis imperatoria auctoritate frui liceret; quæ res tantum ejus animo desperationis injecerat, ut nunquam se Mediolano potiturum putaret; ad retinendamque illius possessionem omnia hæc a Cæsareanis inventa esse crederet. Itaque Reginæ matri incredibili filii amore æstuanti, neque diutius captivum ab Imperatore detineri æquo animo ferenti, suadent; nulla ratione facilius voti compotem evasuram, quam si cum Italis Principibus arcto societatis vinculo jungatur; una hac re moras omnes abrumpi posse: Galliis Rege amisso, Italorum disjunctis animis, victoria elatos Cæsaris spiritus nihil non mente moliri, aut sibi polliceri; qui si Italos Principes cum potentissimo regno, fortissimaque gente in Regis libertatem conspirare senserit, tum demum consilia, ac conatus emolliturum. His de rebus cum Alberto Carpensi, qui Regis nomine apud Clementem legati munere fungebatur, agi cœptum est, a quo Laurentius Hetruscus in Gallias per dispositos equos missus est, ut quæ mens Italorum esset Principum, Reginæ significaret; atque ad fœdus percutiendum mandata in Italiam afferret.

*Dominicus Saulus Sfortiæ Orator ad Clementem.*

Interea Franciscus Sfortia Dominicum Saulum Romam miserat, ut Clementi patefaceret, nihil vehementius se cupere, quam

quam ut fœdus pro communi libertate, & incolumitate sanciretur, inconcussaque societate Pontifex, Senatusque Venetus cum Gallis jungerentur: illorum consilia, atque arma sequuturum. Cum vero quæ ad negotium hoc conficiendum auctoritas requirebatur, a Laurentio Hetrusco allata non fuisset, ab Alberto Gallorum Oratore secreto Sigismundus, horum consiliorum particeps, ad Reginam mittitur, atque eodem tempore Episcopus Bajucensis, qui Reginæ nomine Orator Venetias venerat, una cum Ambrosio Florentio ordinario legationis munere fungente, omni studio a Senatu contendebat, ut quam primum Sigismundo e Galliis regresso, in fœdus, & societatem cum Italis, Gallisque descenderet. Ad hæc Patres, Pontifice cum Florentina republica ac Francisco Sfortia consentientibus, ab iisdem consiliis non discessuros pollicebantur. Ea mirum in modum a Pontifice probabantur, veteribusque cum Ferrariensi Duce dissidiis, recentibusque injuriis compositis, eadem adstringi societate non renuebat, atque his præsidiis Italiam conservari posse censebat. Ferunt, Ferdinandum Davalum auctoritate, & disciplina militari conspicuum, tot egregie in Italia pro Cæsare gestis, ac recenti victoria priscorum ducum laude æquata, cum sibi parem gratiam minime referri ægre ferret, palam de Carolo conquestum: id Hieronymo Morono, in quo viro Franciscus Sfortia omnia consilia, mentemque reposuerat, aditum a Cæsare Davalum alienandi aperuisse, magnisque illi propositis præmiis, ut Italis Principibus accederet, suasisse; ab his ingentia virtutis decora expectari posse, totius exercitus imperatorem futurum, Neapolitanumque regnum adepturum: ab ea re, modo absque dedecore, & proditionis nota confici posset, non abhorrere Davalum præsetulisse, juris civilis, pontificiique doctores consuluisse; liceretne Neapolitano homini, & Cæsari subjecto, Pontifici, qui supremum jus in Neapolitano regno obtineret, absque dedecore, fideique labe, adhærere: illos vero, non modo licere, verum Pontificiis mandatis parere, civili, pontificioque jure cogi, respondisse.

1525

*Episcopus Bajucensis Galliæ Orator ad Venetos.*

Rerum, quæ in Italia agerentur, incertis rumoribus in Hispaniam perlatis, Cæsar, quid de captivo Rege agendum esset, frequentia consilia habere cœpit; atque ii, quibus dicendæ sen-

*Cæsaris cōsilia de Rege liberādo.*

1525 tentiæ facultas erat, in diverſas partes ſcindebantur. Cum enim maxima ex Regis Gallorum captivitate commoda comparare ſibi in animum induxiſſent; nempe, ut Burgundionum provinciam opulentiſſimam, atque in viſceribus Galliæ ſitam, quæ olim Cæſaris majoribus obtemperaſſet, illius imperio adjicerent; ac Italiæ, cujus Principes priſci decoris, & libertatis memores exterorum nomen ſemper inviſum habuerant, fræna injicerent, ut nullo reluctante, in ea dominari poſſent: his potiſſimum Pontificis, Reipublicæque ſocietatem, quorum auctoritatem, vireſque reliqui Principes ſequuturi erant, adverſari intelligebant: neque enim Gallos Principibus Italis ſuffultos a ſuis rebus alienis conditionibus aſſenſuros; neque Italos in ipſorum perniciem Regis potentiam imminui paſsuros. Quæ res difficultatis plurimum conſulentium animis offuderant, ut non ſatis ſeſe explicare poſsent; cum præſertim Franciſcum Regem dixiſse ferretur, trium optionem Carolo facere; aut ſe æterno carcere vinctum teneret; aut inſigni liberalitate priſtina libertate donaret, ſe tanti beneficii memorem, ac gratum in omni vita futurum; aut, ſi tanta Burgundiæ potiundæ animum Cæſaris cupiditas invaſerit, ut e vinculis ſe eximat, conceſsurum; amicitiam nulla ratione initurum; ſed omnia hoſtilitatis ſigna editurum. Verum cum, ut morem Regi mater gereret, filiumque miſera detentum captivitate ſolaretur, una cum duobus legatis Pariſienſi Præſide, ac Ombruni Epiſcopo, Margaretam filiam Franciſci ſororem, nuper Carolo Alenconio Duce defuncto, viduam, mittere in Hiſpaniam decreviſset; ejus adventu amicitiæ reconciliandæ, ac firmandæ pacis rationes inveniri poſse ſperabat. Interim Rex carcere, animique ægritudine confectus in morbum incidit, cujus vi ad interitum pene redactus fuit; ita ut Cæſari Segobiæ exiſtenti nuncius advenerit, ſi Regem videre, atque alloqui vellet, quam celerrime Madritum proficiſceretur: qui, licet jam animo ſtatuiſset, Franciſcum non niſi amicum allocuturum; rei tamen novitate perculſus ſtatim eo convolavit, atque cubiculum, in quo Rex ægrotabat, ingreſsus, cum ad lectulum propius acceſſiſset, humaniſſimis verbis uſus, illum ad priſtinam ſanitatem, ceteris ſepoſitis curis, recuperandam eſt adhortatus. Ex eo colloquio plurimum Regem recreatum, medicos in ſpem ſuæ ſa-

*Franciſci Regis ægritudo.*

luris

lutis erexisse. Die crastino rursus invisente Carolo, Regem 1525
dixisse ferunt, *se jam confessionibus animam expiasse; Divinum Eucharistiæ Sacramentum percepisse; se jam omnium mortalium fini propinquum esse intelligere: quapropter Cæsari filios mirum in modum commendare; illius esse magnanimitatis tueri ipsos, ac fovere; rogare, ne ab iis præterquam justa, & honesta postulet*. Carolus Regem consolatus ad bene sperandum benigne erexit.

Interea Margareta Regis soror ex Galliis per Valentiæ fines Madritum supervenit, Cæsaremque obvium habuit, atque illam ingentem animi dolorem lachrymis, & ejulatu testantem cum humanissime excepisset, ad Regem perduxit, Toletumque reversus est. Rege vero, licet varie vi morbi conflictato, modo ad interitum, modo ad salutem vergente, pristinam valetudinem tandem adepto, ut quamprimum de pacis conditionibus a legatis, ac Margareta ageretur, Cæsaris præconsultores laborabant, veriti, ne humano aliquo casu victoriæ fructus, captivique Regis occasio e manibus eriperetur; Davalo præsertim suspecta omnia in Italia esse scribente, novaque consilia quotidie adversus Cæsaris dignitatem, imperiumque moliri significante. Verum res summis obvoluta difficultatibus erat, multaque a Cæsareanis petebantur, quæ a Gallis non nisi summo cum dedecore, ac detrimento concedi possent: in iis, ut Burgundionum provinciam libere Cæsari restituerent. Carolo in Italiam ad coronam de more suscipiendam cum exercitu proficiscenti, dimidiam stipendiorum partem persolverent, & cum classe præsto essent: copiis, quæ Gallis militabant, Imperator in Italia, aut Germania, aut adversus quos sibi, aut fratri Ferdinando collibuisset, uteretur: ab iis, quibus nunc amicitiis, ac fœderibus adstrictus esset, Rex abstineret; neque in posterum nova inire, nisi arbitratu Cæsaris, posset. His indignissimis conditionibus Galli nulla ratione assentiebantur: nam quod ad Burgundiones attinet, remittere Carolo non abnuebant; dummodo Gallorum, & Cæsaris in ea provincia jura dispicerentur, ac lege ad quemnam spectaret, disceptaretur. Sed nihil æque commovit, quam illud, quo amicos, fœderatosque suos Regem deserere præcipiebatur: hoc uno Gallorum gentem in servitutem conjici; hoc

1525 nobilissimum, ac potentissimum regnum, quod egregia omni ætate pro amicis, fœderatisque suis facinora suscepetit, æterno dedecore affectum maculari: in cunctos semper beneficum, ac munificentissimum Principem ingrati animi aspergi nota; cum ab iis, a quibus in omni fortuna adjutus, cultusque sit, turpiter desciscere cogatur, brevi ex amicis hostes evasuros. Re itaque infecta, Regis soror in Galliam revertitur.

Sed duo potissimum hac tempestate acciderunt, quæ Gallorum maxime rebus favere visa sunt: primum, quod Henricus Angliæ Rex, licet Carolum ingentibus promissis onerasset, se, exercitu trajecto mari in media Galliæ viscera immisso, cuncta devastaturum, ac præsenti occasione, qua omnia in pavore, & fluctuatione consiliorum versabantur, ad suum, Imperatorisque imperium augendum usurum; attamen, ut sunt incerta Regum consilia, & plerumque magis ad propriam utilitatem, quam ad fidei constantiam exigi solita, nimia Cæsaris felicitate commotus, veritus, ne Gallorum fractis viribus, ac imperio debilitato, gradum sibi ad totius reipublicæ Christianæ principatum strueret, clam cum regina pepigerat, & Imperatore relicto, ad amicitiam cum Gallo redierat: quæ res summopere Cæsareanis molesta fuit. Alterum vero, quod quotidie nuncii in Hispaniam perferebantur, Italis Principibus suspecta omnia consilia Cæsaris esse; inter illos societates initas fuisse; militum delectus haberi; comparari exercitus; nihil prætermitti, quo minui potentia Cæsaris, viresque in Italia frangi possent. In primisque Davalus Carolum monebat, ne diutius ancipiti consilio tempus tereret; hoc rerum statu in dies copias evanescere; auctoritatem, dignitatemque Imperatoriam contemptui esse; cuncta denique in pejus labi; suspensos Italorum animos suspicari, hæsitare; in agro Romano quatuor peditum millia ab Anguillariæ Comite coacta; Helvetios in procinctu esse, ut in Galliæ Cisalpinæ plana descenderent, ut, si quid humani Francisco Sfortiæ, qui tum gravi morbo distinebatur, accidisset, Maximiliano ejus fratri Insubrum imperium deferretur: cum Republica nondum fœdus percussum fuisse; copias illi & numero, & virtute non parvas, neque contemnendas esse; petere, ut quam maxima sibi argenti, aurique vis mitteretur, ut milites continere, ac si ita

oc-

occasio ferret, exercitum augere posset. Constans fama fuit, Ferdinandum Davalum animo erga Italos infensum, Hieronymo Morono callide in suam amicitiam illecto, solerter ab eo Italorum Principum consilia exquisivisse, atque ob id alienum se a Carolo animum gerere simulasse; multa cum illo colloquia adversus Cæsarem sevisse: hoc astu multa Cæsari significasse, ex quibus postea ea subsequuta sunt, quæ majoribus periculis Italiam, totamque Christianam rempublicam implicarunt. 1525

His acciderat, ut qui Cæsari a consiliis essent, in diversas sententias distracti jam eo omnium rerum summam redegissent, ut; vel cum Gallo aliqua concordiæ ratio inveniretur, ut mox Italiam subigere, ac suo arbitratu moderari Cæsar posset; vel ex Italorum Principum animis omni suspicionum nube discussa, illos in societatem reciperet, Gallosque cogeret, ut si Regis libertatem vellent, a Carolo leges amicitiæ, & pacis acciperent. Priori sententiæ Carolus Lanojus Prorex, atque Ugo Moncata præcipue favebant, quod absque Gallorum societate nihil egregii a Cæsare agi posse contenderent; Rege amico, reliquorum Principum potentiam, ac vires minime pertimescendas, vel belli impetu, vel pacis torpore totam Italiam demum in sui potestatem casuram; provinciam, urbium nobilitate, populorum numero, omnium rerum copia, ac situs præsertim opportunitate, cunctis non Europæ modo, verum totius orbis regionibus præferendam, qua Romani rerum domini, priscique Imperatores gradum ad terrarum orbem subigendum, monarchiamque statuendam struxerunt. Quæ cum ea tempestate fere omnis Cæsari pareret, & quod reliquum in ea esset, ex plurimorum Principum finibus, viribusque penderet; quis ambigat, inquiunt, Gallis vel faventibus, vel non repugnantibus, brevi Cæsaris imperio adjectum iri? Sfortiane beneficiarius Cæsaris imperata facere recusabit? Is vero si, ut fertur, reliquis Italis adhæsit, ut omnem errati a se culpam amoveat, maculamque, si qua infectus est, detergat, ac deleat, a Cæsaris majestate, nutuque pendebit. Quis vero nesciat, Pontificem pecunia, copiis parum posse; urbes factionibus divisas; subditos male animatos; oppida minime munita, nullum Cæsari negotium facturum? Superesse tantum Ve-

 netam

1525 netam Rempublicam, quæ licet terra, marique satis amplum imperium obtineat, unde pedestres, equestresque copias comparare, & classes instruere possit, Imperatori, ac Regi conjunctis obsistere quî poterit? Cuncta idcirco Caroli fortunæ, ac felicitati prospera eventura: neque vero ambigi posse, Regem ab hoc consilio non aversum fore; cum nullo sui regni detrimento, quod maxime concupivit, sed aliorum damno libertatem consequuturus sit; qua insigni Cæsaris magnanimitate, ne ingrati nomen subeat, devinctum perpetuo futurum.

Alii, in quorum numero magnus Scriba, & Magister, ambo Italia orti; ambo odia, & simultates cum Prorege exercentes, Gallisque natura infensi, Imperatori suadebant, ut Italos Principes sibi benevolentia, arctoque fœderis vinculo necteret: Regem spe, atque auxiliis Italorum destitutum imperata Cæsaris facere coactum iri, qui hucusque nobilissimæ provinciæ humeris sustentatus flectere animum ad Caroli postulata renuerit: non alia re magis aut Burgundiones in potestatem redigere, aut firmioribus radicibus suam potentiam coalescere posse, quam si Italos benigne complectatur, Gallos vi cogat, illorum societate firmum in Italia imperium, tutumque ab hostibus habiturum. Contra a Gallorum gente semper sibi pertimescendum, quæ natura impatiens, novarumque rerum appetens, bella e bellis serere solita sit; atque Hispanorum æmula, ac fortunæ Caroli adversa, nunquam quietura sit, donec cuncta sanguine, cæde, excidiis urbium, & cladibus populorum redundarint; Rege præsertim, tot viris suæ gentis amissis debilitato, recenti victoria fracto, captivitate, diuturnoque carcere fesso, cujus rei memoriam nunquam sibi ex animo elapsuram, cunctaque ad ultionem consilia, vires amicos paraturum. In hanc sententiam vergere Cæsar, præconsultores fere omnes, uti tutiori adhærere, eo actiones omnes dirigere.

Itaque Michaelem Herreram, Alcantaræ ordinis Equitem, in Italiam mittunt, virum & Italicarum rerum peritia probatum, & disciplinæ militaris gnarum. Mandant, ut Cæsareanos duces Davalum, Vastium, Levam adeat, mentemque Imperatoris significet: Romam deinde ad Clementem proficiscatur;

tur; quæ in Hispania cum Laurentio Salviato Legato acta, 1525
pactaque sint, exponat; ut iis assentiatur, a Pontifice postulet. Eidemque in mandatis dant, ut Cæsaris sententiam de fœdere cum Venetis incundo Hieronymo Caracciolo patefaciat: hac ratione ex Italorum Principum animis dubitationem omnem eximere, fluctuantemque Italiæ statum firmare rati. Pontifici suadere nitebantur; numquam aversum Imperatoris animum a pace Italiæ fuisse; statim commisso ad Ticinum prælio, elatum victoria exercitum, robore, numeroque militum præstantem, ne bellorum facibus florentissima provincia æstuaret, cohibuisse; eamdem illi insidere mentem, pacatam Italiam, felicemque exoptare. Quod vero nonnulli ipsius adventum ad coronam ex vetere instituto suscipiendam reformident, vereanturque, ne si armatus Italiam ingrediatur, novas res moliri, præsentiaque turbare velit; pellere se e mentibus omnium vanos hosce timores velle profitetur: non ingentibus copiis, classibusque; sed exiguo comitatu in Italiam venturum, ut more majorum inauguretur, nemini molestiam illaturus. Tum si, ut maxime cupit, cum Italiæ Principibus pacem, societatemque sanciverit, concordiam cum Rege inierit, Hispanos milites omnes ex Italia amoturum pollicetur, & adversus religionis hostes in Africam missurum. Ad hæc perficienda ducentorum aureorum millia exposcere, quæ, non nisi conscensa classe, militibus quinque portionibus persolvantur, a Cæsare una, a Pontifice altera, tertia a Republica, quarta a Mediolanensi Duce, ac Florentinis, quinta a Lucensibus, Genuensibus, ac Senensibus: Venetis abnuentibus, pro quarta parte a reliquis portio Reipublicæ pendatur: atque ut omnis dissensionum seges amputaretur, quæ ex Mediolanensi ducatu sæpius orta, potentissimos Principes ad arma incitaverat, atque in Insubrum provincia, veluti campo, cæde, sanguine, ingentibusque cladibus certantes exercuerat, si fato Francisco Sfortiæ modo ægrotanti aliquid contigerit, Carolus Borbonius Dux constituatur, qui a fœderatis communibus armis, ac viribus tueatur: verum pristinæ saluti, atque incolumitati Sfortia restituto, quam sibi videbitur, uxorem Carolus assignet. Tandem de Regiolepido, Ruberiaque oppido cum inter Pontificem, ac Cæsarem jam diu contro-

ver-

1525. versia fuerit, ut iis amicorum decreto finis imponatur, utrinque assensum est: & quadraginta interim nummorum millibus Clementi oppignerentur. Hæc illorum summa fuit, quæ Cæsaris nomine cum Pontifice agebantur.

Hieronymum vero Caracciolum, qui de novo cum Venetis fœdere ineundo sedulo agitabat, acriter urgent, ut omnibus amotis impedimentis, rem perficiat. Tribus porro capitibus, quæ in controversia erant, contineri videbantur: primum, cum ex priori fœdere ad Franciscum Sfortiam in Mediolanensi ditione retinendum, & conservandum Senatus cum octingentis cataphractis equitibus, sex mille peditibus, certoque tormentorum bellicorum numero teneretur; petebant Cæsareani, ut copiarum loco pecuniæ vim certam penderet. Eam rem plurimis de causis probare Patres non poterant: neque enim e dignitate Reipublicæ censebant, ut quæ superioribus bellis suis copiis, Ducibusque præclara multa egisset, illius nunc societas pecuniæ tantum eruendæ causa requireretur; plurima semper obtentui Cæsareanis futura, quibus ad illorum exercitus alendos, ac sustentandos aurum, argentumque flagitarent. Belli rumoribus, ac suspicione emittere exercitus, duces, legatos, imperatores pro finibus, pro agris, urbibus, oppidis tuendis oportere, quæ fieri absque pecunia nequeant: ea cum maxime indigeas, aliis suppeditare qui possis? Alterum vero de exulibus, & eorum, qui superioribus annis a Republica defecerant, Maximilianoque adhæserant, bonis restituendis, erat; quæ Cæsareani in eorum gratiam concedi petebant, neque a Republica facile admitti poterant, cum fisco adjudicata, & sub hasta a magistratibus venumdata ad aliorum manus pervenissent. Tertio capite petitiones pecuniæ continebantur, quam Prorex a Republica postulaverat, quod illius copiæ Ticinensi prælio non interfuissent. Verum, ut amputatis difficultatibus, neque copiarum loco pecunias exigeret, neque de extorrum bonis restituendis verba faceret, Caracciolo mandatur, illam tantummodo, quam vellet Senatus, aureorum summam Cæsari persolveret.

*Hieronymi Moroni captivitas.* Eodem die, quo per Herreram hæc in Italiam perlata sunt, qui fuit iiij. nonas novembris, nuntii de Hieronymi Moroni captivitate, ac magna rerum apud Insubres mutatione supervene-

venere. Dum enim ea, quæ diximus, in Hispania agebantur, cunctaque in Italia suspicionis plena essent, Ferdinandus Davalus exercitum, qui æstate in Taurinis stativa habuerat, in Mediolanensem agrum duxit; cumque Novariam pervenisset, statim Hieronymum Moronum per literas vocavit, qui licet novitate rei permotus plura animo volvere, & agitare cœpisset; nunquam tamen adduci poterat, ut aliquid adversus se moliri eum arbitraretur, quem amicum semper expertus fuerat. Itaque etsi initio moras nectere, ac differre statuisset, illius adventum denuo flagitante, & si qua in Moroni animo hæsitatio orta fuisset, depellere Davalo adnitente, Novariam se contulit; atque hilariter exceptus, variis de rebus cum illo loquutus, cum discedere vellet, a militibus, Antonii Levæ jussu, comprehenditur. Hujus rei nuncio ad Franciscum Sfortiam delato, vix dici potest, quanto animi mœrore, ac consternatione repente dejectus sit. Tamen ut suis prostratis momento rebus opem ferret, illico Jacobum Philippum Saccum ad Davalum proficisci jubet; illum a cœptis desistere suadeat; suum erga Cæsarem obnixum studium, animique observantiam testetur; mirari, quod Moronum, virum de se optime meritum, cujus opera bello, paceque usus sit, in carcerem conjectum detineat. His auditis, respondet Davalus, se Sfortiam hortari, ut civitates, munitioraque Insubrum oppida Cæsaris nomine suæ custodiæ committat; sic enim (qua ipse ajebat) mente erga Carolum fuerit, cognita, a justissimo Principe illius fide, ac propensa voluntate, sedatisque Pontificis, & Reipublicæ Venetæ suspicionibus, quæ non obscuris rumoribus undique ferebantur, fore, ut egregio auctus fœnore, cuncta Cæsaris munificentiæ, ac liberalitati accepta referat: ni id faciat, vi illum, & armis ad rationem redacturum minatur. Repentino, ac inopinato eventu commotus Franciscus Sfortia, cum neque consilio, neque viribus par Davalo ad obsistendum foret, qui exercitum in Insubrum visceribus habebat, Italosque Principes ad tantam belli molem, quæ jam Italiæ impendere videbatur, sustinendam impares esse intelligeret, satius tempori cedere, quam præcipiti consilio adversæ fortunæ aleam subire existimavit. Itaque Insubrum cuncta oppida, civitatesque, Medio- 1525

1525 Mediolani, Cremonæque arcibus exceptis, quas ad sui corporis tutelam retinere affirmabat, Davalo permisit: hac ratione illius mentem lenire, ac si qua Cæsaris animo de illius fide suspicio hæserat, delere arbitratus. Fefellit Principem opinio: nam illius vel facilitate, vel imbecillitate, vel, quemadmodum ipse præseferebat Davalus, ob auctam suspicionem, majora postulare, ac omni imperio exuere Sfortiam statuerat; ut tandem ab adhortationibus ad vim, atque arma deventum sit. Nam Ticino egressus cum ducentis cataphractis, trium millium peditum numero, magna leviorum equitum manu, decem & octo æneis machinis, Mediolanum Davalus ingreditur, Ducique, qui se intra arcem e gravissimo morbo convalescens continebat, significat, eo se animo urbem introiisse, copias immisisse, ut arcem nomine Cæsaris recipiat: quocirca quamprimum sibi illam, uti Caroli personam gerenti, tradat, extrema alioqui omnia, nisi obtemperet, passurum.

Indigna res, ac intoleranda videbatur, Principi, tota adnitente Italia, in avitum dominatum restituto, indicta causa, imperium, ac libertatem eripi: erumpere jam, ac in lucem prodire Cæsareanorum consilia, qui opportunum augendæ potentiæ tempus nacti, modo Gallos, modo Italos eludendo, cunctationibus distentos eo adegerint, ut veteris gloriæ, militarisque virtutis obliti, impune grassantes Hispanos, & per omne nefas ruentes perferant, nobilissimæ provinciæ cervicibus jugum imposituros. Verum Franciscus Sfortia tot rerum angustiis undique circumseptus Davali postulatis nulla ratione obtemperare statuit; ac ne mentem insolentis viri obfirmatam ad majora, & periculi plena facinora impelleret, modeste respondet; suam erga Imperatorem observantiam, nullis aut præmiis, aut metu concussam fidem commemorat: duas sibi tantum Mediolani, Cremonæque arces reservasse; reliqua illi permisisse, non ut hoc facto Cæsaris commodis, gloriæque officeret; sed ut vitam aliquando pro ipso objiciendam incolumem tueretur. Non preces, non officia, aut obsequia apud Davalum valuere, quominus in sententia obstinate permaneret; majora etiam, atque intolerabiliora flagitaret: arcem nempe Cremonensem dederet; Mediolanensem quamprimum traditurum polliceretur; Joannem Angelum, primarium a secre-

tis

tis virum, ea de causa obsidem traderet. Ad hæc Sfortia, 1525
arces nullo firmiori præsidio, quam suæ erga Cæsarem fidei inniti posse; Joannem vero Angelum ab se discedere non permissurum respondet: petit, ut sibi certos ad Carolum homines ad illius exquirendam sententiam mittere liceat; in ejus postea voluntate futurum, ac quodcumque illi libuerit, libenti animo facturum. His auditis, Davalus, ne Sfortiam desperatione actum in præceps aliquod consilium impelleret, a priori severitate specie tenus deflexit: postulat, ut Cremonensem arcem jurejurando Imperatori obstringat, eodem sacramenti genere Mediolani civitas adigatur; ipse arcem Cæsaris nomine retineat, ab illa minime recessurus; hæc nisi præstet, quod illi onus, fides, dignitasque imperatoria imposuerit, continuo facturum. Interea Franciscus Sfortia, quæ a Davalo agerentur, Pontifici, Senatuique Veneto significaverat: summa cum indignitate, ac periculo fœderatum Ducem obsideri; nullis precibus, ac promissis flecti Cæsareanos posse; cuncta Insubrum oppida Davali libidini exposita esse; quod unum ad retinendam speciem aliquam Principatus superesset, Mediolani nempe, ac Cremonæ arces poposcisse; urgeri milite, equite, tormentis militaribus, & ne vitam quidem trahere, nisi cum summo dedecore, ac periculo posse: jam servitutem totius Italiæ portendi: in se ipsum modo tela conversa; mox cunctos Italos Principes petitura: subveniant itaque socio, quemque auctoritate, ac viribus in imperium evexere, non modo imperio, sed libertate, fortunis omnibus, vita denique ipsa exui non patiantur: id Pontificem in primis, qui magnam inter mortales auctoritatem obtineat, nec minus Venetam Rempublicam decere, quæ amicos, fœderatosque suos nullo unquam tempore deseruerit; sed præclaro liberalitatis, & magnanimitatis exemplo adjuverit, ac sustentaverit.

Eventibus his rerum novarum periclitantis Italiæ permotus Senatus, Henricum Angliæ Regem, quem nuper Gallis fœdere junctum auctoritate, ac potentia plurimum posse constabat, nimiamque vel Gallicæ, vel Hispanicæ gentis in Italia potentiam æque suspectam habebat, de iis, quæ in Insubribus acciderant, certiorem facit; quantumque non modo Italia, verum universa Christiana Respublica his dissidiorum facibus in-

cen-

1525 cendium conceptura ſit. Captivitate regis de toto orbe optime meriti Cæſarem ſibi gradum ad ſummam inter omnes Principes obtinendam auctoritatem, imperiumque ſtruxiſſe: vi cuncta Mediolanenſis ditionis oppida occupaſſe: præſidia impoſuiſſe: Ducem in arce obſideri, ut illo ejecto, ſolus ceteris leges præſcribat, atque ſibi aditum ad invadenda reliqua patefaciat: Scire, libertatem, pacemque Italiæ regem ſemper optaſſe, maximam afflictis Sfortiæ rebus toti huic provinciæ, atque adeo univerſæ reipublicæ Chriſtianæ opem laturum. Et ne aliquod officii genus cum Carolo prætermitteretur, cum Pontifex Capinum Mantuanum in Hiſpaniam citato itinere miſiſſet, ut de ſingulis rebus legatum commoneret, conceptamque, ſi qua foret in Cæſaris animo, de Italis Principibus ſuſpicionem dilueret, Andreæ Naugerio ſolerti viro mandatur, ut Clementis legato omni in re præſto ſit, nullumque officii genus, quod vel ad Ducem in imperio retinendum, vel ad quietem, pacemque Italiæ conſervandam, & ad Pontificiæ, Venetæque ditionis limites cuſtodiendos ſpectet, prætermittat. Santio vero, & Caracciolo Cæſaris oratoribus fœderis pactiones anxie nimium, ac ſolicite urgentibus Senatuſconſulto reſponſum eſt: Nihil eſse, cur his de rebus agendum ſit, Franciſco Sfortia ſocio, ac fœderato in Mediolanenſi arce obſeſſo, oppidis, civitatibus, libertate denique ipſa per ſummum dedecus exuto: & Alphonſo Santio conquerenti, quod Sfortia Cremonenſem arcem Reipublicæ tradere decreviſset; nihil ea de re Sfortiam egiſse Senatus graviſſimis verbis teſtatus eſt. Dum hæc aguntur, Mediolani militum licentia, rerum inopia, pecuniæ defectu, tumultus, ac ſeditiones obortæ; facinoroſorumque hominum adeo excreverat audacia, ut in magno pavore, ac trepidatione civitas verſaretur, nec ſine vitæ diſcrimine degi in urbe poſset; idcirco Marco Antonio Venerio Oratori Veneto mandatum eſt, ut, Davalo ſalutato, Bergomum, vel Cremam ſe reciperet; qui voluntati Senatus obſequutus ab Epiſcopo Bajucenſi accepit, ſibi a Rovadante familiari mentem Reginæ ex Galliis perlatam fuiſse, quæve cum Italis Principibus pactiones ineundæ forent, intellexiſse: ea omnia ut nutantem Pontificis animum firmarent, Patres illi ab Oratore ſignificari voluerunt.

*Senatus mandata ad Naugerium legatum.*

*Venetorum reſponſio Cæſareanorum oratorum petitionibus.*

Erat

Erat sane in Pontifice summum libertatis, dignitatisque Italiæ desiderium; neque pati æquo animo poterat, ea se tempestate Ecclesiæ, Reipublicæque Christianæ præfectum fuisse, qua aut Imperatorum potentia semper Pontificibus adversa, maxima in illius auctoritatem, atque Italiæ perniciem incrementa esset susceptura; aut armis de utraque acerrime decertandum foret; quorum alterum Hispanorum; alterum Gallorum amicitia paritura videbatur. His curis undique fracto, atque in varias partes versanti nihil præsenti tempore ad tuendum imperium, dignitatemque opportunius videbatur, quam ut Senatum Venetum, Florentinamque rempublicam sibi adjungeret: quæ consilia cum a Venetis mirum in modum probarentur, Marco Foscaro facultas, qua Reipublicæ nomine fœdus percuteret, concessa est. Illius summa hæc fuit. Cum Christianæ reipublicæ pacem, Italiæ libertatem Summus Pontifex omni studio, ac sedulitate procuraverit; in Senatu Veneto eamdem erga bonum publicum propensam voluntatem, & curam innumeris argumentis perspectam, ac testatam animadverterit; tot, tantisque periculis, armisque circumseptam nobilissimam hanc provinciam inspiciat, alique intra reipublicæ Christianæ viscera virus cito in omnium perniciem, ac detrimentum evasurum: nihil æque tot malorum, ac ærumnarum ingruentium viribus obsistere posse, quam arctiori fœderis, atque amicitiæ vinculo Summus Pontifex, Veneta Respublica, Florentinique jungantur. 1525

Pactiones ejusmodi fuere. *Pro mutua defensione Pontifex, Venetus Senatus, ac Florentini arma sumunto: inimicos, neque consilio, neque pecunia, neque armis juvanto. Pontifex cum Florentina Republica pedites quatuor mille, cataphractos quadringentos, leviores equites trecentos: totidem copias Senatus Venetus habeto. His dignitas, jura, imperium adversus quoscumque Christianos Principes, licet supremo bonorum fastigio præfulgeant, tuentor. Si majoribus copiis opus fuerit, pro facultate una pars alteri non deesto: rebus postulantibus, spiritualibus telis Pontifex utitor. Respublica terra, marique eidem adsistito: alia fœdera absque alterius consensu non ineunto; quæ his adversentur, pro irritis habento. Ut Venetæ reipublicæ amor, quo semper Mediceam familiam amplexa est,*

*augea-*

1525 *augeatur, incorruptusque in posteritatem omnem dimanet; præsentem illius statum, atque amplitudinem defendito, atque illius præsertim, quem Clemens familiæ caput, principemque in Florentina republica constituerit; præsentem reipublicæ formam, familiæque dignitatem labefactari nitentes repellito. Ut vero parem Reipublicæ gratiam Summus Pontifex referat, Mediceam familiam in fide, & devotione solita, filialique observantia erga illustrissimum Dominium perpetuis temporibus mansuram pollicetur: a quo summa benevolentia, & caritate complexum iri, sartam, & tectam a cunctis periculis servandam fore, pro certo babet*. Hæc a Clemente, & Venetis agebantur.

Ceterum regis Galliarum mater de iis, quæ a Cæsareanis in Insubribus gesta fuerant, certior facta, quæcumque ad dignitatem, & incolumitatem Italiæ sustinendam spectarent, præstaturam, Gallorumque gentem semper Catholicæ Ecclesiæ addictam, discrimen omne alacri animo subituram, per Bajucensem Episcopum Clementi pollicetur. Qui licet mente ad libertatem, decus, auctoritatem Italiæ tuendam propensus admodum esset; in illo tamen vis animi, ac vigor ad cepta consilia perficienda desiderabatur; cum parvo momento instituta consilia vel levi aliquo rerum eventu perturbatus commutaret, ancipitique consilio inter rerum maximarum successus fluctuaret: modo probare, modo improbare; neque se ex difficillimis anfractibus explicare posse. Hinc accidit, ut Michaele Herrerio, de quo supra diximus, Imperatoris nomine propediem in Italiam venturo, duorum mensium cum Cæsareanis inducias fecerit. Interea vero Franciscus Sfortia a Davalo in arce obsidebatur, exercitu maximis populi vociferationibus atque ærumnis per domos civium in urbe disposito. Nec dum, quæ mens Cæsaris erga Italos esset, rege adhuc captivo, illius ducibus divina armis, humanaque miscentibus, satis conjici poterat, plerisque opinantibus mora, & cunctatione Principum animos distinendo id assequi velle, ut iis torpentibus, devictis Insubribus, per suos fines in Neapolitanum regnum tutum iter patefaceret; inde Tridento in Germaniam copias immittere, nullo obsistente, posset; atque eodem tempore Italos, Germanosque, gentes libertati assuetas, imperio, & auctoritate coercere.

*Induciæ duorum mensium inter Clementem, & Cæsarē.*

*Sfortia in arce Mediolani a Davalo obsidetur.*

Sena-

Senatus vero in hac rerum omnium perturbatione nihil, quod ad Reipublicæ dignitatem, atque amplitudinem, ad Italiæ libertatem, decusque spectaret, prætermittebat: singulos rerum eventus solida prudentia expendere; diu, noctuque de gravissimis rebus agitare; summo studio, cunctisque nervis adniti, ut regi libertas restitueretur. Idcirco cum cardinali Eboracensi, summæ apud Henricum Angliæ regem existimationis, penes quem totius regni administratio erat, sedulo agebat; suadebat, ut regem ad Italorum principum causam auctoritate, & viribus sustinendam impelleret: hortaretur, ut Galliæ reginam ad fœdus cum Italis, nulla mora injecta, sanciendum urgeret; cui sane si illius potentia, atque auctoritas accessisset, fore, ut statim Carolus regem libertate donaret. Clementi in rebus communibus conservandis, in libertate, ac dignitate Italiæ retinenda suum studium, mentemque significat; ut enixe in idem animum intendat, vehementer hortatur. Plerique, non inanibus consiliis, non reliquos principes permovendo, saluti atque incolumitati publicæ satis consultum iri, dictitabant; sed vires Reipublicæ augendas, atque in tot, quibus Italia jactabatur, fluctibus, priscæ virtutis spiritus sumendos: constantia, ac fortitudine animi opus esse, qua tantum proteri imminentia pericula, sisti ingruentium malorum impetum posse. Coactoque Senatu, de classe, copiisque maritimis augendis acriter disceptatum est, nonnullis creandum classis imperatorem, quinquaginta triremes statim e navalibus educendas, quæ reliquæ classi adjicerentur, suadentibus; his imperii Veneti dignitatem, Reipublicæ incolumitatem tantummodo niti: majores nostros turbulentis temporibus vel hoste urgente, vel belli suspicione oborta, nullis sumptibus pepercisse, nullos labores reformidasse, ut quam maximas possent, classes compararent: his devicti, ac debellati hostes, servata patria, partum, atque auctum late patens maritimum imperium; navalibus rebus assuetos cives remotissimas oras adivisse, victricia signa in longinquas regiones intulisse: imperia iis artibus facile retineri, quibus initio parta essent: quonam Cæsaris ambitio, dominandique libido evasura foret incertum: pacis obtentu in Italia flammam belli in dies augeri, Davalum, ac Vastium nihil 1525

1525 hil non in omnium Italorum principum perniciem agitare; Gallos prisci splendoris, atque avitæ virtutis fato nescio quodam pene oblitos, suique regis captivitate stupore defixos torpere, atque elanguescere: classem igitur augendam, imperatorem statim declarandum, hoc tantum everti consilia Italici nominis hostium, ac refringi ausus posse. Alii contra disserebant: non eo loco res esse, ut ingentes sumptus subire, populos tot damnis, atque incommodis afficere, cunctas Venetas exerere vires necesse esset: propediem aliquid certi de Cæsaris sententia ex Hispaniis venturum; neque in hac omnium rerum ambiguitate principes Italos versari diutius passurum: summopere providendum esse, ne Carolus; qui Italis principibus parum fidere videtur, novis suspicionibus adductus, ac ducum consiliis impulsus, hostem se Italiæ patefaceret; verendum esse, ne Galli hos Reipublicæ conatus ad sua commoda verterent, atque ex Italorum Principum conspiratione iter sibi ad regis libertatem summo istius provinciæ damno facerent: itaque in aliud tempus de augenda classe decreta rejici; neque immaturis consiliis momenta maximarum rerum præverti oportere. Senatus frequens in hanc ivit sententiam.

## M. D. XXVI.

1526 PAucis vero interjectis diebus, ab Andrea Naugerio, Reipublicæ legato, literæ xviij. kalen. januarii ex Hispanis supervenere, quibus continebatur, pridie idus decembris pacem inter Carolum imperatorem, ac Franciscum Galliæ regem his conditionibus initam fuisse. *Ut Imperatori Burgundiam rex libere restitueret: id, quamprimum in Galliam reversus esset, regni ordines probaturos pollicebatur. Provocationibus, quæ a Germaniæ inferioris ditionibus fiebant, Parisiensis curia omnino abstineret. Insubrum, ac Neapolitani regni juribus cederet. Cæsari in Italiam ad Augustalem coronam more majorum suscipiendam adventanti sex peditum millibus, cataphractis sexcentis, totidem levioribus equitibus, semestri stipendio persoluto, præsto esset. Pro his servan-*

*Pax inter Cæsarem & Franciscū Regem Galliæ.*

*vandis duos filios , natu majorem , quem in ſpem regiæ ſucceſſionis altum* Delphinum *vocant : ac minorem Andegavi ducem , additis Gallorum procerum duodecim filiis , obſides daret : hoc facto , ſtatim priſtinam libertatem rex conſequeretur* . Atque ut pax firmioribus radicibus niteretur , Heleonoram ſororem , ex Luſitaniæ rege defuncto viduam , matrimonio regi jungendam Cæſar ſtatuit ; Maconenſem , Sonenſemque comitatum dotis nomine tribuit , filiis , qui ex eo connubio orirentur , Burgundiæ comitatum traditurum pollicitus . Per Europam nuntio pacis perlato ; quamvis ex potentiſſimorum principum concordia innumeri fructus ad totius chriſtianæ reipublicæ incolumitatem , atque incrementum emanare poterant ; attamen nemo erat , qui ex pace nuper inita novas bellorum faces exarſuras non extimeſceret . Id vero vel Italiæ ſtatus , vel regis Gallorum exulceratus , ac multis de cauſis commotus animus ſuadebant . Neque enim dubium erat , quin Itali principes , ſi rex promiſſis ſtaret , a Caroli nutu , ac voluntate pendere cogerentur ; quippe qui exercitum in Inſubribus habebat , duces militia inſignes , ac rerum bellicarum peritia claros . Franciſcum Sfortiam jam ſex menſes in arce Mediolanenſi obſeſſum , arctaque adſtrictum cuſtodia tenebat ; atque recenti pace cum Gallo inita , nullum vel ad augendas vires , vel ad imperium amplificandum impedimentum aderat , ut regis auxilio deſtituta Italia pares ad obſiſtendum Cæſari copias afferre non poſſet . Altera ex parte qui ſuperiores Franciſci actiones , & conſilia metiebantur , vix mente concipere poterant , præteritas injurias , acceptas clades , amiſſum in Italia ſatis amplum imperium , impoſitas iniquæ pacis conditiones aut oblivisci , aut æquo animo pati poſſe : nullum neque jusjurandum , neque affinitatis vinculum majorem apud illum , quam ulciſcendæ injuriæ , vel regnandi libidinem , vim habiturum . His de rebus Clemens , Senatuſque Venetus ſoliciti regis animum , voluntatemque explorare decreverunt ; ac cum primum pacem inter Cæſarem , & regem firmatam eſſe Venetias allatum fuit , ſtatim Andreas Rubeus , qui a ſecretis Senatus erat , atque ex uſu maximarum rerum inſignem prudentiam com- 1526

*Andreas Rubeus a Venetis in Galliam miſſus .*

 pa-

1526 paraverat, Gallicamque linguam optime callebat, per dispositos equos ad Ludovicam Francisci regis matrem gratulatum missus est, cum longiori tempore ad mittendos legatos opus foret. Rubeo in mandatis datum, ut Reipublicæ nomine reginæ gratuletur; nihil jucundius, aut optatius Senatui obtingere potuisse, quam Serenissimo, Christianissimoque regi, de toto christiano orbe, ac præsertim de Republica Veneta optime merito, inconstantis, variæque fortunæ tela indigne perpesso, tamdem ingenti animi virtute, invicto robore ingruentes malorum impetus vincenti, felicitatis lumen affulsisse: libertate recuperata, in regnum amplissimum totius Galliæ humeris restituto difficile haud futurum, superiores clades virtute, ac magnanimitate corrigere. Ad hæc injungitur, ut quam solertissime exploret, quænam de sancitis pactionibus servandis regia voluntas futura sit. Demum Reipublicæ vires, classes, ditiones offerat, Senatumque nunquam a rege sejunctum fore polliceatur. Et quoniam Pontifex eadem de causa Paulum Regiensem in Galliam miserat, eidem Rubeo mandatur, ut, quæ ille Pontificis nomine egerit, observatis; si eadem illum mente esse intellexerit, ac illius consilia ipsius mandatis non repugnare persenserit, omnia cum Regiensi communicet, ut eodem tempore, quæ ex utilitate publica sint, conficere possint. Rubeus itaque cum Senatus mandatis iter in Gallias quamcelerrime suscepit.

*Conditiones pacis a Cæsareanis Oratoribus Senatui proposita.*

Interea Alphonsus Santius, ac Hieronymus Caracciolus, Cæsaris Oratores, qui Venetiis erant, se minime a pace, & fœdere cum Senatu Veneto abhorrere ostentabant; nam vj. nonas martii cum Patrum Collegium adiissent, certas ineundæ concordiæ rationes proposuere; quarum capita hæc erant. Nempe ut, expulso Francisco Sfortia a Mediolanensi imperio, Carolus Borbonius dux crearetur, qui eadem auctoritate, viribus, dignitate, qua modo Sfortia, floreret: nihil sane Senatus interesse, uter Insubribus potiretur; dummodo ea in ditione nulli Italorum pertimescendus imperaret. Extorribus cuncta eorum bona restituenda pollicebantur. Ex adverso a Senatu flagitabant, ut quod in fœdere cautum erat, de copiis Venetis pro Mediolanensi tutando

impe-

imperio, id firmioribus legibus ſanciretur, ac pro eo Reſpublica prædes daret. Ducenta inſuper aureorum millia petebant, ac ut Ferdinando Cæſaris fratri debita a Senatu pecunia perſolveretur; ut viciſſim annis ſuperioribus, dum bella recrudeſcebant, utrinque ablata oppida reſtituerentur. Ad hæc Senatus decreto in hanc ſententiam reſponſum eſt. Summo ſemper ſtudio Rempublicam pacem, fœduſque cum potentiſſimo Imperatore amplexatam fuiſſe; in eadem manere ſententia; nec ſibi antiquius aliquid unquam fuiſſe, quam ut Italiæ libertatem, dignitatemque tueretur: hoc conſtituto, cetera abſque ulla difficultate conſecturam. Nam quod ad Ferdinandum attinet; paratam ſe ſolvendo eſſe; dummodo pactionibus ſtetur, atque hinc inde ablata reſtituantur. Quod autem ad reliqua ſpectat, rationes concordiæ non defuturas: unum id hærere cordi, nec divelli a Senatu poſſe, ut Sfortia in Inſubrum poſſeſſione retineatur; ex magnanimitate, aliiſque præclaris, ac nullo unquam ævo interituris actionibus Caroli, ſibi ſuaderi, Imperatorem non paſſurum, ut indigna ſervitute Franciſcus Sfortia liberatus avito imperio ſpolietur; qui ſi (quod vix credi poteſt) adverſus Cæſarem erratum aliquod commiſerit, quæ illius eſt animi magnitudo, ac propemodum divina clementia, Italorum principum, & reipublicæ deſiderium reſpiciet; neque ſtatum Italiæ aliqua in parte immutari patietur. Ea de re, quæ Caroli voluntas ſit, cupere Senatum intelligere; eoſdem legatos hortari, ut omni officio a Cæſare Sfortiam obſeſſum liberari, ac in priſtinum ſtatum reſtitui perſuadeant. In hac incertorum eventuum hæſitatione, ne aliquod officiorum genus erga Carolum, & Franciſcum regem prætermitteretur, placuit Patribus ex veteri inſtituto perhonorificas legationes ad utrumque mittere, quibus pacem partam, affinitatem illuſtri conjugio Leonoræ viduæ Luſitaniæ reginæ gratularentur. Deſignati fuere ad regem Sebaſtianus Juſtinianus eques, qui tum præturam Patavinam gerebat, ac Franciſcus Peſareus: ad Cæſarem Laurentius Bragadenus, atque Antonius Surianus doctor, & eques; quorum alteri, ut functus legatione apud Carolum in Luſitaniam tranſiret, cum Leonora nuptias potentiſſimi regis gratulaturus, in mandatis datum.

1526

*Senatus reſponſio.*

*Sebaſtianus Juſtinianus & Fră. ciſcus Peſareus legati ad Galliæ regem.*

*Laurentius Bragadenus & Antonius Surianus legati ad Cæſarem.*

Interea rex ipſe, datis obſidibus, in ſuum regnum regreſſus,

1526 Bajonam Vasconiæ urbem applicuit; ac statim haud occulta animi indicia patefacere, ingentes mentis impetus vix cohibere; in sermonibus Cæsaris acerbitatem conqueri; severas nimium, ac præduras pacis conditiones inclamare; quæcumque assensione approbasset, cum vi, ut pote captivus, fecisset, irrita existimare. Rubeus de adventu regis certior factus, Bajonam magnis itineribus contendit; ubi a Rubertetto gazæ regiæ præfecto, summæ auctoritatis viro, in Monfortium oppidum, ubi rex erat, deducitur; Senatusque Veneti nomine in amplissimum regnum incolumem reditum mirifice gratulatur; propensam Reipublicæ voluntatem, studium, observantiam in regem cunctis animi, & corporis virtutibus prænitentem, atque adeo in universum Gallorum nomen extollit: in omni fortuna eamdem servasse mentem; prospera omnia non modo optasse, verum etiam quantum in se fuerit, ut res votis responderent, egisse. Ad ea rex perbenigne respondit: Maximas Senatui habere, atque agere gratias; non ignorare quos pro sua libertate labores suscepisset. His dictis, statim sententiam, consiliumque suum Rubeo aperit; multa de Imperatore, illiusque ministris conquestus, decrevisse illatam sibi captivitatis injuriam, ac mala, quæ ex ea perpessus sit, non diutius pati; experiri rursus fortunæ aleam; cunctas amplissimi Galliarum regni vires adversus Cæsarem moturum; nihil prætermissurum, quo potentia Cæsaris refringi, ausus imminui, exardescens in cunctos Europæ principes ambitio retundi queat: vehementer cum Veneta Republica, ac Summo Pontifice fœdus, & societatem exoptare; in id Henricum Angliæ regem consensurum, quemadmodum ex cardinalis Eboracensis literis compertum habebat; atque eam ob causam se legatum propediem in Britanniam missurum; petere a Senatu, ut statim mandata ad hæc peragenda in Galliam, Angliamque mittantur. Hæc omnia quamcelerrime per literas Rubeus Senatui significat; statimque, nulla interjecta mora, xiv. kalen. majas Senatus cogitur, ac summo Pontifici, quæcumque Rubeus de regis voluntate, novoque fœdere ineundo perscripserat, significantur: quæ temporum ratio, quæ Italiæ conditio, armis Cæsareanorum in ejus viscera adactis; Mediolani duce arctiori custodia septo: exquirere Senatum, quænam

nam in summi momenti negotio Sanctissimi Pontificis mens, quod consilium arduis in rebus ab egregia illius prudentia hauriri possit. Pontifex, cui semper Italiæ dignitas, ac libertas, sine qua Pontificia majestas refulgere vix poterat, imis recondita præcordiis fuerat, regis postulatis annuendum existimat; Senatus sententiam, consiliumque amplectitur, eidemque vij. kal. majas significat, se alacri animo fœdus amplecti, atque ad id ineundum Joannem Joachinum in Galliam, & Angliam misisse, Capinumque ad hæc peragenda mandata cum pactionibus transmissurum. Eadem die literæ ad Rubeum scribuntur, Senatum in voluntate regis futurum, libentique animo arctiori hoc fœderis vinculo arma, vires, animos conjuncturum: ad hæc facultas Rubeo publico nomine percutiendi fœderis mittitur; eademque Laurentio Aurio apud Anglum Oratori significantur, & mandantur. Accepta Rubeus Senatus voluntate, Burdegalas totius Vasconiæ caput statim proficiscitur, ut regem alloqueretur, quem tum ibi opperiebantur; ac Proregis Neapolitani nuntio, qui ad firmandas jurejurando pacis Madriti initæ conditiones in Gallias venerat, palam se minime ad ea teneri, quibus captivus subscripserat, professus fuerat, in pactaque jurare recusaverat: atque eo incredibili lætitia perfusus fuerat, cum Rubeum ad se Senatus nomine venientem audiverat. Nam statim Pontificis, Venetique Senatus audita voluntate, in societatem, ac fœdus prompto, ardentique animo descendit; idque in Coniaci oppido ix. kal. junii ictum est; quo Franciscus Galliæ rex, Summus Pontifex, Senatus Venetus, Franciscus Sfortia Mediolani Dux comprehensi fuere. Summa fœderis capita hæc erant. 1526

*Senatus ad Rubeum mandata pro fœdere cum Gallis percutiendo.*

*Fœdus Conjacense inter Franciscum regem ac Venetos.*

*Turbulentissimis temporibus, belli facibus in Italiæ visceribus cuncta depascentibus, ex qua exitiale virus ad reliquas Christiani orbis provincias inficiendas permanare facillime possit, nil tutius, vel ad dignitatem, vel ad utilitatem Christianæ reipublicæ, quam si illi, qui summa auctoritate, viribus, ac dignitate præfulgent, invicem arctioris amicitiæ, societatisque fœdere connectantur, non ad vim alicui inferendam, vel injuriis quempiam lacessendum, sed ad res communes tuendas, ad quietem Christianæ reipublicæ firmandam, ad Italiæ libertatem, decusque retinendum: quo in fœdere Imperatori, Ferdinan-*

L 4

1526 *dinandoque ejus fratri perbonorificus locus, si ipsis libuerit; nec non reliquis Christianis Proceribus relinquatur. Quæ ut effici absque difficultate queant, exercitus in Italia communibus sumptibus alatur; triginta nempe millia peditum: cataphracti duo millia quingenti; leviores equites ter mille cum tormentis æneis; quæ omnia quamcelerrime in promptu sint; tum ad fœderatos tutandos; tum ad coercendos, ac reprimendos, si qui paci publicæ hostes se esse profitebuntur. Ad quæ singuli fœderati tenentur, hæc sunto.*

*Pontifex octingentos cataphractos, septingentos leviores equites, peditum octo millia in armis habeat. Gallorum rex quingentos gravioris armaturæ, in quibus more Gallico mille levioris armaturæ comprehenduntur: ad hæc quadraginta aureorum millia singulis mensibus pro militum stipendiis pendat. Respublica Veneta mille, vel octingentos cataphractos, mille leviores equites, peditum octo millia sub signis habeat. Ac demum Mediolani Dux cataphractos quadringentos, leviores equites trecentos, peditum quatuor millia quamprimum paret; quæ omnia prædictam summam conficiunt.*

*Copiæ usque ad patratum bellum sub ducibus contineantur; donec pristina libertas armis jam diu concussa, Italiæ dignitas restituatur; atque auctores dissidiorum, publicæ pacis hostes, qui fœderatos læserint, adversus decreta, & sanctiones jurejurando firmatas, egerint; vi, & armis alienas ditiones occupaverint; ac demum in fœdus hoc consentire noluerint, penitus retundantur, ac profligentur: quod tum factum esse intelligatur, cum justas copias alere non potuerint, quamvis tunc aliquo oppido potirentur.*

*Quæcumque ad alendos milites erunt necessaria, singuli pro sua portione conferant.*

*Eodem tempore Galli, & Angli, ut ab Italia arma avertantur, adversus fœderis hostes insurgant.*

*Helvetii communibus stipendiis vocentur.*

*Omni studio contendant fœderati, precibusque nitantur, ut Imperator captivos regis filios patri restituat; pacem confirmet: ni id fecerit, intententur minæ, bellum indicatur.*

*Confectis in Italia rebus, duodecim millia peditum, cataphractorum mille, totidem leviorum equitum, aut pecuniæ tantum-*

dem

*dem Regi Principes Itali præbeant, quousque filii obsides a Cæsare dimittantur.* 1526

*Atque ut perpetuo Italiam Galli, Itali Gallias tueantur, decem peditum millia, cataphractorum mille, levioris armaturæ totidem, cum opus fuerit, emittere teneantur: classisque viginti quinque triremium, ac onerariarum navium præsto sit; quarum triremium duodecim Rex, tredecim Respublica instruere teneatur. Si Provincia armis petatur, classem Rex avocare queat.*

*Franciscum Sfortiam in quieta Mediolani ducatus possessione relicturum: cum fœderatorum exercitu adversus Imperatorem, ac Ferdinandum ejus fratrem defensurum Rex sanctissime spondeat. Dux e contra auxiliis Gallias juvare, si opus fuerit, teneatur: numerus copiarum consimilis sit: quotannis pro viribus, expensisque regiis illam auri summam pendat, quæ Pontifici, Angliæ Regi, Venetoque Senatui videbitur; atque ea non minor quinquaginta aureorum millibus esse queat: Maximilianumque ejus fratrem pro familiæ dignitate, propriaque existimatione alere teneatur.*

*Quibus ob sequutas Regis partes bona fisco adjudicata, quique patria privati sint, omnia libere restituantur.*

*Ex cognatione regia uxorem Sfortiæ se præbiturum, judicio Henrici Angliæ Regis, promittat; daturumque operam, ut Helvetii fœdere cum Duce ad Insubres tutandos conjungantur.*

*Si Dux fato concesserit, Maximilianum ejus fratrem ejus loco habiturum; pacta, promissaque præstaturum.*

*Astensis Comitatus, utpote a Mediolanensi ducatu sejunctus, in Aurelianensis Ducis hæreditate sit: Regi, aut Duci ejus filio restituatur; qui quousque adolescentiæ annos excesserit, ad fœderatorum nutum administretur.*

*Et quoniam Genuæ civitas, vel situs opportunitate, vel portuum copia, maximum semper ad Italiam perturbandam momentum afferre visa est, si ita Regi placuerit, vel Antonio Adurno duce ad fœderatos declinante, summa Reipublicæ illi potestas, quam modo retinet, relinquatur; aut Genuensis Reipublicæ statu immutato, leges paci, & securitati Italiæ non adversæ dicantur, Rege supremum jus in civitate obtinente.*

Præ-

1526 *Præsentem Neapolitani regni statum Gallorum. Rex neque immutaturum, neque perturbaturum spondeat, nisi ex præscripto, voluntateque Summi Pontificis, ut altioribus initiis tranquillitas Italiæ coalescat, pacisque hostes in ordinem cogantur. Quod si evenerit, aut Franciscum de fœderatorum consensu Pontifex Regem dicet; aut non sine illorum voluntate de Neapolitano regno statuet: utrumvis contigerit, Ecclesiæ jura suprema serventur, annuusque census ad minus quinquaginta aureorum millium. Regi autem pro juribus, quæ in prædicto regno possidet, ex Summi Pontificis arbitrio, alio Rege declarato, non minus septuaginta quinque aureorum millia, vel in Ecclesiæ ditionem redacto, aureorum sexaginta millia persolvantur.*

*Fœdus sane hoc, & societas ad posteros pertranseat, fœderatique Mediceam familiam sub tutela recipiant; dignitatem, statumque præsentem tueantur. Summo spondente Pontifice, Florentinos nihil fœderi adversum acturos, in suaque voluntate futuros.*

*Verum, cum neque majori, neque graviori auctoritate sancita societas inniti queat, quam Henrico potentissimo Angliæ Rege; protector is, ac conservator fœderis declaratur, fœderatorumque sponsor appellatur, illique, vel ejus filio notho ditio ducatus, vel principatus nomine insignita, cum annuo triginta millium aureorum censu assignetur: idem jus, ac imperium cum decem aureorum millium annuo redditu Cardinali Eboracensi tribuatur.*

*Si qua societati huic adversa fœdera sint, omnino aboleantur; neque alia, insciis sociis, ac præsertim ad statum Italiæ pertinentia iniri possint.*

*Fœderatorum amicis, ac sociis, ut moris est, ante subsignationem nomina sua fœderi adscribere liceat; dummodo nullius hostes sint: quæ subsignatio intra mensem fiat; cui si Sfortia in Mediolanensi arce obsessus subscribere non poterit, Pontifex, ac Senatus id ejus nomine facturos polliceantur.*

Nuntius initi, ac firmati cum Rege fœderis v. nonas junii per literas Andreæ Rubei Venetias advenit, qui significavit, Henrico Angliæ Regi trimestre tempus, ut in fœdus reciperetur, datum fuisse. Ac pridie nonas a Senatu fœdus Coniacense

ſe approbatum eſt, cui Andreas Gritus Dux Reipublicæ nomine ſubſcripſit: ac ſyngraphæ illico in Galliam ad Rubeum mittuntur; cui, ſi ita Regi placeret, ſubſcribendi facultas Reipublicæ Venetæ nomine a Senatu permittitur. Poſtera vero die ad Gaſparem Spinellum, qui ob Laurentii Aurii Doctoris obitum Reipublicæ negotia in Anglia gerebat, literæ perſcribuntur, quibus mandatur, ut Regi, Eboracenſique Cardinali ingentes gratias agat, quod pro Coniacenſi fœdere omni officiorum genere laboraſſet; Senatuſque nomine enixe hortetur, ut in ſocietatem adſcribi velit, quippe qui cum potentia, auctoritate, conſilio, magnanimitate antiquitatis memoriam æquaverit, nulli dubium eſſe, quin, cœptis ipſius voluntate adſpirante, proſpera cuncta, ac felicia ſint eventura; Rempublicam una cum Clemente Summo Pontifice, nihil pro Sfortiæ libertate, pro Italiæ dignitate omiſſuram: auctoritaſque eadem, quæ Rubeo, Gaſpari Spinello firmandi fœderis impertita eſt. 1526

Eodem tempore Senatui, ac Pontifici copias augere, quamvis nondum a Gallorum Rege fœderi ſubſcriptum eſſet, viſum fuit; præſertim cum quotidie nuntii ſecreto a Franciſco Sfortia mitterentur, qui ſummas difficultates, maximas, quibus ille undique premebatur, anguſtias ſignificabant: ſeptem jam menſes in arce incluſum teneri; quæ ad victum neceſſaria ſint, omnia fere exhauſta fuiſſe; vix annonam menſtruam habere, qua ſe, familiam, milites alere queat: ni illius neceſſitati obviam eatur, cito ſucciſa ſpe, vel ad deditionem faciendam (quod pro ſua dignitate, ſocietatiſque fœdere nunquam ſit facturus) vel extrema omnia ab hoſtibus paſſurum. Nam Antonius Leva, Alphonſuſque Davalus, qui in Inſubribus Cæſaris nomine, defuncto Ferdinando Davalo, res gerebant, licet multis undique difficultatibus preſſi; ac præſertim pecuniæ, omnia potius vel intoleranda pati, quam obſeſſo Sfortiæ ſuppetias ferri ſinerent, in animum induxerant; cunctos civitatis ordines ad erogandum argentum, aurumque compellentes: qui ſi aut recuſare, aut excuſare, aut moras nectere auderent, pignoribus ablatis, in teterrimos carceres conjiciebantur: ac una vox tantum Mediolanenſium civium exaudiebatur; villas, oppida diuturnis militum ſumptibus exhauriri; agros deſeri; urbem, civeſque ipſos miſerrime affici, ac tanquam *Mediolanenſium tumultus.*

1526 quam fontes in carceres trudi, & cruciatibus torqueri. Itaque populus justo dolore fremens, ac furens, cum in fabri cujusdam ædes satellites ad aureos quingentos exquirendos missi essent, totam urbem, tumultu excitato, vehementissime commoverunt, fabroque repente, arreptis armis, opem implorante, vicinis ad auxilium convolantibus, abire ministri publici coacti sunt; illisque rursus, Antonii Levæ jussu, aliis adjunctis, portas domus perfringere conantibus, ad arma statim a populo conclamari cœptum, per totam urbem tumultus, turbinis instar, citissime fertur. Ea tamen die furentis populi impetus non repressus; sed vis tantum repulsa: nam Leva e curia per infrequentes urbis vias ad loca arci propinqua descendit, militibusque nonnullis repente coactis, Gaspare Mayno summæ auctoritatis cive comitante, ubi conferta multitudo, ac densior turba objici videbatur, se immittit; hortatur, arma abjiciant, inani tumultu abstineant; civitatis quietem importuno impetu non misceant. Davalus adhortationibus auctoritate pondus addebat; quippe qui apud populum invidia superiorem gratiam nondum corruperat. Tandem iis conditionibus ab armis discedere voluit, ut Cæsareani privata pecunia abstinentes vectigalibus tantummodo contenti forent; neque novos milites in civitatem introducerent. Verum cum sequenti die nonnullos ex Hispanis ducibus adventare cernerent, crebrisque admonerentur nuntiis, peditum cohortes, turmasque equestres citato gradu ad urbem subsequi, oriri tumultus, augerique mirum in modum cœpit; ut si ardenti, ac prope lymphatæ menti, magnisque ausibus vis, ac prudentia respondisset, statim insolito motu conflagrare civitatem, dissiparique Hispanos milites visum esset. Constansque fama est, tum de relinquenda urbe Cæsareanos consilium inivisse. Verum incondita multitudo, absque duce suas vires haud æstimare assueta, ab armis ad veterem curiam diripiendam magno cum impetu progreditur: quo viso, Cæsareani ad arma redire, vias trabibus, ac impedimentis obsepere, relictaque arcis custodia, adversus populares ferri: quæ res ingentem, diuque optatam opportunitatem obsessis objicere visa est ex arce exeundi, hostium munitiones occupandi, egregioque facto immortalem gloriam comparandi.

At

At Sfortia, licet emiſſa manu militum uno momento munitiones cepiſſet; ubi tamen qui opem ſibi, aut commeatum ferrent, nullos inſpexit, auxiliorum ſpe deſtitutus, cum hoſtibus incertum fortunæ exitum haud experiri ſatius arbitratus, ſuos intra arcem coegit. Interea multi e direptione curiæ præda onuſti abire, alii Hiſpanorum domos diripere, plerique ſigna deſerere; ita ut Cæſareanis, præter Germanos tunc arcem obſidentes, reliquos milites non modo ex urbe, ſed ex agro Mediolanenſi amovere pollicentibus, tumultus ſedari cœperit; cum a ſolis occaſu uſque ad ortum incerto, obſcuroque eventu mars dubius utrimque fluctuaſſet, Mediolano eſt reſtituta quies. Sed nonnullis, qui majore auctoritate, & gratia favorem plebis collegerant, præcipueque Sfortiano nomini addicti erant, ablegari, amoveri ab urbe cœptis, populo reluctante, plerique cuncta rurſus miſceri, ac turbari cupientes, arreptis armis, Hiſpanos milites paſſim trucidare; necatos ſpoliare; injuriis contumelias addere: a quo licet primores, quibus civitatis ſalus cordi erat, maxime abhorrerent, centurionesque ad temeritatem, audaciamque populi compeſcendam per portas diſpoſuiſſent; tamen rabies commotæ multitudinis vix cohiberi potuit. Inde Antonius Leva, Alphonſuſque Davalus cum fide, qua ſe Mediolanenſibus obſtrinxerant, ſe ſolutos exiſtimarent, ſigno Hiſpanis Ducibus dato, quibus cum militibus ad urbem accedere imperaverant, ipſi munitionibus, valloque ea parte, qua ſuorum ſtatio continebatur, nocte munita, agmine militum coacto, alia ex parte inopinato egreſſi, prius quodam, qui ex infima plebe caput honoris cauſa aperire renuerat, occiſo, certaminis initium faciunt, ignibuſque ex turrium cacuminibus reliquos ad urbem vocant. Indigna cæde perculſi cives, nemo adeo pacato animo extitit, qui licet cum vitæ diſcrimine tantum facinus vindicandum non cenſeret. Cæſareani vero, qui urbem recenti milite muniverant, loca editiora occupaverant, e quibus excuti in Mediolanenſes plumbea tempeſtas poterat, popularem impetum fregerant, ut cives, ſpe victoriæ abjecta, Ducum animos mulcere, iramque lenire ſatius putarent. Verum fruſtra tentata clementia, emittique ſuſpectos cives jubentibus, pugna redintegratur, miſerabili cæde cuncta fœdantur; Germani 1526

te-

1526 tectis ignem injiciunt; dum Mediolanenses e fenestris, & speculis missilibus diversi generis milites interficiunt: e turriculis illi balistis ferreis cives prosternere; nulli parcere; vulneribus, incendiis, cædibus omnia miscere: ut una die nobilissima, atque inter præcipuas Italiæ civitas ad internecionem usque deleta foret, nisi Duces nondum ingressas Hispanorum cohortes urbe prohibuissent; ac populus, qui arma frustra induerat, fessus non modo Cæsareanorum voluntati non adversari; verum etiam migrare domo, patriamque deserere decrevisset. Hunc in modum summo civium Mediolanensium exitio alere exercitum, pecuniam conquirere Leva, ac Davalus malo uno alteri mederi cogebantur.

Quæ res Clementem, Venetosque impellebant; ut licet nondum a Francisco Galliarum Rege fœderi subscriptum esset; attamen augeri copias, novos militum delectus haberi, nihil ex iis, quæ ad bellum necessaria forent, prætermittere statuerent; Petroque Pesareo Legato Senatusconsulto mandatur, ut sex peditum millia veteribus copiis adjungat. Pontifex Placentiam Guidum Rangonium cum totidem peditum millibus proficisci jubet, ut suas copias, si occasio tulerit, cum Venetis conjungat. Ad hæc cum ad incrementa, roburque exercitus Helvetiorum gentem maximum momentum in præliis afferre compertum esset; præsertimque Franciscus Maria Urbini Dux, ac copiarum Reipublicæ Imperator suaderet, ad debellandos hostes duodecim Helvetiorum peditum millia necessaria esse; ut virtute militari conspicua gens, illustriumque victoriarum fama percelebris stipendia Veneta, & Pontificia mereret, e re communi visum est. Itaque cum hac in re Joannes Jacobus Mediceus Mediolanensis Mussianæ arcis Præfectus, ac Octavianus Sfortia Laudensis Episcopus suam operam Senatui obtulissent, citoque sex millia ex Helvetiorum gente in Galliam Cisalpinam exscensura pollicerentur, Pontifex decem aureorum millia, quinque Senatus Mussiano Præfecto ad id peragendum mittit. Interim a Petro Pesareo Legato literæ superveniunt, quibus Sfortiam maximis undique circumseptum periculis Senatui significat, cunctarum rerum inopia pressum; vix paucis diebus victum suppetere; celeritate opus esse, ne spe auxiliorum dejectus, præceps consilia necessitati accommodare cogatur.

*Senatus mandata ad Petrum Pesareum Legatum in castris.*

*Francisci Sfortia obsessi extrema inopia.*

tur. Igitur quatuor peditum millium præter sex delectum habendum esse decernitur; idque Legato mandatur, ut idem Guido Rangonio suadeat, Pontificias copias totidem peditum numero augeat, ac cum Ennio Verulano summæ apud Pontificem auctoritatis viro omnia communicet; id enim Pontifex a Republica postulaverat: cataphractos insuper equites ad fluminis Abduæ ripas obequitare jubeat. Pontifex, qui Rangonium copiarum Ecclesiæ Præfectum cum cataphractorum turmis aliquot, sexque peditum millibus Placentiam miserat, Vitellum Vitellium cum novis militibus, Florentinorumque cataphractis mittit, ac Joannem Mediceum, quem Italis copiis præfecerat, vicesque in exercitu illius gerentem Franciscum Guicciardinum. Senatus altera ex parte auctis copiis, quibus summa cum auctoritate Imperator, uti diximus, Urbinas præerat, Legatique munere Petrus Pesareus fungebatur, exercitum ad Clarium, agri Brixiensis oppidum, ad flumen Ollium cogi jubet; fuere in eo peditum decem millia, præter milites, quos e præsidiis Imperator eduxerat: ac propediem Mussianus Præfectus duo millia Helvetiorum peditum in armis fore, quorum quingentos lacus Comensis custodiæ demandare decreverat, mille quingentos ad exercitum accessuros significabat. Ad hæc Laudensis Episcopus cum eodem Præfecto e Rhætis multos sparsim sub signa venturos. Iis Pontificias, Venetasque copias conjungi Senatui placebat; qua de re ut cum Rangonio summo Ecclesiæ Præfecto ageret, Legato perscripserat; atque ut idem Pontifex Rangonio mandaret, per Reipublicæ Oratorem petierat, ut justo exercitu ad liberandum obsidione Franciscum Sfortiam proficisci possent, futurique belli prospera jacere fundamenta. Hæc erat rerum Italicarum conditio; cum Cæsar ob moram in pace a Rege firmanda, quidnam ille moliretur, quo sua spectarent consilia, jam tum mente præviderat. Verum posteaquam apertius omnia a Carolo Lanojo, quem in Gallias ad jusjurandum Regis accipiendum miserat, intellexit, quamplurimas Regem excusationes nectere, regni ordines nullo pacto Burgundiam dimitti passuros; ingentem auri vim illius vice offerri; fœdus cum Pontifice, Venetisque percussum: licet illi nondum manum Rex apposuisset, animo vehementer perturbatus cuncta novorum

1526

rum

1526 rum motuum casibus fomitem allatura circumspiciébat; cum illi, vel Italiæ pristinam restituere imperii formam, Francisco Sfortia liberato, necesse esset, eoque fructu carere, quem ex inita cum Gallis concordia speraverat; vel pactiones illas lenire, quibus pax, ac libertas Regi concessa fuerat: quorum illud minuere Cæsaris majestatem, auctoritatemque in nobilissima orbis terræ provincia videbatur; hoc æmuli, potentissimique Regis spiritus augere, seque Burgundiæ ducatu spoliare, quem vel situs opportunitate majorum stemmatibus illustrem, posteaquam ad imperii fastigium evectus fuerat, anxia mente concupiverat.

*Ugo Moncata a Cæsare ad Clementē missus.*

*Ugonis Mōcata litera ad Senatū per Santiū Oratorem allata.*

At plus valuit in Carolo Burgundiæ potiundæ, ac cogendi Regis desiderium, quam imperii in Italia retinendi spes. Consilia itaque eo flexit, ut Italos Principes, Pontificem nempe, ac Venetos jam animo aversos quacumque sibi ratione conciliaret, ac Franciscum Sfortiam in veteri majorum suorum possessione retineret. Propterea Ugonem Moncatam in Italiam celerrime misit; qui statim Romam profectus Pontifici egregiam suam erga Rempublicam Christianam, atque Italiam voluntatem significaret, seque vel ad pacem cum Pontifice, Venetisque sanciendam, vel non minus ad bellum alacri animo suscipiendum paratum esse. In itinere Moncata ad Senatum literas dedit, quibus significabat, se ad Italicas res componendas missum fuisse, ad eaque amplissimam facultatem, mandataque habere; Romam ad Pontificem Imperatoris mentem perlaturum, magnis itineribus contendere: petere, ut eamdem facultatem Oratori apud Clementem Reipublicæ nomine Senatus tribuat. Has literas Alphonsus Santius in Patrum Collegium detulit, eademque etiam voce significavit; Cæsaris eximiam erga Italos principes benevolentiam; propensum erga commune bonum studium, pacisque inter Chriastianos Principes ingens desiderium extollendo: his addit, Cæsaris Duces, qui Mediolano præerant, sciscitari, quo pacto se gerere erga nostros debeant, cum cataphractos Reipublicæ equites in Insubrum fines proficisci intelligant. Perlectis literis, audito Santio Cæsaris Oratore, Patribus de re summi momenti, quæ ad omnes fœderatos maxime pertineret, nisi prius Legatis illorum consultis, Senatus decreto respondere non placuit.

cuit. Igitur statim Pontificis, Galliæ, Angliæque Regum, ac 1526
Francisci Sfortiæ Oratores in curiam vocantur, ut illorum exquisitis sententiis Senatusconsultum fieret; cum enim initum Coniaci fœdus nondum vulgatum esset, licet jam per cunctam Europam illius rumor permanasset; ambigebatur, num inter Principes inita societas apertis verbis, atque haud dissimulanter Cæsaris Oratori Senatus nomine aperienda esset. Una omnium fuit sententia: absque hæsitatione incunctanter Santio respondendum esse, Senatusque consultum fœdere inniti oportere; silentio, quod per omnes Europæ tractus fama vulgaverat, tegi non posse; sin secus fiat, conceptæ hominum spei de summorum principum societate derogatum iri, atque alienum a publicis rationibus futurum. Itaque Senatui hunc in modum Alphonso Santio responderi visum est. *Rempublicam nullo unquam tempore de præstanti Imperatoris erga concordiam, pacemque studio dubitasse; idque in primis Senatui esse gratissimum; digna siquidem optimo Imperatore, atque excellenti principe res semper fuit, omni labore, & studio niti, ut orbis Christiani principes dissidiis divulsi, bellisque mutuis exardescentes pacis vinculo connectantur: quod si ullo unquam tempore, his potissimum turbulentissimis, undique tempestates, horridasque procellas bellorum minantibus, maxime peroptandum est; idque summis votis a Senatu exoptari. Ceterum quod ad postulata Ugonis Moncatæ, Santiique spectat, nihil respondere posse, nisi fœderatorum principum consensus, cum quibus a Republica societas inita fuit, accesserit.* In hujusmodi sententiam Cæsaris Oratori decreto Senatus responsum, eademque per Oratorem Pontifici significantur: additur, caveat Pontifex Maximus, ne summo artificio, mora, ac cunctatione unum id Cæsareani intendant, ut obtundere conatus nostros queant, & interim arce Mediolanensi, quæ ad summam rerum omnium egestatem redacta est, potiantur; vel Galliarum Regem suspicione, ac technis impellant, ut cum Cæsare in gratiam redeat, atque Proregi Neapolitano si novas aliquas concordiæ rationes excogitaverit, assentiatur: pro certo habere Moncatæ postulatis ita Pontificem responsurum, ut ille aperte cognoscat, nihil absque reliquorum sociorum consensu facturum. Quod sane ita evenit;

Senatus responsio.

1526 nam cum Moncata, ac Sinvessanus Dux, Cæsaris ad Pontificem Orator illi significassent, Imperatorem Mediolanensem ditionem libere Sfortiæ relicturum; dummodo arx Protonotario Caracciolo in custodiam tradatur, donec Sfortiæ causa, non exactis calculis, sed ut dignitati Cæsaris consulatur, cognita fuerit, quæ inter Venetos, Austriacosque controversiæ sint, honesta ratione compositurum, copias ex Insubribus educturum: e contra nil aliud a Pontifice petere; nisi ut difficultatibus, quæ inter ipsum, & Regem sint, nullo pacto se immiscere velit. Respondit Clemens, nulli ignotum esse, quo semper studio amicitiæ cum Imperatore conservandæ exarserit; nihil non egisse, ut Cæsar pacatam Italiam relinqueret, Sfortiæ libertatem restitueret, suspicioneque Principes hujus provinciæ liberaret: ea omnia vel pernegasse, vel distulisse: quapropter cum se omni spe dejectum Italicæ pacis, & interea arcem Mediolani acri obsidione præcinctam animadverteret, necessitate coactum, ut suæ, aliorumque saluti consuleret, cum Gallis, ac Venetis fœdus sanxisse, cui nisi refragrari velit, & fidem, jusjurandumque contemnere, aliud consilium inire neque congruum, neque Principe dignum esse. His intellectis Moncata Roma discessit; cunctaque ad bellum vergere, in novosque deduci fluctus cœpere, omnium oculis, animisque inspectantibus, quodnam initium futurarum cladium foret: inde fœderatorum vires, Italicum robur, Gallorum impetus æstimantibus; inde Cæsareanos victoriis asuetos, verum pecunia laborantes in plena popularium tumultuum civitate, & innumeris, ut ferebatur, rerum ad bellum spectantium incommodis presos; cum primum belli initium, felici auspicio Laudis Pompejæ urbis occupatione a Venetis facta; celebratum est. Quod ita evenit.

*Laus a fœderatis capta.* Ludovicus Vistarinus civis Laudensis injuriis, ac contumeliis, quibus quotidie concives a Cæsaris militibus afficiebantur, commotus, qui milites cum Fabritio Maramaldo eorum duce omni genere avaritiæ, sceleris, libidinum in miseros sæviebant, idemque patriæ liberandæ generoso quodam animi instinctu percitus, Petro Pesareo legato antea conceptum animo facinus aperuerat, Venetisque se urbem traditurum spoponderat; & cum opportunitas affulsisset, cunctis ad rem gerendam ne-

necessariis dispositis, legatum, imperatoremque Reipublicæ admonet, ut nocte concubia cum militum manu ad urbem accedant, signum illis, tempusque patrandi facinoris daturus. Ab Urbini Duce Malatestæ Baleonio viro impigro, astuique militari assueto provincia demandatur, ut tribus peditum millibus assumptis, iter ad Laudem Pompejam dirigat. Interea Vistarinus juvenum manu, quorum opera in urbe tradenda uteretur, selectis, ac in ædes aliquot occulto immissis, duobus tantum illum comitantibus, ad turrim, in qua sex milites excubias agebant, quasi, an recte vigilas obirent, animadversurus progreditur; quos, sociis subsequentibus, mira celeritate omnes interfecit: quo peracto, vallum ingressus ad Venetos milites urgendos properat, Fabritio Maramaldo nondum quid peractum esset, audiente. Itaque viij. kalend. junii, nondum albescente cælo, Baleonius urbem ingreditur, Laudeque Veneti potiuntur. Maramaldus vero, cui cum mille, ac quingentis peditibus urbis custodia mandata fuerat, in arcem continuo se recepit, statimque Alphonso Davalo, & Antonio Levæ quæ acciderant, significat; quid sibi in hoc rerum discrimine agendum sit, postulat. Qui novitate rei perculsi, cum in laude Pompeja maximum ad bellum peragendum momenti inesse cernerent, statim Alphonsus Davalus cum Joanne Urbinate Tribuno, Mediolano tria peditum millia cum leviorum equitum manu educunt, citatoque itinere Laudem contendunt, & arcem per subsidialem portam ingrediuntur, eodemque momento in forum prosiliunt. At Malatesta Baleonius statim urbem ingressus militibus forum occupaverat, vicosque, ac domos, quæ ad portam, qua ipse ingressus fuerat, ferebant, muniverat, ut majori hostium vi ingruente tutum discessum haberet. Hispani initio acriter pugnare, instare, conari Venetos præsidio dejicere; sed illis acriter obsistentibus, Malatestæ Baleonii adhortationibus majores spiritus, viresque sumentibus, eminus ballistis ferreis, cominus gladiis, hastisque pugnantibus, tandem Davalus amittere Laudem Pompejam potius, quam Mediolanum in periculum adducere voluit; reductisque militibus, & in arce præsidio relicto, Mediolanum revertitur. Interea Urbinas, ac Pesareus cum reliquis copiis superveniunt, qui, felici rei eventu cognito, cum nocte superiori 1526

1526 ad Oragum Ollium flumen trajecissent, ponte, nuntio audito, Abduam transgressi fuerant, ac præsidia urbis augere, æneas machinas ad arcis prospectum dirigere cœperunt, ut si hostes denuo in fortunæ aleam se immittere vellent, a nostris obfirmatis animis, omnibusque ex militari præscripto dispositis, resisti posset. Verum qui arci præerant auxiliorum ambiguitate, arcis tuendæ difficultate permoti, utpote quæ angusto ambitu parvam militum manum intra se admittat, sequenti nocte abiere; ab equitibus excepti, qui Mediolano ea de causa emissi fuerant.

Laus Pompeja a Venetis capta maximum pondus fœderatis attulit, cunctosque in spem erexerat, fore, ut felici cursu victoriæ initia in dies magna susciperent incrementa; Mediolanensesque præcipue hoc facto exitum miseriarum inveniri posse sibi pollicebantur. Nam egregie munita civitas, quam semper Cæsareanos usque ad ultimum spiritum defensuros constans opinio fuerat, præterquam quod vires sociorum auxerat, non minora hostibus damna attulerat; cum inde absque impedimento Ticinum, ac Mediolanum viginti millia passuum itinere progredi liceat. Abduam nostri nullo obsistente trajecerant, mora jungendarum copiarum ablata, Cremona in maximas difficultates subsidiorum recipiendi, si opus foret, redacta. Quæ omnia ex Laudis Pompejæ eventu pendebant. Hoc nuntio habito, Senatus incredibili lætitia affectus est, mirisque laudibus Malatestæ Baleonii virtutem, ac fortitudinem extulit, qui quatuordecim annos Reipublicæ Venetæ strenuam operam navaverat; atque ut egregio aliquo argumento illius virtutem, publicamque grati animi significationem testarentur, Senatus decreto peditum Præfectus summo Patrum consensu iij. kal. junias declaratus fuit, annuo aureorum mille quingentorum stipendio addito, & si bella Venetis gerenda essent, ut strenuos milites seligeret, menstrui centum aurei nummi ex ære publico præberentur. Laude Pompeja occupata, nil superesse videbatur, nisi ut Pontificiis, Venetisque junctis copiis, ad Sfortiam, qui jam in Mediolanensi arce extrema patiebatur, liberandum proficiscerentur: qua in re non deerant varia a Clementis ducibus impedimenta; nam cum Guidus Rangonius Rubertum Boschetum ad nostros misisset, ut de ratione belli

*Malatesta Baleonius peditum Præfectus a Venetis declaratus.*

*Robertus Boschetus a Rangonio ad Urbinatem missus.*

ad-

administrandi cum illis ageret, imperator Venetus quamcelerrime posset exercitus conjungendos esse ajebat; sibi videri Pontificis copias cis Casale majus Padum trajicere oportere; Venetas eodem iter dirigere, ut ipsis conjungerentur. Ac dicente Boscheto, nullo pacto Ecclesiæ oppida, imminutis præsidiis, Cæsareanorum libidini relinquenda; imperator militiæ experimentis edoctus vehementer hortabatur, ut, Placentia valido militum præsidio firmata, omni abrepta mora, statim Padum transgrederentur: celeritate nimirum opus esse, qua semper prospere bella administrari solent; illam in primis hoc tempore necessariam; dum hinc Sfortia obsessus obtestatur, opem implorat; quæ si cunctando mora protrahitur, sua consilia illum non voluntate, sed necessitate recturum; hinc vero Cæsareani duces, & milites maximis difficultatibus premuntur, pecunia laborant, rerum omnium necessitate coguntur, Mediolanenses incredibili in Cæsareanos odio flagrant; dum milites nec illorum pecuniis, nec pudori parcunt, sed per domos grassantes in illos summum violentiæ imperium usurpant: omnia hæc hortari, ut quam primum junctis copiis, communibus viribus bellum geratur. Ea de re Franciscus Guicciardinus ad Pontificis Legatum Venetiis commorantem perscripserat, multisque rationibus jungendarum copiarum impedimenta, & difficultates exposuerat. 1526

Verum Laus Pompeja a nostris capta, Ducum Ecclesiasticorum consilia statim flexit, omnesque moras abrupit; nam cum nostri, ut diximus, Abduam trajecissent, Pontificii vj. kal. julias Padum transgressi, nostris ad Divi Martini tria millia passuum a Laude Pompeja se conjunxere, cunctis exitum belli, obsessique Ducis libertatem ex Laudis Pompejæ eventu metientibus. Neque vero Senatus aliqua in re vel studio, vel pecunia, vel maritimis, terrestribusve copiis parcebat; ita ut solus fere totam tanti molem belli sustinere videretur. Nam præter pedites, & equites utriusque armaturæ, de quibus diximus, in primis, ut Germanis militibus Alpium aditus, descensusque in Galliam Cisalpinam prohiberetur, officiis non modo, verum etiam pecuniis nitebantur. Cum enim Rhætorum gens vias omnes, quibus per suos fines transiri in Italiam posset, Germanis clausuros sese obtulissent; dummodo controversiæ, quæ

1526 inter ipsos, Mussianumque Præfectum erant, penitus tollerentur, Senatus libenter assensit, Petroque Pesareo legato per literas significavit; si gentem ea mente esse cognosceret, ut angustias, quæ in eorum ditionibus sint, ac Vallis Tellinæ aditus adversus Germanos tueretur, simul cum Episcopo Verulano ageret, ut, omni semota inter illos contentione, quæ ex captivitate, ac libertate Oratorum Rhæticæ Reipublicæ orta fuerat, æquis portionibus argenti vim Senatus, ac Pontifex Mussiano persolverent; quo facto, spes foret, Sfortiam Rhætos ad sua stipendia traducturum, pecuniisque, & Clavenæ comitatu quiete usuros permissurum. Ad hæc cum nonnulli nobiles Reipublicæ sumptibus obsistere hostibus, ac itinera præcludere polliciti essent; inter quos Capinus Grangius legato scripserat, tercentis militibus nonnullos anfractus Alpium tutos, si ille annueret, redditurum; Senatus argentum præbere una cum Pontifice, ut hæc quamprimum efficerentur, non recusavit.

Præterea cum classis optime instructa summam fœderi auctoritatem allatura videretur; eaque vel ad Genuensis Reipublicæ statum mutandum, vel ad hostes metu continendos ex præscripto fœderum cum primis necessaria esset; Respublica Veneta majoribus comitiis Aloysium Armerium Præfectum classis creavit, ac pridie kal. julias, ut tredecim triremibus Venetiis solveret, Senatus mandavit, iterque Corcyram versus dirigeret, ubi duodecim triremibus, quas alter Legatus Joannes Maurus instruxerat, receptis; deinde velificatione facta, in Tyrrhenum mare proficiscatur, classem cum Pontificiis, vel regiis triremibus conjuncturus, atque Imperatori a Rege misso, quem Petrum Navarrum futurum fama vulgaverat, pariturus: in stipendia remigum, ac militum quatuordecim aureorum millia assignantur; ac ne in ditiones Caroli exscendere milites permittat; & non nisi cum Cæsaris navibus certamen ineat, injungitur. Eadem die, qua Venetiis Armerio Senatus mandata dabantur, Pontificius, & Venetus exercitus ad Melenianum castra habuere; ibique quid potissimum agendum esset variis sententiis disceptabatur. Nonnulli Helvetios milites, priusquam aliquid momenti tentaretur, expectandos; cum absque gentis militiæ assuetæ, in armisque innutritæ auxilio, ac robore non sine periculo copiis recenti delectu comparatis

ratis

ratis Mediolanum accedere tutum esset : alii celeritate utendum; a victoriæ cursu, quæ jam secunda, ac felici aura aspirare cœpisset, nullo pacto deflectendum; fieri non posse, ut tria Germanorum peditum, quinque Hispanorum millia, parva equitum manus, in maxima annonæ angustia urbis adeo vastæ spatium adversus copias, equitum robore, æneis tormentis, ducum præstantia, Italicæ militiæ flore prævalidas tueri possint : quocirca tantas ultro oblatas spes gloriæ, ac præmiorum urbis præcipuæ, quæ caput belli erat, potiundæ non deserendas. Urbinatis ea fuit sententia, ut lento gradu Mediolanum versus proficisci oporteret; donec Helvetii, quos rumor ferebat in Italiam contendere, nostris se adjungerent, quorum mille, jam jugis Alpium superatis, in Bergomatem agrum descenderant, ac iter ad exercitum arripuerant. 1526

Interim, qui in arce Mediolanensi obsidebantur, cum pane ex farina furfure admixta vesci cogerentur; neque diutius adventantia auxilia præstolari possent; tertia vigilia noctis ducentos milites ex arce emiserunt, qui recta per munitiones hostium, qua segnius excubias agi prospexerant, vi, si opus foret, patefacto aditu, Melenianum contenderent; ibi Franciscum Urbini Ducem, copiarum Venetarum imperatorem, Franciscum Guicciardinum, Petrum Pesareum; Pontificis illum; hunc Venetorum Legatum, adeuntes, ad extrema redactos obsessos significant; præ ciborum inopia macie confecta militum corpora vix ad arma sustinenda satis esse; ni cito auxilia præsto sint, brevi arcem deditione ad hostes transituram; ducem cum obsessis omnibus in Hispanorum ducum potestatem venturum; quo nil, vel ad summorum principum auctoritatem, famamque minuendam, vel ad præstantissimorum ducum, qui in armis ætatis florem contriverant, gloriam corrumpendam deterius accidere posset. Imperator, ac Legati, Sfortianis constantiæ stimulis injectis, etsi difficillimum putarent, Cæsareanos veteranos milites urbe amplissima expellere; attamen ad portam, quam Romanam vocant, copias dirigunt; eo consilio, ut si intra urbis mœnia se Cæsareani continerent, suburbia a nostris caperentur. Itaque nonis julii ad Buffoletam, & Pilastrelos, quæ quingentos circiter passus a Mediolano distant, castra habentur, non sine spe aliqua, ut hostes nostrorum co-

M 4

1526 copias loco adeo urbi vicino castrametari cernentes, suburbia impetu, & conatu pervia propugnare non auderent. Verum, cum noctu Carolus Borbonius, quem Cæsar in Italiam miserat, supervenisset, ac cum octingentis Hispanis peditibus Mediolanum ingressus esset, abjecti militum spiritus erigi, ac spe meliore munia militiæ obire cœpere. Nostri aliquot tormentariis ictibus portam percutere aggrediuntur; tribusque machinis æneis e regione portæ erectis, summo impetu pilas ferreas excutere, nec minore conatu niti, ut e mœnibus ab hostibus balista ferrea, *falconetum* vocant, cui milites expositi erant, tollatur; quod cum prospere evenisset, multos cataphractos equites ad pedes desilire, portam aggredi, scalas admovere jubet. At cum votis successus non responderet, hostesque eminentiori loco positi nostros impune tormentorum machinis offenderent, ex quibus quadraginta interfecti, sauciique multi: ardore pugnæ remisso, levioribus certaminibus utrinque certatum est. Cumque Urbinas Cæsareanos suburbia constanter defensuros inspiceret, & Carolum Borbonium cum Hispanorum militum cohortibus Mediolanum ingressum intellexisset, hostesque situs, locique opportunitate superiores crebris tormentorum ictibus exercitum lacessere posse didicisset, satius duxit cum exercitu Mediolano discedere. Itaque servatis ordinibus, instructisque aciebus Melenianum, unde digressus fuerat, viij. idus julii reversus est; ibique Helvetios opperiri statuit, quos propediem ad duodecim millia in castra adventuros per certos nuntios ferebatur; auctis copiis, tutam, incruentamque victoriam, uti sperabat, relaturus.

Repentinus hic, inopinatusque a Mediolano discessus, cum undique Cæsareanos plurimis circumseptos incommodis profligatum iri fama circumferret, vehementer animos illorum commovit, qui res spe potius, ac votis, quam prudentia, rerumque usu metiri solent. Plerisque enim videbatur, si oppugnare suburbia Dux, ac impetum totis viribus facere voluisset, citra difficultatem hostibus repulsis, iisdem potiturum fuisse: quæ res illi ad integram victoriam aditum aperuisset. Aegre sane hos rerum successus Senatus tulit, qui ex Laudis Pompejæ felici eventu, ex hostium imminuta auctoritate, & copiis, ex nostrorum ad Mediolanum profectione bellum haud diuturnum fore sperave-

raverat. His de caufis permotus Veneti exercitus imperator, ut rationem fuorum confiliorum Patribus exponeret, militarique prudentia exercitum ab Mediolani oppugnatione abduxifse comprobaret, Aloyfium Gonzagam Venetias mifit; quem Collegium ingrefsum in hanc ferme fententiam loquutum ferunt. 1526

*Aloyfii Gõzaga ab Vrbinate Venetias missi Oratio.*

*Nihil facilius eft, optimi Patres, quam illorum, qui altiffimo dignitatis gradu locati funt, actiones, factaque carpere, & fugillare; ac præcipue earum rerum, in quibus plerumque fortuna plurimum poteft; quo in genere tota fere ars militaris fita eft. Nihil contra difficilius, quam optimis, tutifque confiliis res maximas ita gerere, ut abfque jactura, periculifque quod mente concepimus affequi poffimus. Quocirca inter præclaros bellis affuetos, victoriis illuftres Duces, quos ad hæc ufque tempora celebris, feculorumque omnium applaufu probata perduxit fama, nonnullos accepimus, dum abfque cæde, ac fanguine, aftu militari vincere hoftem affueverant, quandoque vulgi obtrectationibus, infciorumque hominum calumniis obnoxios fuiffe; quorum voces per omnem vitam contemnere folitus Urbini Dux, qui fcientiam rei militaris a primis adolefcentiæ initiis ad hoc ufque ætatis non ex vulgi inconftantia, imperitorumque hominum judiciis; fed rerum experimentis, acerrimis dimicationibus, oppidorum oppugnationibus egregie didicit, illius confilii rationem reddere, quo fœderatorum copias Mediolano difcedere juffit, minime neceffarium fore exiftimat; ac præfertim apud ampliffimum Senatum, qui cum eum Imperatorem declaraffet, quid de ipfo fentiret, non obfcuris argumentis patefecerat, aliifque quid de illo judicandum effet, præfcripferat. Verum cum varias ex omni parte hominum voces exaudiri, judicia paffim circumferri intelligeret, plerofque ex Senatoribus hac difceffione imminutam auctoritatem, fractafque vires fœderis putare, quin me confiliorum, mentifque fuæ aperiendæ caufa ad vos mitteret, facere non potuit; & fe, neque metu, quem in ipfum cadere vix opinandum eft, neque alia caufa ductum, quam belli recte adminiftrandi rationes exigerent, difceffiffe; fummorum Ducum, Imperatorumque veftigia, & difciplinam fequutum, qui certam abfque fanguine, & cæde victoriam cruentis ftrage,*

*occi-*

1526 *occidioneque redundantibus præliis antetulerint. Nam Meleniano cum exercitu Mediolanum profectus, nunquam eo fuit animo, ut amplissimam urbem, lateque patentem vel obsidione ad deditionem compelleret, vel vi oppugnando potiretur; cum præcipue sciret, octo Hispanorum peditum millia, præter Germanos, equitatumque, in ea esse, qui veteri militiæ robore cum nostris nuperrime collectis non essent conferendi; sed ut citra periculum, dum Helvetiorum adventum præstolatur, cognosceret, qui animus Cæsareanorum, quos multis conflictari incommodis nuntii afferebant, esset, & an forte cum & arcem obsidere, & civitatem tueri, & populi motus compescere deberent, & circuitum urbis transilire nollent, suburbia ipse occupare, in iisque castrametari, Ducique obsesso opitulari posset. Hoc consilio cum a Meleniano profectus esset exercitus, & ad Paradisi cœnobium castra ad portam Romanam habuisset, superiori nocte Carolus Borbonius cum pecuniæ vi, ac octingentis Hispanorum peditibus urbem ingressus fuerat. Id licet sciret Imperator; attamen tormentis quati portam, ac suburbiorum mœnia jubet. Eo hostes accurrunt, leviora prælia committuntur: illi editiori loco freti tormentorum vi, ingentique ferrearum glandium procella nostros disjiciunt, qui nulla ratione impetum vitare, neque obices interponere poterant. Quid faceret strenuus, ac prudens Imperator? sineretne coram pessumdari milites; inulta cæde, sanguine, cadaveribus cuncta oppleri? aleamne fortunæ extremam subiret, ac illius inconstantiæ universas copias, peditatum, equitatum objiceret? Hispanos, Germanosque milites Borbonii adventu confirmatos, & erectos nil necessitate, quæ plerumque etiam a victoribus ad victos certaminis præmia transfert, ad pugnam alliceret, ac horæ momento certas fœderis spes in discrimen adduceret? An non Helvetiorum auxilia, qui turmatim, relicta domo, ad hoc bellum descendunt, quotidie expectantur, quorum in adventu sive cum hoste congrediamur, sive cunctatione utamur, debellatum est? Quid Christianissimi Regis copiæ equestres, pedestresve, quæ nondum Alpes sunt transgressæ? nonne junctis Pontificiis, Gallorum, Venetorumque copiis, victoriam incruentam, ac certam tenemus? Cur igitur exercitus vestri Dux, qui vel ab hoc ipso Senatu tuta consilia incertis eventibus*

*præ-*

*præponere edoctus est, non potius mora aliquot dierum interjecta, haud dubiam felicitatem ex prudentiæ ratione expectare, quam horæ momento omnia incertæ fortunæ committere debuit? Hæ sunt consiliorum rationes, quibus victoria delata vobis integras copias, tormenta, commeatum, populos conservabit: quæ haud dubie sibi pollicetur, summa prudentia, alto consilio Patres comprobaturos; nihilque unquam ab Urbini Duce profectum, quod vel ad certam gloriam, vel ad Reipublicæ, imperiique hujus incolumitatem non dirigatur.* 1526

*Fœderis Coniacensis publicatio.*

Hæc Gonzaga de discessu a Mediolano coram Patribus disseruit. Eadem die, qua exercitus a Mediolano regreditur, qui fuit viij. idus julii, fœdus Coniaci initum, ingentis lætitiæ signis editis, Romæ, Lutetiæ, ac Venetiis vulgatum est, supplicationesque ex Senatus decreto Deo immortali totius populi concursu habitæ, cunctisque civitatis ordinibus ingentem lætitiam præ se ferentibus, ut divi Marci ædes, totumque circumquaque forum egregie peristromatis, auleis, signis celatis, pictis, vexillisque instructum summis lætitiæ, exuberantisque gaudii vocibus personaret. Ex Mediolani oppugnatione destituta, quemadmodum Cæsareani maxima lætitia affecti fuere, quod sine prælio recessisse hostes, spemque abrupisse victoriæ cernerent; ita Mediolanenses ingenti, insolitoque pavore perculsi sunt, exercitum ex Italico robore conflatum, in quo spem pristinæ libertatis adipiscendæ reposuerant, retrocessisse audientes; lapsas obsessorum spes, inania auxilia, vix in horas suffectura cibaria conquerentes. Cæsareani rerum successu exultantes munire urbem, ad suburbia firmanda necessaria cuncta moliri; aggeres hiantes reficere, collapsos, vetustateque ruentes erigere; cives, populum, ut ligonibus fossas urbis exhaurirent, compellere. Sfortiani obsidionis suprema tolerabant, cum sui nostros oblivisci, Ducemque hostibus se tradere passuros vix mente conciperent; præsertim cum in discessu quamplurimis tormentorum ingentibus boatibus illos confirmare, & meliorem fortunam ut sperarent, persuadere niterentur. Præterea secreto literæ Urbinatis imperatoris, Petri Pesarei Venetorum, Franciscique Guicciardini Pontificii legati missæ sunt, quibus si in fide manerent milites, intrepideque arcem tuerentur, quatuor militaria stipendia pollicebantur. Verum obsessi eo denique

1526 que inopiæ redacti erant, ut pane furfure admixto vitam sustinere cogerentur. Quocirca, cum alios timor occupasset, alios auxiliorum dubius exitus instantis necessitatis horrida facies transversos ageret, ad deditionem omnia vergere videbantur. Attamen ut cuncta prius Sfortia, quam hostium clementiam experiretur: simul, ut aliquot hominum, ac mulierum, quæ fruges reliquas absumebant, numero levarentur, placuit ad quingentos ex arce emittere, qui noctu per oppositas munitiones egressi, qua negligentius custodiæ habebantur, erumperent. His Pasquinus militum ductor cum centum quinquaginta cataphractis adequitare jussus, ut tuto per angustos calles penetrare possent; quam rem prospere eventus est subsequutus: nam per medios hostium aggeres incolumes, ut edocti fuerant, Melenianum ad exercitum se recepere: Veneto imperatori, legatis Pesareo, & Guicciardino obsessorum casum significant; succisas omnes tuendæ arcis spes; hominum umbras, luridas facies, macie, tabeque confecta hominum corpora, ad arma jam induenda non sufficere: ad furfurem, horridosque hominibus cibos ventum esse; si auxilium, quod in nostrorum dextris situm est, diutius protrahatur, ne, malorum omnium extremo, fame contabescat, invito licet, ac reluctante animo, deditionem hostibus facturum.

*Helvetiorũ in castra fœderatorũ adventus. Fœderati ad Mediolanum.*

Permovit miserorum, & infimæ plebis conditio animos ducis, ac legatorum. Itaque Duci obsesso suppetias ferre, & arcem, si qua ratione queant, obsidione solvere decernunt; cum præsertim quinque Helvetiorum millium numero, ac robore auctus esset exercitus. Recta igitur ad arcem proficisci, & ad Mediolanum castrametari statuunt, Melenianoque digressi quatuor dierum itinere xj. kal. augusti inter Casaretum, & Lambrum flumen ad Lambram perveniunt, atque inter Laurentiam, Tonsamque portas castra locantur, statimque militum parva manu ad expugnandam Modoetiam missa, quæ deditione in nostrorum potestatem eadem die pervenit: postera vero æneis machinis arx, cui Neapolitani pedites centum præerant, expugnatur. Interim autem dissidentibus sententiis in exercitu de subsidio arci inferendo agebatur; nonnullis ad munitiones statim cum robore exercitus contendendum, vi transeundum, si hostes obsistant, dimicandum sentientibus; aliam

*Modoetia cum arce a fœderatis capta.*

Sfor-

Sfortiæ ſuccurrendi viam non eſſe; nec rem dedecoris nota carere, ſi exercitus ex Italicæ juventutis flore collectus, Helvetiæ gentis robore ſuffultus in omnium oculis dedi Hiſpanis Sfortiam fœderatum patiatur. Aliis contra, non abſque ingenti periculo oppugnari munitiones hoſtium poſſe: loci opportunitate, pugnandi ſecuritate, veteris militiæ præceptorum firmitate ſuperiores noſtris futuros. Ac dum tempus conſulendo teritur, obſeſſi jam non fame conſligati, ſed mortem ipſam hærentem in faucibus adſpicientes, extremo adacti neceſſitatis telo, hoſti arcem tradere quam optima poſſint pactione decernunt: Philippuſque Saccus ad Carolum Borbonium mittitur, qui multa primum de Cæſareanorum odio adverſus Sfortiam graviter conqueſtus, quodque Principem candore animi, & innocentia prænitentem, nominiſque, & amplitudinis Cæſaris ſtudioſiſſimum, æmulorum obtrectationibus, & calumniis circumventum per tot menſes obſeſſum, & vinctum tenerent, arcem reddere non iniquis conditionibus paratum eſſe affirmat, quouſque Cæſar de omnibus certior factus mentem ſuam patefaceret. His libenter a Cæſareanis auditis, quibus nihil æque cordi hæſerat, quam arcis potiundæ deſiderium, vij. kal. auguſti ad arcis Mediolanenſis deditionem his conditionibus deventum eſt; ut *Sfortiæ cum ſuis omnibus, eorumque ſarcinis, & ſupellectile tuto abire liceat. Comum civitas, quam Cæſareani cum præſidio tenebant, Sfortiæ cum triginta aureorum millium annuo reditu tradatur; donec Cæſar de criminibus, quæ adverſus Ducem jactabantur, ac de toto Inſubrum imperio ſtatuat. Cæſareaniſque poſtulantibus Joannes Angelus Ricius Sfortiæ a ſecretis, qui omnium conſiliorum Ducis particeps fuerat, traditur, a quo acta, agitataque a Sfortia intelligerent, fide oppignerata, ſe illum tuto abire permiſſuros. Stipendia militum, qui arci præfuerant, reliqua uſque ad id tempus non ſoluta Cæſareani perſolverent, quorum ſumma ad viginti millia aureorum erat.* Cupiebat Borbonius Cremonenſem ſibi arcem tradi, idque Cæſaris rebus firmandis opportunum eſſe cenſebat, adverſus quem Italia cum Gallorum, & Helvetiorum gente conſpiraverat. Ac Sfortia neceſſitate ad extrema quæque compulſus Sacco mandaverat, ut ſi melior ab hoſte conditio reportari non poſſet, Cremonenſi etiam arce cederet; ſed

1526

*Philippus Saccus a Sfortia ad Borbonium miſſus.*

*Arcis Mediolanenſis deditio.*

1526 ex sermone, vultuque hostium lætitiam recipiendæ Mediolanensis arcis conjectans, constanter negavit Sfortiam Cremonensem traditurum. Iis, quas diximus, conditionibus arx a Borbonio, Cæsareanisque ducibus recepta est, illamque Hispani milites explicatis signis lætabundi ingressi sunt. Dux vero cum suis egressus, Gajaci Comite cum ducentis cataphractis equitibus, turmisque militum comitante, statim a Venetorum imperatore, ac legatis in fœderatorum castris mœrore confectus, diuturnaque ægritudine imbecillus exceptus est; nullaque interjecta mora, initæ cum Cæsareanis deditionis conditiones imperatori Veneto, ac legatis ostendit; qui omni studio licet niteretur Sfortiæ animum ab hostibus avertere, neque, si suæ dignitatis, commodique rationem habere velit, iniquis pacis conditionibus, quas illi invito expressissent, assentiendum esse; attamen Dux sævientis fortunæ impetum diu expertus, tutius putabat Cæsaris liberalitati, voluntatique se credere, quam in præteritas sirtes, ac scopulos denuo impingere. Quapropter Sforcinum Comum præmisit, qui de illius adventu Cæsareanos certiores faceret, Hispanorumque militum præsidium amovendum curaret. Verum Cæsareanis, *Comum Sfortiæ traditurος, non milites ablaturos, pactos se esse*, dicentibus, Dux Hispanas calliditates, artesque agnoscens cito a superiori consilio, speque dejectus, totum se fœderatorum voluntati permisit, & fœdus Conjaci ictum amplexus est.

*Sfortia, & Gajaci Comes in fœderatorum castris.*

*Sfortia fœdus Conjacense amplectitur.*

Quæ in Gallia Cisalpina quindecim dierum spatio, nempe ab viij. idus julii usque ad xj. kalen. augusti gesta fuerant, conceptæ ab omnibus de belli successu egregiæ spei cum non respondissent, diuturnum, variisque utrinque cladibus bellum fore portendebant. Fœderatorum diversi fines, dubiæ mentes, incerta auxilia, non idem animus erat. Pontifex, qui neque res magnas animo sustinere, neque difficultatibus vi, ac magnanimitate mentis obsistere assueverat, jam labare animo, consternari; neque se satis ad tanti belli molem subeundam paratum esse animadvertere; cum in primis pecunia maxime laboraret, ac in toto ferme illius imperio novi motus suborirentur, quibus vel retundendis, vel avertendis impar esse videbatur. In Carporum oppido trecenti Hispani pedites cum parva equitum manu ditionis Ecclesiæ agros assiduis excursionibus

nibus

nibus vastare, cursorum itinera impedire. Ugo Moncata, ac Suessanus Dux, qui a Romana legatione discesserat, cum Ascanio, Vespasianoque Columna, illius familiæ oppida propinqua urbi ingressi bellum ab ea parte Pontifici non obscure minabantur; ac nonnulli illius factionis homines Anagniam, Campaniæ oppidum, muniverant; quorum motus non mediocriter Pontificibus pertimescendi Clementem mirum in modum afficiebant. His accedebat, quod cum Reipublicæ Senensis statum immutare in animo habuisset, præsenti opportunitate sibi aditum rei conficiendæ patefieri ratus, licet multis dissuadentibus, qui non frangendas vires, sed omnes ad socios mittendas ajebant: attamen ad Senarum civitatem animum adjecerat, ac extorres in patriam restituere decreverat: cui rei cum Virginium Ursinum, Anguillariæ Comitem, præfecisset, mille ducentis equitibus, novemque æneis machinis, & ferme octo mille peditum numero, quorum delectus in ditionibus Ecclesiæ, Florentinoque imperio habitus fuerat, xiiij. kalen. julii ad Senarum mœnia accessere; eodemque tempore cum triremibus, ac millium peditum numero Senensium portus invaserat. Verum cum exulum amici, & propinqui nullum tumultus edendi, ut Pontificii speraverant, signum dedissent; quamvis quatere tormentis mœnia cœptum esset; situs tamen natura, urbis circuitu, cui præcingendo copiæ Pontificiæ non sufficerent, ac præsertim popularium constantia res ad exitum perduci non potuit. At licet Pontifex diris execrationibus Cardinalem, Columnensesque devovisset, cum difficultates in dies majores oriri, spes imminui, pecuniæ inopia contineri sub signis collectitios milites non posse cerneret, Ducis Suessani nuntium, Ugonemque Moncatam pacis conditiones proponentes libenter audivit: quibus rebus agendis Romam Vespasianum Columnam Clementi veteri amicitia conjunctum miserant. Is dum ea de re tractare inciperet, exercitus pontificius, Senis relictis, palatus, arrepta fuga, sarcinis, tormentisque bellicis desertis, summo cum dedecore abiit. 1526

His rerum eventibus Clementis jactatum animum Senatus Venetus sæpius confirmare, ac Marci Foscari oratoris prudentia, & eloquentia ad spem meliorem erigere conabatur; nunquam Rempublicam ab officio recessuram, terra, marique, exer-

1526 exercitu, classe, licet immensis sumptibus, quibuscumque viribus polleat, enixuram. Cum vero Gallorum Rex cataphractos equites in Galliam Cisalpinam Marchionis Salassiorum ductu misisset, atque eodem tempore, Helvetiorum peditum decem millia fœderatis copiis conjungere decrevisset, ut justo peditatus numero Salassii equitatus fulciretur, Pontificem, Senatumque, ut quatuor peditum millium novum delectum haberent, hortabatur; quibus ille duas stipendiorum partes persoluturum pollicebatur, reliquam a Pontifice, Senatuque persolvi petebat; quod Senatus efficere alacri animo spondebat, idemque Clementi, ut faceret, auctor erat. Ad hæc Eboracensis Henrici Angliæ Regis nomine, licet fœderi subscribere distulisset, a bello nulla ratione cessandum ajebat, donec Cæsar Gallorum Regi satisfaciat; neque Henricum a fœdere cum reliquis Principibus ineundo abhorrere; petere, ut triginta aureorum millia, quæ ex fœdere annuatim Regi in Neapolitano regno persolvenda essent, eadem ex Insubrum ditione percipere liceat. His ut Pontifex assentiretur, Senatus nitebatur, omnique studio contenderet, ut quamprimum Henricus fœdus Conjacense amplecteretur. Quocirca Pontifex Joannem Baptistam Sangam a secretis in Galliam, & Britanniam misit, qui Gallorum Regem hortaretur, ut nulla interposita mora, Gallicum equitatum Alpes transgredi juberet, omnique auxiliorum genere socios, amicosque juvaret; viginti millia peditum Clementem, Senatumque Venetum in armis habere; cataphractos, leviores equites, magnam tormentorum vim; Laudem Pompejam initio belli captam, Mediolanum usque signa protulisse; præcipiti eventui tantarum rerum summam credere noluisse, præstolari copiarum adventum invicti regis, qui nonnunquam solus cum Cæsareanos in Italia fregisset, Mediolanum, belli arcem, cepisset, verendum non esse, ne Italorum Principum auxiliis subnixo prospera illi cuncta non evenirent. In Britannia vero Cardinalem Eboracensem omni studio, ut fœderi subscriberet, Henricum impelleret, illum societatis auctorem, & adhortatorem fuisse, a sociis fœderis conservatorem, vademque nuncupatum. Quæ officiorum genera per Sangam obiri Pontifex jusserat, eadem Veneti per nuntios, oratoresque suos præstari mandaverant, Sebastianumque Justinianum, ac Lauren-

*Sebastianus Justinianus, & Laurentius Bragadenus legati ad Galliæ Regem.*

ren-

rentium Bragadenum designatos ad Regem legatos, ut quamprimum in Gallias iter maturarent, decrevere, & post gratulationis officia, ut Gallicis armis fœderi adesset, enixe suaderent. 1526

Atque ut plerumque accidit, ambiguos, nutantesque in consiliis capiundis animos levi momento huc, atque illuc impelli, neque diutius in cœpta semel sententia consistere; Clemens cum belli impetum reformidaret, cujus adventantia signa tota Ecclesiastica ditione apparebant, ac præsertim Romæ faucibus hærere videbantur; neque finem belli in Gallia Cisalpina speraret, nisi alio Cæsaris vires averterentur; Senatui cupere se significavit, ut maritimis viribus Neapolitanum regnum, ac præcipue mari adjacentia Apuliæ loca classe invaderentur: non difficile fore, vel populorum erga Cæsareanos odio, & in fœderatos, præsertimque Venetum nomen benevolentia, vel virium magnitudine, Hispanis imparatis, tota Apulia potiri. Ad hæc Senatus respondet, Rempublicam, ut fœderi satisfaceret, tredecim triremium classem, Aloysio Armerio Præfecto, in Tyrrhenum mare misisse; Corcyræ duodecim ad sinus Adriatici custodiam relictas esse, præter eas, quas ad Cypri, Cretæque regna, & alias in Oriente insulas tutandas habere moris esset: scire magnis copiis, classe militibus, tormentis æneis apprime instructa opus esse, si adversus Neapolitanum regnum, Apuliamque cienda sint arma. Attamen si in ea mente Clemens permaneat, remque serio agi velit, ingenti impetu Apuliam aggredi non recusaturum. Ab hoc consilio Lucas Tronus, Franciscusque Maurocenus continentis præconsultores abhorrebant; neque hoc tempore adversus Apuliam movenda arma censebant, omnia auxilia in Mediolanense bellum congerenda affirmantes, in Insubribus victores Italiam universam armis, victoriisque peragraturos; Rempublicam hoc tempore immensam auri vim in stipendia militum erogare, præter Mediolanenses copias, decem Helvetiorum millia suis sumptibus alere, duorum Germanorum millium delectum haberi jussum: in Carnis totidem peditum millia ad motus Ferdinandi Austriæ Archiducis reprimendos, si forte aliquid novi in Reipublicæ finibus moliretur, contineri: classem præterea, si bellum in Apuliam cietur, instructissimam rebus omnibus, milite, pecunia, numero, habere necesse erit: quocirca in aliud tempus

1526 consilia hæc rejicienda esse, summa vi contendebant. Verum Senatus veritus, ne Clemens, qui non parum prioris constantiæ, ardorisque remiserat, & restinxerat, paulatim ad Cæsarem transiret, ita, ut diximus, per Marcum Foscarum Oratorem responderi Pontifici jussit. Per eos dies Nicolaus Fulgosius Venetias venit, Patribusque significavit, se quamprimum Genuam profecturum, omnique officio, & auctoritate, qua plurimum apud multos pollebat, enixurum, ut civitas in fœderis partes concedat, a Gallorumque regis nutu, & potestate pendeat; non ignorare quantum ponderis illius accessio sit habitura, utpote quæ situs opportunitate, viribus Italicas expeditiones omni tempore juverit. Hæc erant consilia, ex quibus magni rerum eventus pendebant: cum interea Rex, qui Conjacense fœdus summopere concupiverat, non eumdem animi ardorem in exequendis rebus ostenderet; nam quadraginta aureorum millia, duorum mensium elapso tempore, persolvere omiserat; Salassiorum Marchionem in Italiam destinatum nondum arripere iter jusserat; Petrum Navarrum classis præfectum declaratum mora, ac cunctatione distinebat: ita rerum gerendarum occasiones elabebantur, & præcipue Genuæ civitatis expeditio, quam, appropinquante classe, haud dubius rumor afferebat, statim in nostrorum potestatem venturam.

Interea cum jam inclinante æstate, præter Laudem Pompejam, & Modoetiam oppida, nulla fœderatorum rebus facta fuisset accessio, ne exercitus, qui Mediolanum obsidere cœperat, opus summe difficultatis, vel propter civitatis amplitudinem, vel propter Hispanorum constantiam, qui sæpe levioribus præliis mœnia egressi nostros lacessebant; ne sine aliquo egregii facinoris periculo tempus tereretur, placuit, Malatestam Baleonium Perusinum, cujus virtus, famaque ex Laudis Pompejæ eventu non parum aucta fuerat, cum octo peditum millibus ad urbem Cremonam expugnandam mittere; cui Germani mille pedites cum quingentis Hispanis, equitibus ducentis, Corradino Duce, præerant. Malatesta, per aliquot dies urbe circumsessa, aggeribus, fossis, propugnaculis, ænearum machinarum impetu tentata, ac per arcem, quæ Sfortiæ nomine tenebatur, urbem ingredi adortus, cum suorum supra mille pedites amisisset, Franciscus Urbini Dux cum omnibus

*Malatesta Baleonius ad Cremonæ oppugnationem.*

Ve-

Venetorum copiis eo contendere decrevit; qui, patefacto per 1526
vim usque ad munitiones aditu, quibus Cæsareani urbem ex opposito arcis muniverant, fortissimos quosque militum scutis obtectos vallum ascendere jubens, vulnerare ferreis glandibus eminus propugnatores nitebatur; ex quibus multi saucii, plerique ictibus perculsi concidebant. Ad hæc ex arcis turribus crebras ejaculari pilas ferreas, quæ cum Cæsareanos perteruissent, suorumque interitu minus alacres ad ictus excipiendos redderentur, tandem civitatem nostris dedere, nisi intra decem dies auxilia a suis acceperint, paciscuntur, Germanis trans Alpes redire jussis, Hispanis ne, nisi evoluto anno, in Insubribus militare liceret, jurejurando adactis. Dum hæc geruntur, apud Helvetios, ut ea gens arma arripiat, ac in Cisalpinam Galliam descendat, summopere laboratur. At suborta difficultas ex inopinato Mussiani Præfecti ab exercitu discessu, impedimento fuit; is enim cum Sfortiam a nostris exceptum in castris vidisset, statim, nulli consilio communicato, discessit, & cum in Mussianam arcem se recepisset, Oratores Venetos Sebastianum Justinianum, & Laurentium Bragadenum in Galliam proficiscentes contra fas, atque gentium jus captivos fecit, idque ob eam causam, quod adhuc sibi quinque aureorum millia pro Helvetiorum delectu a Pontifice, Senatuque Veneto deberentur. Tulit sane hanc injuriam gravissime Respublica, cum Clemente, ac Francisco Rege conquesta; qui graviter Mussianum Præfectum, ut oratores per summum scelus captivitate affectos liberaret, admonuere; ni fecisset, vi coacturos. Verum Respublica rationes temporum optime pernoscens, & quantum illius opera, atque auctoritas apud Helvetios, Rhætosque posset, intelligens, & Mussianam arcem, quæ lacui Comensi imminet, vel ad hostes avertendos, vel ad præsidia militum excipienda, magni momenti esse; rem per Pesareum legatum, Franciscumque Guicciardinum cum Præfecto componere non recusavit. Itaque quinque aureorum millibus Præfecto solutis, oratores liberati sunt.

*Urbinas Cremonam ad deditionem compellit.*

*Sebastianus Justinianus, & Bragadenus a Mussia Præfecto capti.*

*Finis Libri Secundi.*

# EPITOME.

*UGo Moncata simul cum Columnensibus, qui datam Pontifici fidem fefellerant, Romam ingressus, eaque foede direpta, Pontificem in Hadriani molem confugere, & obsessum coegit quatuor mensium inducias cum Caesare inire. Cremonam per Venetos receptam Senatus Francisco Sfortiae tradi mandavit. Quamvis ad intercludendum Germanis in Italiam aditum nihil operae praetermissum fuisset; alpes transgressi Padum ad Hostiliam trajecere. Foederatorum classis ad Sestrium prospere cum Hispanica congressa est: saeviente maris tempestate pugna dirempta. Pontificem animi dubium, ac relicta urbe Venetias cogitantem, Veneti ab importuno consilio avocarunt. Salassiorum Princeps Venetorum auxiliis auctus Placentiam, quam aggressuros Hispanos rumor erat, validiori praesidio firmavit. Hispani tamen, cum stipendia minime solverentur, orta in castris seditione, nihil moliti sunt. Foederatorum classis mari, Rentius Ceres terra Neapolim versus movere. Puteoles classis adorta est: Hieronymo Priolo, trierarcho Veneto, primo per murorum hiatus ingresso, oppidum captum, ac direptum est. Maritima aliquot oppida se foederatis dedere: Neapoli maxime trepidatum est, ac ni Moncata obstitisset, cives in nostrorum potestatem voluntaria deditione venissent. Borbonius, ut opulentissimarum urbium direptione exercitum aleret, Bononiam contendit, per Etruriam, aut per Flaminiam moturus. Quamquam de octo mensium induciis inter Pontificem, ac Proregem Neapolitanum convenerat, a finibus pontificiae ditionis Borbonius minime vim abstinuit. Dominico Venerio, quod Romae injussu Senatus in conditiones haud Reipublicae aequas foederi subscripserat, dies est dicta. Caesareani Romam cepere, ac foedissime diripuere. Expeditionis dux Borbonius, dum inter primos moenia conscendere nitebatur, glande plumbea trajectus est. Hadriani moles, quo se Pontifex receperat, milite ac operibus cincta est. Cunctantibus, remque trahentibus foederatis, Clemens captivitatis pertaesus ad pacem cum Caesare componendam inclinare animum coepit. Ravennae ac Cerviae, Pontifice captivo, in novandarum rerum spem erectis, praesidium a Venetis impositum. Novi ad instaurandum in Insubribus bellum apparatus facti. Lautrechius Italiam ingressus est. Genua a Gallis & Venetis terra marique oppugnata in Gallorum potestatem concessit. Foederata classis ad Sardiniam tempestate disjecta est. Alexandriam Lautrechius expugnavit. Sfortiam, quod sibi restituta non esset, aegre ferentem Veneti in fide retinuerunt. Lautrechius, capto Ticino, Romam versus per Etruriam, frustra revocantibus Venetis, exercitum duxit. De pace ab Andrea Naugerio cum Caesare actum: ea infecta, bellum a foederatis denunciatum est: Ferrariensis, ac Mantuanus Reguli in societatem adsciti. Inter Suleimanum & Venetos officiis, muneribus, omnique amoris significatione certatum est. Clemens Pontifex multa, neque omnia aequa cum Caesareanis pactus, se in libertatem vindicavit. Senatus consulto cautum est, ut qui a Pontifice singulis ditionis Venetae ecclesiis Episcopi dandi essent, ii a Senatu nominarentur. Hoc ut abrogaretur, simul & Flaminiae oppida ut sibi redderentur, Archiepiscopum Sipontinum Clemens VII. Venetias petitum misit. Gaspar Contarenus Romam his de rebus legatus est. Carolus Caesar Gallos, Venetos, ac Florentinos oratores, qui bellum illi indixerant, comprehendi jussit. Foederatis regnum neapolitanum ingressis, alia oppida vi capta, alia ad deditionem compulsa: plura vetus Neapolitanorum in Gallos studium, & nondum abolita mitis Venetorum in maritimas Apuliae urbes imperii memoria, ad foederatorum partes traxit. Regni caput Neapolim Lautrechius circumsedit, jusso maria obsidere Philippino Auria, eoque Veneta classe a Brundusinae arcis oppugnatione avocata. Brunsuicensis dux ad redintegrandum in Gallia cisalpina bellum a Caesare in Italiam missus aliquot oppida deditione recepit: mox Laude-Pompeja irrito conatu oppugnata, in Germaniam revertit. Hispanica classis, antequam Veneta Neapolim appelleret, a Philippino Auria pene universa aut demersa, aut capta est. Pestilentia deinde in castris grassante, cum Andreas Auria ad Caesarem defecisset, Gallorum res ruere ad Neapolim coepere; donec Lautrechio etiam morbi vi extincto, obsidione soluta, dum se in tutum Galli recipere conabantur, plurimi ab insequentibus Hispanis in itinere caesi, ceteri qui Aversam confugerant, urbem seque dedere coacti sunt. Andreas Auria Genuam occupavit, quae, immutata reipublicae forma, in Caesaris clientelam concessit, arcem praesidio Gallis adhuc obtinentibus. Franciscus Borbonius in Italiam missus multa fortiter, ac prospere in Insubribus gessit. Genuensis arx spe omni subsidiorum destituta Caesari tradita est. Ut Apuliae urbes in fide retinerentur, maxima Senatui cura. Pontifex iterum Flaminiae urbes per Galliae atque Angliae Reges a Venetis repetiit. Multa a Venetis, ac Rentio Cerite in Apulia praeclare gesta. Borbonio amissa Mediolani oppugnandi occasione Genuam exercitum ducenti facti sunt obviam Caesareani Mediolano egressi, ejusque exercitu pene deleto, ipsum cum reliquis ducibus vivum cepere. Urbinas, supremus Veneti exercitus praefectus, Caesareanos Abduam trajicientes ex insidiis adortus, eos magna clade perculit. Ob Caroli Caesaris, conciliata cum Pontifice pace, in Italiam adventum omnes Italiae Principes perculsi, immotis Venetis, ac in priori sententia Italicae libertatis ac dignitatis tuendae manentibus. Pax inter Caesarem & Galliae regem Cameraci clam Venetos facta, sed tandem universae quoque Italiae, praeter quam Florentinis, Bononiae data est.*



# HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI

## LIBER TERTIUS.



QUamvis ex Conjacensi fœdere, quo Franciscus Galliæ rex, Clemens Pontifex Maximus ac Respublica Veneta, sociatis armis, Italiæ libertatem tueri, ac nimiæ Cæsaris potentiæ obsistere decreverant, nullus initio esset, qui tot virium, copiarum terra, marique apparatu brevi Italiam in pristinum restitui statum non arbitraretur; re tamen, atque experientia compertum est, fœdera plus auctoritate, & fama, quam viribus plerumque posse. Nam præter Laudem Pompejam occupatam, Cremonam deditione receptam, nil aliud memoratu dignum terra, marique gestum est; elapsæ quinimmo præclaræ egregie gerendarum rerum occasiones, dum auxiliorum dilatione nihil satis tuto tentari poterat. Verum pene momento versa rerum facies, immutataque fœderis consilia; nam Pontifex, qui nimiam Columnensium poten- 1526

1526 tiam suspectam habebat, quorum quotidie vires, militesque augeri, foverique ab Hispanis intelligeret, veritus, ne paulatim in intimis visceribus virus exardesceret, quacumque ratione statuit concordiam cum Columnensibus inire. Itaque cum Vespasiano Prosperi filio totius Columnensis familiæ nomine, de ultro, citroque injuriis remittendis; de sententia, qua ipsos a reliquorum Christianorum cœtu sejunxerat, abroganda; de militibus ab Ecclesiæ ditionibus amovendis pactiones iniit: statimque ut impensa levaretur, tria peditum millia, qui jamdudum pro Romanæ civitatis præsidio stipendia meruerant, dimisit. Quam occasionem Ugo Moncata nactus, qui superioribus mensibus ad Pontificem rerum Italicarum componendarum causa a Cæsare missus fuerat, ut gravissimis jactatum incommodis a fœderatis sejunctum in Cæsaris partes pertraheret; Pompejo Cardinali Ascanioque Columnæ suadet, facile esse Clementem præsidio militum nudatum, familiæ gloria aucta, quæ priscis temporibus Bonifacium VIII. in potestate habuisset, intra aulæ viscera latentem comprehendere, tumultuario collecto milite tantum facinus perfici posse. Assensere Columnenses, ac trium millium peditum delectu habito, Cæsarem Filetinum cum duobus millibus Anagniam mittunt, eo consilio, ut oppido potirentur, ubi ducenti pedites stipendiis Pontificiis addicti ad custodiam aderant.

*Clementis cum Columnensibus transactio.*

At undequaque itineribus septis, ac vallatis, ne illorum progressus Romæ ad Pontificem perferrentur, coactis ad Anagniam militibus ad tria millia, atque octingentos circiter equos, statimque mira celeritate itinere arrepto, noctu ante xij. kal. octobris improviso urbem adorti, tres occupant portas, ac per Lateranensem ingressi (aderant Ugo Moncata, Ascanius Columna, Vespasianus concordiæ, ac fœderis auctor, & Pompejus Columna Cardinalis) cum nulla esset suspicio, omnia tumultu, ac fuga replevere. Quorum adventum cum Pontifex nondum inalbescente cælo intellexisset, & ad Divorum Cosinæ & Damiani pervenisse, nimio terrore perculsus, consilii inops, viribus nudatus, tumultum sedare, & malorum ingruenti vi obsistere frustra nitebatur. At populus, tanquam nihil hæc ad se spectarent, suppetias ferendi Pontifici nulla signa dabat: qua ex re augeri hostium animi, ulterius progredi, ad Divorum

*Columnenses Romam invadunt.*

rum

rum Apostolorum sistere; inde per Xisti pontem quingentos pedites, nonnullis mixtis equitibus, misere, ac Stephano Columna Pontificis Duce repulso, qui ad opem deploratis rebus ferendam cum ducentis militibus accurrerat, recta ad Divi Petri, Pontificiumque palatium contendunt. Clemens tot angustiis undique pressus, omnique auxilio non modo, verum etiam consilio destitutus, quo se verteret, hostibus jam jam palatium introeuntibus, ignorabat; mortem Pontificalibus indutum vestibus, mitra ornatum, in Pontificia sella sedentem, oppetere, ac interitu tot malorum cohærentium abrumpere seriem satius ratus. Verum id familiaribus dissuadentibus, & Cardinalibus, qui aderant, indignum esse, injuriis, opprobriisque militum Sanctissimum Jesu Christi Vicarium, atque ideo Christianam religionem objicere; vix tandem persuaderi potuit, ut hora xvij. intra Hadriani molem, quam hodie *Sancti Angeli arcem* vocant, sese reciperet. Tunc effusa militum rabies, ac libido nullis rebus neque profanis, neque sacris parcere: pontificium palatium direptum, multis sumptibus egregie collecta supellex ablata, ac quod vix aures patiuntur, Divi Apostoli sacrarium expilatum, Pontificum sacra vestimenta, vasa aurea, argentea, & quidquid undique in augustissimum orbis terræ templum congestum fuerat, avara, ac sacrilega militum manu fœdatum, dissipatum, asportatum. Eodem impetu novum suburbium ingressis, multæ domus, Cardinalium ædes prædæ, ac direptioni vix suffecere; nec temperatum esset, ni a tormentis in mœnibus Hadrianæ molis dispositis sibi timuissent. Tandem tumultu, qui tres ferme horas suas vires exercuit, aliquantisper restincto, Ugo Moncata, prius datis a Pontifice obsidibus Cibo, & Rodulpho nepotibus Cardinalibus, palatium ad Pontificem est ingressus, verbaque ad illum habuit, quibus nonnunquam ut victor in sua esse potestate leges præscribere Pontifici affirmabat; quandoque quæ acta fuerunt leniendo, excusando, Pontificis animum demulcebat; nihil quæsisse hoc facto, nisi ut Clementem, qui, societate Cæsaris relicta, Gallorum regi se tradidisset, ad Imperatoris amicitiam, fœdusque revocaret. Tandem Pontifex cum abscissas salutis spes omnes, seque cum suis intra arcem inclusum, nisi de sententia decederet, intra paucos dies omnium rerum ino-

1526

*Cibus & Rodulphus Cardinales obsides a Clemente dati.*

1526 pia, fameque consumptum iri animadverteret, Hispano cessit, quatuorque mensium induciæ pactæ; ut ab armis cessaretur, ac Pontificiæ copiæ, quæ in Insubribus erant, cis Padum revocarentur, Andreamque Auriam, cum triremibus relicta classe, Romam regredi juberet. Columnensibus, ceterisque, qui Romani tumultus socii fuerant, parceretur, datis Philippo Strotio, Jacobique Salviati filio obsidibus, quos intra duorum mensium spatium Neapoli sisteret; contraque Cæsaris, ac Columnensium copiæ ex imperii Pontificii finibus in Neapolitanum regnum abducerentur.

*Induciæ quatuor mensium inter Pontificem, & Cæsarem.*

Perculere Romanus tumultus, ac Pontificis induciæ vehementer Senatum, quod repente a fœdere abstractum Clementem vi in partes Cæsaris concessisse cerneret; Gallis parce subsidia submittentibus, Pontificiisque copiis trans Padum proficiscentibus, totum belli pondus sustinere cogeretur, alioquin irritos conatus fœderis futuros. At quo magis conceptæ, ac prope adventanti victoriæ reluctari fortunam sensere Patres, eo acrius instandum rati, statim Aloysio Pisano legato injunctum est, ut Michaeli Antonio Salassiorum Principi, qui nuper cum quatuor Aquitanorum militum millibus, quingentis cataphractis, totidemque levioribus equitibus Alpes transgressus in plana Cisalpinæ Galliæ descenderat, suaderet, ut cum copiis Mediolanum proficisceretur, nostrisque conjungeretur, communibusque consiliis, ac viribus bellum administraretur, ne hostes Romano eventu elati insolescerent. Eodem tempore Gallorum regi, quæ Pontifici acciderint, significantur; contra jus gentium, fasque direptam urbem; Clementem intra arcem inclusum vi ad amicitiam Cæsaris impulsum: his animo interrito obsistere Senatum, neque ulla re a regis potentissimi amicitia discessurum; majori studio, ac sedulitate cœptam pro libertate, atque incolumitate Italiæ belli administrationem persequuturum; sperare, Pontificem, quem gravissimis injuriis, contumeliisque ab Hispanis affectum constaret, ab eo, quod cum Cæsareanis, fœdere, inierat, quamprimum recessurum. Ad hæc classis legato mandatur, maritimis Reipublicæ viribus cum Petro Navarro sociatis, nihil earum rerum, quibus hostium vires reprimi queant, prætermittat; a Regeque petitum, ut per literas Andreæ Auriæ significet, ut quamcelerrime reliquæ Gal-

*Principis Salassiorum in Italiam adventus.*

Gallicæ classi præsto sit. Henrico quin etiam Angliæ Regi casus Pontificis significatur, Oratorique injungitur, omnem curam, diligentiamque adhibeat, quo tandem Rex fœdus amplectatur. Cum Pontifice vero Senatus gravissimis verbis illatas injurias, jus violatum, religionem proculcatam conquestus est; quæ cum Gallo, atque Anglo per oratores suos agi jusserit, aperuit; ne lætos, atque de suis contumeliis exultare hostes diutius patiatur; præsertim cum Horatium Floridum cum literis Urbinas Venetias misisset, quibus Senatui significabat, Cæsareanos mensem ad Cremonam dedendam pactos, duodecim ea de causa obsides dedisse; quos fœdifragos semel Pontifex invenerit, iis salutem suam, imperiique incolumitatem credere, rem periculi admodum plenam esse. Quo officii genere Clementis animum, veluti fluctibus agitatum, sedare conabantur. 1526

Verum ex Pontificis induciis multa detrimenta subsequuta sunt; nam quamvis Salassiorum Princeps, qui cum copiis fœderato exercitui se adjunxerat, victoriæ spem afferre debuisset; eam tamen penitus sustulerat copiarum Pontificiarum discessus, quæ Placentiam se receperant. His accessit, quod cum Veneti exercitus Imperator mensem ad Cremonæ deditionem prorogasset, non exigua Venetorum militum manus tempus frustra terendo circa mœnia urbis distinebatur; quo fiebat, ut remissa Mediolani obsidione, quam ingenti spe fœderati aggressi fuerant, Cæsareani non modo metu soluti, & ab incommodis liberi essent; verum circumjacentes depopularentur agros, ac quotidie maximam commeatus copiam in urbem conveherent. Eadem de causa nihil egregii mari gerebatur, Andrea Auria ex præscripto Pontificii fœderis cum sua classe profecto: petentibusque Petro Navarro, & Aloysio Armerio legato pro Genuensi expeditione copiarum terrestrium partem ad Genuam terra, marique oppugnandam, cunctatione vires maritimæ frangebantur. Urbinas, Cremona recepta, quam statim Senatus Francisco Sfortiæ tradi mandaverat, consequutam rerum mutationem cœptis haud respondere animadvertens, neque armorum vi expugnari neque rerum inopia adigi Mediolanenses ad deditionem posse: ab urbis mœnibus abscedere cum exercitu, Modoetiamque munire statuit, ibi-

*Cremona Senatus mandato Sfortiæ tradita.*

1526 ibique validam militum manum relinquere, qui commeatus ex Brianteis montibus Mediolanum comportari solitos interciperent: quo facto cum reliquo exercitu opportuno loco castra habere, ut Abiato, Ticinoque annonam vehentes deterreret: his peractis, Salassiorum Princeps cum suis copiis, adjecto Helvetiorum robore, ad Genuam obsidendam, quam fame, rerumque omnium inopia laborare constabat, proficisceretur.

Verum hæc omnia summis implicita difficulatibus quin ad exitum perducerentur, quam plurima erant impedimento: pridie tamen kal. novembris Urbinas exercitum e castris ad Mediolanum eduxit, atque quinque passuum millia ad Pialtellum castrametatus est. Itaque Mediolanum obsidione solutum, atque aliis super alia rebus supervenientibus, Urbinatis consilia frustra fuerunt. Nam Georgius Frondispergius, qui superioribus in Italia bellis militari gloria claruerat, strenuamque Cæsari operam navaverat, a Gaspare filio Germanorum ductore, Alphonso Davalo, Antonioque Leva magnis propositis præmiis accitus, partim proprio ære, partim Ferdinandi Pannoniæ Regis, ac Margaretæ Imperatoris sororis sumptibus, ad quatuordecim Germanorum millium delectum habuerat, quos per Tridentinos saltus in Italiam ducere decreverat; atque Tridenti lustratis copiis, & bellicis æneis tormentis, pulvereque sulphureo parato, lintribus curribus impositis, nonnullisque machinis ratibus transvectis, per Lagriam, vel Suganam vallem exscensurus in Veronensem, aut Vicentinum agrum videbatur. Quibus ad Senatum perlatis nuntiis, Urbinati significatur, ut quam primum in Veronensium fines tria, vel quatuor millia peditum, centum quinquaginta cataphractos, leviores equites quadringentos mittat, ut sua virtute itinerum angustias tuerentur, aditusque hostibus in Reipublicæ ditionem præcluderent; ac novum quatuor millium peditum delectum haberi decretum; Augustinusque Amulius, spectatæ fortitudinis vir, legatus cis Mincium creatur, cui & repellendi hostis, & omnis, quæ cis Mincium est, regionis defendendæ onus demandatum fuit. Verum itinerum difficultates, nostrorumque ad obsistendum conatus veriti, Tridenti bellicis machinis, earumque apparatu relicto, per angustas, dif-

*Augustinus Amulius legatus cis Mincium.*

1526

*Georgius Frondispergius cum Germanis in Italiam transit.*

*Camillus Ursinus in Salodiensibus.*

difficilesque Ludinensium semitas, Comitibus locorum dominis vias patefacientibus, iter habuere. Quod ut nostris nuntiatum est, statim Vicentini, Veronensisque agri aditus equite, & pedite obsepti, Camillusque Ursinus in Salodienses fines missus; cum maxime, quod verendum esset, ne Germani, lembis ad Ripam coactis, Salodium oppidum in margine Benaci occuparent, amplissimoque lacu, opportuno loco sito, potirentur, Camillus cum militibus, ut statim se in viam darent, præcepisset. Magna leviorum equitum, ac peditum pars, sæviente tempestate, & ventis, quibus sæpissime terra circumsepti lacus fluctus mirum in modum intumescunt, lintribus vehi nequiverunt. Nihilominus cum hostes Coronæ angustias superare laborassent, a nostris non sine aliquorum cæde repulsi sunt; ut per montium juga pergere coacti, tandem Gavardum per acclivia loca descenderunt, ac citato gradu in Mantuanorum fines xvij. kal. decembris ad Castelloneum oppidum, quod Stiviarum vocant, consedere: incertusque rumor ferebatur, Padum ad Ticinum trajecturos.

Hæc omnia cum per certos nuntios Urbinati renuntiarentur, ad Vavrium trans Abduam, ubi inter Treccium, Cassanumque superioribus diebus flumini pontem superjecerat, castraque munierat, Salassiorum Principem cum Gallis, Helvetiorum, Rhætorumque robore, & magno Venetorum peditum, & cataphractorum equitum numero reliquit: ipse xviij. kal. decembris, Joanne Mediceo socio itineris cum suis militibus adscito, cum Germanis, ac reliquis Venetis copiis, ad decem supra quatuor peditum millia nuper sacramento militiæ adactis, cataphractis sexcentis, & non parva leviorum equitum manu Vavrio profectus, xv. kal. decembris ad Soncinum trans Ollium flumen castrametatus est; Mercuriumque Buam cum levioribus, & cataphractis equitibus ad hostes turbandos, incommodisque afficiendos ire jussit, qui eadem die ad Cancianam apparuerant. At cum x. kalen. decembris Germani Ripaltam pervenissent, quo die Venetorum imperator ad Pratum Alboini castra habuit, incertumque esset, quonam iter dirigerent; tandem viij. kalen. ad Borgofortium Padum trajicere statuunt: cumque Tridenti, ut diximus, tormentarium apparatum reliquissent, ab Alphonso Ferrariæ Duce, qui nu-

*Germani ad Borgofortium a Ferrariæ Duce tormentis instructi.*

1526 nuper ad Cæſaris partes ſe contulerat, quatuor tormentis, quos *falcones* vocant, ſecundo Pado immiſſis, adjuti ſunt. Urbinas hoſtes, quos in viam ſe dare certior factus fuerat, ſtatim eſt inſequutus; Joanneſque Mediceus prope Borgofortium poſtremum agmen leviore equitatu aggreſſus ordines Germanorum turbare, & cominus pugnare cœpit. Sed dum acrius inſtaret, & vehementius in hoſtes ferretur, *falconis* ictu crure percuſſo, abſcedere pugna coactus eſt; dein Mantuam delatus brevi dierum intervallo, fruſtra remedia expertus, omnium mœrore, bellicæ fortitudinis fama ad poſteros tranſmiſſa, extinctus eſt, dum in flore juventæ maturiores diſciplinæ militaris fructus ferret. Itaque obſiſtente nullo, ad Hoſtiliam trajecto Pado, ad Revereſia caſtrametantur, Urbinas ad Borgofortium cum copiis ſubſtitit, ſtatimque Horatium Floridum Venetias miſit, qui Senatui nuntiaret, Germanos Padum tranſgreſſos, ſe cum exercitu ad Borgofortium eſſe; ponte flumini ſuperjecto, quænam voluntas Patrum ſit, expectare; Bononienſes, Hetruſcoſque in ſuma trepidatione eſſe: Pontificis Legatum, Regis Gallorum Oratorem flagitare, ut cum vehementer rebus Pontificiis timendum ſit, ne Germanorum impetus in Eccleſiæ fines effundatur, quamprimum Padum Venetorum copiæ trajiciant, ac nutantibus Pontificis rebus celerrime opem ferant. Nulla itaque interjecta mora Senatus cogitur, variiſque ſententiis graviſſima in re diſceptatur. Collegii Patrum ea fuit ſententia; ne ſtatim Imperator cum exercitu Padum tranſiret, fineſque Reipublicæ relinqueret; in hac rerum omnium immutatione nihil temere agendum, priuſque Urbinatis ſententiam exquirendam, qua copiarum parte potiſſimum abſque Reipublicæ detrimento Pontifici ſubveniri queat. Contra Andreas Gritus Princeps, ac Sexviri, nulla mora imperatorem trajicere cum copiis Padum cenſebant: inter hos Nicolaum Bernardum vehementi, & gravi oratione, in ſuas partes ut Senatum traheret, laboraſſe ajunt: nihil Pontifici adverſi accidere poſſe, quin Reſpublica eiſdem veluti fluctibus jactata auferatur; conſtanti ſociorum fide, cohortatione, auxilio, licet vi fœderi Cæſareano ſubſcripſerit, eamdem mentem erga fœderatos retinere: ſi cunctando tempus teratur, rerum gerendarum occaſiones elapſuras: quod ſi ea in re ne quid

*Joannes Mediceus falcone percuſſus Mantuæ obiit.*

*Horatius Floridus Venetias ab Urbinate miſſus.*

quid accidat Reipublicæ detrimenti verendum sit, Pontificis 1526 commoda anteponenda se non existimare, rem totam Imperatoris consilio, voluntatique permittendam, qui si ponte Padum trajicere decreverit, cum quadringentis cataphractis, quatuor peditum millibus, ac leviorum equitum manu rebus Pontificiis opem ferendam: sin secus statuerit, statim unus ex Legatis cum copiarum parte trajiciat, omninoque Pontifici in hac rerum perturbatione viribus, opibus, consilio Rempublicam adesse oportere: tutius tamen visum est in re gravissima Collegii Patrum sententiam amplecti, eodemque tempore & Reipublicæ finibus, & Pontificiæ ditioni prospicere.

*Fœderatorum classis ad Genuã.*

Dum hæc terra geruntur, fœderatorum classis, cui Genuæ occupandæ spes oblata fuerat, tempus frustra conterebat. Nam cum totius rei exitus ex terrestribus penderet copiis, quas Petrus Navarrus, & classis Venetæ legatus ab Urbinate flagitaverant, novique rerum eventus nova consilia postulassent, inani expectatione elusi sunt. Id vero potissimum ea de causa acciderat, quod induciæ Cremonensis dedendæ urbis per mensem concessæ fuerant; Pontifex exercitum ex fœdere cum Cæsareanis inito a nostris copiis sejunxerat; quæ Romæ contigerant, magnam virium partem attraxerant; Germani Alpes transgressi in Cisalpinam Galliam descenderant; quibus effectum fuerat, ut neque dividi exercitus, neque opportune ad Genuam terra coercendam milites mitti potuerint. Atque interea Prorex Neapolitanus cum triginta duarum navium classe e Carthaginis novæ portu solvens Corsicam insulam appulerat: cujus adventus fama ad nostros perlata, Aloysius Armerius legatus, ac Andreas Auria Navarro significaverant, sibi videri, triremibus aliquot ad Savonæ præsidium relictis, cum tota classe usque in Corsicam adnavigandum, & cum Prorege certa victoriæ spe congrediendum: eamdem sententiam Navarrus amplexus cum classe regia, ut cum Venetis, Pontificiisque triremibus, coactis totis viribus, Hispanos adorirentur, proficisci statuit. Sed dum hæc agerentur, Prorex Corsica viginti quinque navibus profectus, reliquis septem ventorum vi in transversum actis, fœderatorum classem, quæ sex Gallicis, quinque Venetis, totidem Auriæ triremibus constabat, ad Sestrium in Genuensi ad orientem solem ora obviam ha-

*Prorex Neapolitanus cum Hispanica classe ad Corsicam.*

1526 *Prœlium classis fœderatorum cum Hispanis, & Hispanorum cædes.*

habuit, statimque ad pugnam ventum est; atque a vigesima secunda diei hora ad noctem usque non sine Hispanorum detrimento, multorumque hostium cæde certatum est. Verum sæviente maris tempestate, fœderati ad Delphinum portum se receperunt, adventum ibi reliquarum triremium, quæ in Veneris portu stationem habebant, præstolantes, ut Proregem ante solis exortum remis, velisque insequerentur, quem ad Liburni portum usque maximo conatu, irrito eventu, persequuti sunt.

In his Reipublicæ Christianæ sævientibus fluctibus spes aliqua portus e longinquo sese ostentabat; nam Pontifex belli pertæsus, ac diuturnitate curarum confectus, vehementi ob Germanos Padum transgressos timore perculsus, quoquo modo finem bellis imponi ardenter cupiebat. Nec Henricus Angliæ Rex, qui post Romanam cladem Pontifici consilio, & pecunia non defuerat, abhorrere a pacis publicæ consiliis videbatur. Gallorumque Regem, ut tandem filios, quos obsides in Hispania habebat, reciperet, a concordia ineunda non alienum fore ferebatur. Qua in re Franciscanæ familiæ Antistes Pontifici suam operam obtulerat, in eaque summum reipublicæ Christianæ commodum ostentabat, vel pace, vel induciis atrox bellum ab Italiæ cervicibus depulsum iri ajebat. Eodemque animo se esse Senatus Venetus Pontifici significaverat; quippe qui nisi lacessitus ad arma nunquam accessisset, & semper belli incertis, dubiisque eventibus uberrimos pacis fructus antetulisset: arma utrinque submovenda, ab injuriis abstinendum, induciis ad pacem gradum faciendum; quod Laurentius Hetruscus, Regis apud Rempublicam orator, non abnuebat, ac Bajucensis mirifice probabat. Verum Pontifex mora omni, atque cunctatione vehementer angebatur, neque difficillimis temporibus undique armis constrepentibus, suisque rebus præsertim graviter minantibus, animi ambiguus, hæsitansque, vigore mentis in summum timorem, ac terrorem verso, se satis explicare poterat; ita ut Reipublicæ Oratori Romæ se abeundi consilium cepisse, ac Venetias proficisci velle significaret; a Senatu petere, ut quamprimum duas Anconam triremes mittat, quibus vehi in tutissimum suis rebus portum queat.

Ad

Ad hæc Senatus nomine a Foscaro responsum est : non eo loco res esse, ut ad extrema consilia Clementi deveniendum sit : ceterum quod ad triremes attinet, statim paratas fore ; ac si id acciderit, ut Venetias accederet, in nulla terrarum orbis regione libentius, aut jucundius exceptum iri : neque nunc primum Rempublicam omnia pietatis, ac liberalitatis officia erga sanctissimam illam Sedem exhibuisse; utpote quæ eadem religionis, & urbis fundamenta habuerit, jactatosque variis fortunæ casibus Pontifices Romanos intra sinum suum receperit, classibus adjuverit, neque summorum principum orbis terrarum inimicitias, & copias perhorruerit, donec illos pristinæ restitutos dignitati in sua sede collocaverit. Cæsareanos nil sex mensium spatio, præter Germanos istos in Italiam immisisse; pecunia, commeatu laborare; milites ægre sub signis contineri posse; sua tandem mole ruere oportere : quocirca præteritarum rerum gestarum gloria subnixum parvam temporis moram Pontificem sustinere debere, ut pacem cum dignitate tueretur. His nutantis Clementis animum erigere, & confirmare Senatus conabatur : cum interea Germani, Frondispergio Duce, Pado ad Hostiliam trajecto, Roveretum castrametati sunt; ac de administrando bello consilio habito, per opportuna Cisalpinæ Galliæ loca iter in Insubrum fines dirigere, ut Cæsareanorum copiis, quæ Mediolano continebantur, conjungerentur, decrevere. Itaque Gabello torrente superato, iiij. nonas decembris ad Guardistallum ( id oppidum a Padi fluminis ripa non longe distat ) commorati, sequenti die ad Castrum novum decem passuum millibus a Parma civitate Arausionensem Principem obvium habuere, qui per Mantuanorum fines, ut cum Germanis munia militiæ obiret, advenerat: deinde Anicia, Parma, Taro fluminibus trajectis, cum ad Fidentiolam, agri Placentini oppidum, consedissent, pridie idus decembris literis, ac nuntiis Cæsareanos magnopere solicitabant, ut quamprimum copias conjungerent, itineribus, quibus ad Padum pervenitur, quamcellerime complanatis. Interea Salassiorum Princeps, ad Trevium lustrato exercitu, cum ad decem millium peditum numerum, tria millia, octingenti, octogintaque desiderarentur, Venetis militibus auctus est; stipendium centum septemdecim, ac nonaginta aureo-

*1526 Clementis consilium Venetias proficiscendi.*

*Principis Arausionensis ad Germanos accessio.*

1526 reorum millium Reipublicæ ære persolutum : octo insuper majora tormenta, quos *canones* , *colubrinas*, *falconesque* vocant, addita: pilæ ferreæ, tormentarius pulvis, tormentorum magistri missi : tercenti præterea equites levis armaturæ cum Joanne Viturio legato; quibus copiis Trevio movens in agrum Cremonensem contendit , statimque ad Placentiam tutandam duo peditum millia mittit, quam, rumor proferebatur, Cæsareanos Mediolano egressos una cum Germanis Frondispergii copiis oppugnaturos. Verum omnia Borbonii consilia pecuniæ inopia irrita reddebantur : neque egredi urbe milites , nisi prius perceptis stipendiis, adduci poterant. Ab Hispanis primum orta commotio; omnium se rerum egestate pressos, vitam omni miseriarum genere cumulatam traducere : spernere inde ducum imperia, excutere disciplinæ militaris onus , impetu magno irruentes in obvios sævire, tabernas publicas platearum diripere. Eadem rabie jactati Germani milites atrocia minari , ac ni pecunia solvatur , omne facinus patraturos . Qua re Carolus Borbonius, Alphonsus Davalus , Antoniusque Leva permoti statim in medias militum cohortes tumultus sedandi causa ingressi , vix quinque mensium stipendio promisso, ardorem Hispanorum , ac effusam in omne facinus libidinem coercere potuerunt. Atque ut pecuniam colligerent, innoxios cives, mercatoresque comprehensos , & sævis inclusos carceribus, ad argenti vim repræsentandam cogebant : ex templis, basilicisque congesta a religiosis viris auri , argentique munera, neque divinis, neque humanis parcentes rebus, auferebant; persolutaque in singulos militum manipulos stipendiorum parte , Ticinum submittebantur . Germani vero Nuriam flumen, deinde Trebiam transgressi , Carolum Borbonium cum exercitu opperiebantur. Atque hic rerum status erat exeuntis anni M. D. XXVI.

*Placentiæ præsidium auctum. Hispanorū militum seditio.*

*Cæsareanorum sævitia in pecuniis exigendis.*

## M. D. XXVII.

1527 Verum irrita Genuæ obsidione, ne ingenti sumptu instructa classis otio torpesceret , in Neapolitanum regnum maritimæ eo majori spe conversæ vires , quo disjunctæ hostium copiæ minus ad obsistendum facultatis afferre poterant. Se-

*Fœderati ad Neapolitanam expeditionem se comparant.*

1527

*Augustinus Amulius legatus ad Terracinā.*

Senatus itaque Augustino Amulio, quem nuper legatum creaverat, ut Centumcellas proficisceretur, & cum fœderatis juncta classe Neapolim versus vela daret, præcepit. At Gallorum classe morante, legatus Terracinam progressus tria millia peditum, quibus Horatius Baleonius dux itineris fuerat, triremibus excepit; atque ut facilius tota ea res ad exitum perduci posset, e Galliis Comes Vademontius advenerat, qui quod ex stirpe Regis Renati ortus esset, antiqua Andegavensis familiæ jura in Neapolitanum regnum sibi vindicabat; ut maxime sperandum esset, Neapolitanos vel memoriam priscorum Regum retinentes, vel in Gallorum gentem propensione, præsertim cum novarum rerum appetentes sint, ad classis adventum Vademontium lætis animis excepturos; nam a fœderatis vulgatum erat, avitum regnum se Vademontio tradituros, neptemque Pontificis, Laurentii Urbinatum Ducis, filiam connubio juncturos. Universa itaque classis, quæ ex duabus & viginti triremibus constabat, Neapolim versus vela solvit; cum interim Rentius Ceres decem millium peditum copiis terra Aprutianorum fines invasurus esset. Andreas Auria, qui primus iter arripuerat, Puteolos aggressus, cum tormentis displosis arceretur, re infecta discedere coactus fuit: mox cum reliqua classis accessisset, oppugnari oppidum maritimum cœptum est, ut tuta aliqua statio subducendis triremibus adesset. Itaque mœnia quassata, ac dejecta globorum vi locis aliquot fuere, milites in continentem exscendere, terra, marique adoriri. Paulus Justinianus Trierarchus Venetus primus cum suis per murorum hiatus oppidum ingressus est; illum ceteri sequuti, captum, direptum, statimque arx deditione in nostrorum potestatem pervenit. Quo prospero rerum eventu populorum perculsæ, ac consternatæ mentes, quocumque fœderata classis sese ostenderet, cuncta maritima oppida ultro se dedere; si qui obsistere audebant, vi, atque armis cogebantur, ut Surentinis evenit. Itaque brevi tota maritima ora potita est, ac prope Neapolim, caput regni, pervenit. Interea Ceres Neapolitanos fines ingressus, Truento amne trajecto, Aquilæ oppidum, Taliacotii, Marsorum, Albæ, & Celani comitatus in suam potestatem redegerat.

*Vademontii Comitis in Italiam adventus.*

*Paulus Justinianus Venetus Trierarchus Puteolos ingreditur.*

*Fœderatorum consilia de Neapoli oppugnanda.*

Prosperis his eventibus elatis nostrorum animis, in spem ve-

*H. Mauroceni T.I.* O

1527 venerant Neapolitanæ urbis potiundæ; quo facto debellatis hostibus, finem belli impositum iri; ea præsertim civitate Cæsari adempta, ex qua ingens pecuniæ vis ad alendos, sustentandosque exercitus colligi poterat: quamplurima cum ad terrestres copias, tum ad classes comparandas inde proficisci solita adjumenta; reliqua oppida belli terrore commota, præcipua urbe, quæ caput regni est, amissa, statim nostris accessura: neque vero difficile esse, cum haud satis valido militum præsidio tuta esset, nec tantum animi, ac roboris habituros, quantum ad belli impetus sustinendos par esset: ad hæc permagnam nobilitatis partem Hispanici dominatus pertæsam, cum primum occasio se obtulerit, signa haud ambigua suæ erga fœderatos propensionis edituram; Proregem a civitate abesse, nec brevi ea subsidia, quæ ad hostes evertendos necessaria forent, mitti posse. Itaque tempus minime inani cunctatione terendum, statimque urbem oppugnandam. Qui tutiora consilia amplectebantur, minimum fortunæ relinquere soliti, adventum Rentii Ceritis præstolandum ajebant, ut majori vi, & conatu invadi civitas posset; præsertim cum ejus oppugnationis exitus magnum in utramque partem momentum allaturus esset: frumenti inopia cives laborare, nonnullis captis navibus, quibus multa ad victum necessaria convehebantur; populum, summa instabilitate, & impatientia notum, annonæ caritatem non facile passurum. His aditum Neapolis potiundæ aperiri posse. Classem præterea non eo numero militum constare, qui ad amplissimam urbem expugnandam requiri videbatur: quocirca novarum copiarum incrementis, aut navibus, aut terra adventuris classem augendam, ut absque periculo res tanta ad exitum perduci queat. Interim Salernum peti oportere; illam parvo militum præsidio subnixam cito vel deditione, vel vi in nostrorum potestatem casuram, illiusque exemplum reliqua illius regionis oppida subsequutura. Prior tamen vicit sententia, ac nuntius Neapolim missus, qui fœderatorum nomine dedi civitatem postularet.

At Ugo Moncata cum primum classem quatuor passuum millibus tantum abesse intellexisset, coactis duobus millibus & quingentis militibus, ex eorum numero, qui custodiæ urbis præerant, turma populari auctis, trecentis equitibus adjectis,

ctis, urbe egressus, Vademontium, & Horatium Baleonium cum militum nostrorum manu obvios habuit, qui e triremibus ad oppidi situm explorandum exierant: statimque, pugna oborta, hostes fugam arripuere, cum momento displosis triremium tormentis, ingenti globorum vi perterrefacti, neque consilii, neque roboris ad obsistendum aliquid afferre possent; penitusque dederunt terga, nostris adeo acriter insequentibus, ut non procul absuerit, quin nonnulla tormenta amiserint, nisi Moncata ipse cum delectis aliquot Hispanorum cohortibus præsto fuisset. Verum ob eam causam cum tardius in urbem se recepisset, neque sublicii extollendi pontis, neque portam occludendi tempus habuit, quæ statim ab insectante Baleonio fuit occupata. Sed cum parva militum manu septus esset, vereretur que, ne ingressi urbem milites statim diripere, ac prædas agere inciperent, palantesque, ac nullis ordinibus coacti cæderentur, ad triremes, quæ non amplius mille passibus inde distabant, satius regredi existimavit. Hoc facto, tanto Neapolitani terrore perculsi sunt, ut classium duces oratum mitterent, ne urbem tormentis quaterent, neve agros diriperent, ac incenderent; se enim ad deditionem faciendam paratos esse. Unus Ugo Moncata hanc civium propensionem, hos fœderatorum conatus constanter excipiendos putabat, omnem fortunæ aleam, & quidquid adversi accidere poterat, forti animo subiturus; cum præcipue illud compertum haberet, parvum militum numerum in classe esse, quod magnam partem ad capta oppida tuenda nostri reliquissent, nec quidquam aggredi posse, nisi prius Galli classi adventassent: quæ omnia vires fœderatorum distinendo partum victoriæ fructum intercipiebant. Neque subsidia ad classem a Cerite mittebantur, licet obnixe postularentur: jam enim ferebatur, prolapsam disciplinam in Ecclesiastico exercitu esse, non ducibus obtemperari, pecuniæ, atque anonæ inopia premi; inde quotidie numerum militum imminui, spes rerum bene gerendarum recidi, ut sensim concepta de fœderatorum viribus opinio in animis hominum elanguesceret. 1527

*Ugo Moncata pugnã cum Vademontio, & Baleonio conserit.*

*Ugonis Mõcata constantia in Neapoli propugnanda.*

Quæ res Clementem, qui numquam a pace cum Cæsare ineunda abhorrere visus fuisset, in eadem sententia confirmaverant. At Senatus nullum officii genus, quod ad nutantem

1527 Pontificis animum confirmandum attineret, prætermittebat. Urbinatem copias lustrasse, propediem cum exercitu progressurum; omnia nostris favere; Germanos, atque Hispanos ob stipendia non soluta hostium exercitum tumultu replevisse; classem fœderatorum multa oppida prope Neapolim cepisse; in summa trepidatione urbem versari; Rentium Ceritem, impetu in Neapolitanum regnum facto, non exiguam regionum illarum partem in suam potestatem redegisse. His accedere, quod Langeus non contemnendam pecuniæ vim attulerit, Regisque animum erga communia fœderatorum commoda summopere propensum patefecerit. Quæ cum ita sint, cur hæsitare, rebus cunctis ad vota fluentibus, Pontifex velit? cur non cœptis instare? atque tot laborum, & impensarum præmia inani timore fessum amittere? cur demum non ea ratione Cæsareanos eludere, qua ipsi illum perstringere conantur? illud tantum ab eo flagitari, ut nil absque fœderatorum scientia, & assensu de maximis rebus statuat; cum præcipue quantum terra, marique poterant, vires auxerint, copias comparaverint, classem instruxerint. Et ne pecunia copiis desit, quindecim aureorum millia a Senatu mittuntur, quibus augeri exercitus posset, qui, Duce Rentio Cerite, jam, ut diximus, in Neapolitanos fines ingressus multa oppida partim vi, partim deditione ceperat. Advenerat his diebus e Gallis Andreas Rubeus, qui a Senatu ad Regem missus, atque ob præclaram pro Republica in magnis rebus navatam operam torque aurea honoris causa donatus fuerat. Is egregiam Francisci voluntatem erga Rempublicam Senatui significavit, arctiori se societatis vinculo, licet Clemens ad partes Cæsaris accessisset, Reipublicæ conjuncturum. Ea res maximopere grata Senatui fuit, Pontifice præsertim, licet antea se nunquam a fœdere recessurum profiteretur, ad inducias, & pacem cum Cæsare ineundam propenso: hinc Regi gratiæ actæ a Sebastiano Justiniano Senatus nomine, atque illud adjectum; Rempublicam eamdem fortunæ aleam, eosdem casus cum Rege subituram; nunquam vel consilia, vel vires a potentissimo Rege sejuncturam. Quod vero ad Clementem attinet, secreto cum Prorege agere, verendumque esse, ne pollicitationibus illectus, aut periculorum facie, quæ menti pavidæ semper majo-

majora, & vehementiora objici solent, commotus, atque per- 1527
territus tandem Cæsareanis accedat; id si contingat, ingentibus Venetam Rempublicam tempestatibus jactatum iri, omnem bellorum impetum, ac procellam in nos evasuram. A Rege itaque petere, ut quam maxima celeritate, & viribus possit, id si acciderit, amicæ Reipublicæ subveniat. Pontificis cum Prorege colloquia, & ad fœdus ineundum cum Cæsareanis propensio effecerant, ut ingenti spe, summaque alacritate suscepta in Neapolitanum regnum expeditio paulatim non minimum pristini vigoris amitteret, cum militum animi ob rumores induciarum ardorem victoriæ reportandæ restinxissent, non pecunia exercitui submitteretur; inde quotidie copias imminui, classem otio torpere, militum paucitate nil aggredi, hostium antea labantes spiritus erigi, adventantemque olim victoriam e manibus eripi. Itaque concepta in hominum mentibus de fœderatis opinio, atque expectatio cœpit labascere.

Altera ex parte in Gallia Cisalpina cum Germani milites, Frondispergio Duce, ad Casale majus trajecto Pado, Fidentiolam, agri Placentini oppidum, se contulissent, obsidionis metu Mediolano liberato, ulterius progredi, atque militum impetum in alias regiones avertere decretum est: agris præsertim Insubrum belli diuturnitate ad vastitatem redactis, Laude Pompeja amissa, Cremona a nostris occupata, ex quibus magna annonæ vis exercitui suppeditari poterat. Objecere sese primum Pontificiæ ditionis oppida, in quæ universa procellarum vis effundenda foret; quocirca ad Placentiam expugnandam animum adjecerant. Ea res cum Veneto imperatori, ac Salassiorum Duci innotuisset, statim valido in urbem præsidio militum immisso, mœnibus vallo, fossaque munitis, Carolus Borbonius, qui cum Hispanorum copiis, & machinis propius accesserat, cœptis desistere coactus fuit; cum vereretur, si urbis expugnandæ periculum faceret, exercitus, qui ad sex millia passuum inde castra habebat, opportunam nactus rei bene gerendæ occasionem ne prætermitteret. Spe itaque Placentiæ occupandæ dejectus, statuit Borbonius in Hetruriam aut per Flaminiam exercitum ducere, ut nobilissimarum urbium direptione, divitiis alta pace collectis egestati exercitus succurreret, ac militum prædæ, & rapinarum sitim expleret: inter-

1527 ea Antonio Leva cum quatuor Germanorum, totidemque Hiſpanorum cohortibus in Inſubribus relicto. Motis itaque caſtris Borbonius Bononiam pervenit, inde in Flaminiam, ut plerique arbitrabantur, tranſiturus. Nam itinera complanari, ac dirigi ad tranſeundum exercitum, quæ ad Centum oppidum perducunt, Dux Ferrarienſis juſſerat; qui cum ad Cæſareanas partes, odio in Pontificem ductus, acceſſiſſet, cum Borbonio ad Finale oppidum ſecreta colloquia habuerat; illum nonnullis tormentis bellicis, & pecunia juverat, in ſpem erectus, in hac Pontificis rerum omnium perturbatione, Mutinæ, & Regii potiundi. Agrum Bononienſem Borboniani milites ferro, atque igne vaſtaverant, ut hoc exemplo Florentinos perterrefactos ad aliquam argenti vim exercitui ſolvendam cogerent, ut agros nobiliſſimarum domorum frequentia inſignes ab hoſtium injuriis vindicarent.

*Borbonii, & Ferrarienſis ad Finale colloquium.*

Clemens itaque cum totam belli molem, impetumque ſe ſuſtinere non poſſe animadverteret, nobiliſſimaſque urbes prædæ, ac libidini militum ceſſuras proſpiceret, ſatius ducebat, vel iniquis conditionibus cum Cæſareanis paciſci, quam Pontificium imperium ingruentibus undique maximis periculis objectare. Quapropter neque Reipublicæ conſilia, neque Langei a Rege miſſi adhortationes, ac pecunia, quam ex Gallia attulerat, a concepta ſententia avertere potuerunt, quin cum Prorege octo menſium inducias paciſceretur, qui ob eam cauſam Cæſarem Ferramoſcam Romam miſerat, atque ſe intra paucos dies ad urbem venturum Pontifici pollicitus fuerat, ut majori auctoritate pacta ſancirentur, & perficerentur: cum interea Cardinalis Triultius Legati Pontificii munere fungens Neapolim profecturus eſſet. Ferramoſca poſt ſex dies Romam cum veniſſet, inducias confirmavit, ſponſione adjecta, Borbonium ſuis copiis nec ditionibus Eccleſiæ, nec Florentinæ Reipublicæ damna ulla, aut incommoda illaturum: id ſi renuiſſet, Hiſpanos milites, qui in ſua auctoritate erant, evocaturum. Pontifex vero exercitui ſexaginta aureorum millia perſoluturum, Columnenſibus parciturum, Pompejum Columnam in priſtinam cardinalitii ordinis dignitatem, qua illum exuerat, reſtituturum, promiſit. De illorum oppidis nil ſtatuendum eſse; ſed ab utraque parte retinenda decretum eſt.

*Induciæ octomenſes inter Pontificem ac Cæſareanos.*

His

His de rebus Galliæ Rex a Reipublicæ oratore certior factus, 1527
neque Senatus consiliis, neque Langei officiis labantem Pontificis animum retineri potuisse; magis apud illum Borbonii in Flaminia motus, instantemque periculorum adspectum, quam fœderatorum fidem potuisse: hoc Clementis consilio spes omnes bene gerendarum rerum imminui, ac debilitari; verendumque esse, ne a Pontifice, hisce induciis fœdere violato, Cæsarique adjuncto, totius belli impetus in Venetos effundatur: unam Rempublicam universos hostium conatus excepturam, undique Cæsaris copiis septam, quas jam prope in penetralibus sentiat: iis Alphonsum Ferrariæ Ducem accedere. Quos vero hostes in Italia modo habent, nisi Rempublicam? adversus quam totam armorum vim exercere non dubitaturos: qua in re si compotes voti sint, si Venetos devicerint, quis ambigat, reliqua illis ex sententia eventura? hoc tanquam gradu sibi ad monarchiam totius Christiani orbis amplissimum iter munituros: petere itaque, rogare, flagitare, ut majoribus auxiliis, & copiis in hoc rerum periclitantium statu amicus Rex Reipublicæ subveniat, arctiorique societatis nexu eamdem complectatur. His Regem ad opem sibi ferendam Veneti hortabantur: verum in ancipiti humanarum rerum exitu, ut jactatæ tot bellorum casibus Christianæ reipublicæ subveniretur, a communibus Christianorum Principum induciis minime Patres abhorrebant; quapropter illud Regi adjectum est, se induciis cum reliquis ineundis consilia a suis commodis haud aliena fore, existimare: cum interea cum Anglo cognationem filii connubio arctius firmare, quod maxime Cæsareani verebantur, atque potentissimi Regis mentem summopere ad inducias propensam ad se allicere posset; hoc facto, Cæsarem suspicione laborantem, ne Clemens, Angli, Galli, & Veneti socia arma jungant, facilius Francisci Regis filios dimissurum, ac post tot bellorum pericula, & clades optata tandem pace Christianam rempublicam potituram. Interim ne propter Clementis cum Cæsare pactas inducias aliquid fœderatorum res detrimenti paterentur, Urbinati imperatori, qui tum cum exercitu inter Mutinam, & Regium morabatur, Senatus significat, ut cum Salassiorum Duce incolumitati copiarum consulat: idem Bajucensis Episcopus Salassio scripserat, ut suos milites nostris adjungeret.

*Urbinas cũ exercitu inter Mutinam, & Regium.*

1527 Verum ex altera parte Pontifex, postquam pepigerat cum Cæsareanis inducias, suas copias e Neapolitano regno evocavit, classem ad Centumcellas regredi jussit; ducibus mandavit, ut quæcumque oppida in Neapolitanorum finibus ceperant, statim Cæsareanis restituerent; ac Joanni Viturio legato Veneto primum, mox Senatui inducias cum Cæsare initas, neque hostile aliquid adversum illum moliri imposterum posse, significavit. Patres præcipiti hoc Clementis consilio multa illi damna imminere jam tum mente prospiciebant. Quocirca ne hostium promissis nimium fideret; ne sua omnia incertæ fortunæ casibus objectaret, monebant. Ut enim Prorex quæ spoponderat, quam maxime servare velit, quis Caroli Borbonii mentem satis perspectam haberet? cum paria imperia cum illo se habere dictitaret, ac præferoces ejusdem spiritus non adeo facile mitescere posse haud dubium esset. Quod re ipsa evenit: nam cum Franciscus Guicciardinus a Borbonio petiisset, ut ab Ecclesiæ finibus abstineret: se quidem, respondit, ad inducias inter Cæsarem, ac Pontificem initas servandas apprime paratum esse: at milites contineri non posse; omnes ad bellum persequendum, stimulis veluti quibusdam percitos, ardorem nulla ratione compescendum præseferre; se vero ad coercendam militum petulantiam, ac ruentes in martis aleam spiritus imparem esse. Itaque Rhenum flumen cum exercitu transgressus iter Flaminiam versus arripuit. Guicciardinus autem opem Reipublicæ implorabat, atque ut turbatis, & afflictis rebus Pontificis succurreret, flagitabat. Senatus non quæ Pontifex nuper adversus fidem, & jusjurandum egerat; sed quid e re communi esset, perpendens, pollicetur, si Borbonius cum exercitu hostiliter Ecclesiæ fines ingrediatur, arma pro Clemente sumpturum; legatoque exercitus mandatur, ut cum Salassiorum Duce, ac Francisco Guicciardino communicatis consiliis, Cæsareanorum explorata mente, ac viribus, equitatum gravioris, leviorisque armaturæ parent, omnia ad prælium opportuna instruant; ut, si res, atque tempus postulet, hostium conatus avertere, incolumesque res Pontificis servare possint.

*Franciscus Guicciardinus a Borbonio petit, ut ab Ecclesiæ finibus abstineat.*

Sed Carolum Borbonium nulla res remorari poterat, quin milites ulterius progredi sineret; licet Cæsar Ferra-

mosca

mosca nuper Roma adveniens Proregis mentem de pactis induciis significasset. Itaque copias movit, in Flaminiam transiturus, Cotiniolam oppidum deditione in potestatem recepit, dein cum ad Forum Livii iter direxisset, Meldolæ fines ingressus, Arni valle emensa, Alpes transgressurus, & in Hetruriam descensurus videbatur; ea spe, ut Senenses, qui odio in Pontificem adducti illi favebant, rebus necessariis juvarent, omniumque rerum inopia laboranti exercitui subvenirent. Cum vero maxime Urbinas vereretur, ne Borbonio Flaminiam cum exercitu transeunte, ditionis suæ fines damno aliquo ab hostibus afficerentur, a Senatu petiit, ut ad protegendas Pisauri, & Senogalliæ civitates mille ac quingentos pedites mitteret; utque Guidi Ubaldi filii saluti, atque incolumitati consuleret, biremis, qua Venetias tuto accedere posset, in iis oris præsto esset. Quibus in rebus benigne a Senatu Duci satisfactum est. Ceterum quia in omnium ore jam erat, Borbonium in Hetruriam transiturum, quo Florentinorum, Pontificisque rebus prospiceret, Senatus ducem, ac legatum Pesareum, ut cum exercitu Padum pertransirent, incitabat. Nam Urbinas imperator jam copias coegerat, Germanos milites conjunxerat, tormenta bellica paraverat, atque ad Melaræ, Bregantini, & Castrinovi oppida reliquas copias cogere constituerat; ponteque flumini instrato, exercitum trajicere. Verum induciarum exitus adhuc in incerto erat: nam Prorex Roma discedens Florentiam versus proficiscebatur, ut, si fieri posset, Germanos milites ab Ecclesiæ ditionibus amoveret; cum in tot rerum angustiis Pontifex præter pecuniæ, quam solverat, vim adhuc centum, atque amplius aureorum millia persoluturum pollicitus fuisset. Dux igitur, trajecto exercitu, Bononiensium fines ingressus prope civitatem copias admovit: Salassiorum Princeps diverso itinere cum reliqua copiarum parte per Forum Cornelii transiens, inter Ravennatum, & Faventinorum fines consedit: nam cum diu inter fœderatorum Duces de bello administrando variis sententiis actum esset, tandem copias in duas sejungi partes placuit; tum, ut inimicos interciperent; tum, ut frumentationis, & pabulationis facultas intercluderetur.

1527

*Urbinas de suis ditionibus solicitus subsidia a Senatu postulat.*

*Mādata ad Urbinatem, & Pesareū Legatum.*

*Proregis studium, ut Germanos ab Ecclesiæ ditionibus amoveret.*

*Urbinas in Bononiensi.*

*Salassius inter Ravēnates, & Faventinos.*

At Clemens, qui antea sibi omnia prospero eventu fluentia

1527 tia pollicebatur, nullo instantium periculorum metu perterritus, cum certior factus esset, Cæsareanos milites arreptum iter persequi, non pecunia, non pollicitationibus illorum impetum averti posse, jam tum primum nimium se Cæsareanis credidisse cœpit agnoscere; atque ea spe, quam certam sibi fore mente conceperat, dejectus, oratores Gallorum Regis, Senatus Veneti, Mediolanique Ducis, ad hæc etiam Angliæ regis ad se vocavit; causas, quæ ad inducias cum Cæsareanis ineundas permoverint, Cæsareanorum astus, fraudes aperit; orat, obtestatur, ne tot, tantisque tempestatibus perturbatas, atque afflictas res suas, & Florentinorum deserant; enixe a suis Principibus postulent, ut, pro sua in Romanam Ecclesiam pietate, periclitantem ipsius fortunam sublevent, neve Italiæ libertatem indignissime concuti, ac labefactari patiantur. Mox a Dominico Venerio Reipublicæ oratore petit, cum Senatu agat, ut Urbinatem trans Alpes exercitum ducere permittat; perpetuo, nec ulla unquam re dissociabili fœdere se Reipublicæ adhæsurum. Senatui licet suas copias per montium angustias in Hetruriam traduci valde incommodum videretur; cum præcipue Pontifex divisis a ceteris consiliis uteretur; attamen placuit, ut Urbinatum Dux cum Aloysio Pisano, qui nuper legatus designatus in castra venerat, si ita occasio tulisset, Alpes transgrederetur. Itaque Cæsareanorum exercitum subsequutus in Hetruriam se contulit. Carolus Borbonius prope Aretium castra posuerat, fœderatorum copiæ ad Barberinum consederant.

*Clemens per Dominicū Venerium Oratorem postulat, ut Urbinas Alpes trāsgrediatur. Aloysius Pisanus legatus in castris.*

*Fœdus novum Romæ percussum atque Senatus mandato.*

Dum hæc aguntur, fœderati Romæ denuo fœdus percutiunt, in quo plurima erant, quæ mirum in modum Venetis officere videbantur. Primum quod ad immodicam pecuniæ summam persolvendam Respublica adigebatur, quæ ingentibus expensis publicas opes prope exhauserat, cum eodem tempore duos terrestres exercitus aleret, in Gallia nempe Cisalpina, & Hetruria, maritimamque classem omni navigiorum genere instructam sustentaret. Deinde quod bellum ubicumque opus esset, ac præcipue in Romanæ urbis finibus gerere cogebatur, ut si, quemadmodum sæpe assolet, aliquis incidisset casus, quo laboranti Reipublicæ subveniendum esset, ne id quidem fieri posset. Tandem quia cautum erat, ne abduci, renuente Pon-

Pontifice, aut ejus legato, copiæ queant, cujus imperio Venetorum, Gallorumque exercitus pareat: qua in re non minimum periculi inerat, Antonio Leva vires augente, Germanorum robore, ducum numero militari peritia insignium, copiis denique omnibus, quæ illi facillime Ferrariensis subministrabat; ita ut quamprimum arma adversus Sfortiam moturum percrebresceret; cujus rationes a Venetis sejungi minime poterant. Hæc ad Senatum cum perlata fuissent, rei novitate summopere commotus est; iniquis adeo legibus inscium, ac nihil hujuscemodi cogitantem se adstrictum fuisse, quibus nullo pacto assentiri voluit, quod suus apud Pontificem orator sine ullo publico mandato, contra leges fœderi subscripsisset. Neque eo tantum contentus Gallorum Regi, quæ acta essent, significavit; detrimenta, quæ Reipublicæ inde oriebantur, aperuit; hortatus est, ut in firmando fœdere aliqua mora uteretur: interea, si ita collibuisset, arctiori societatis vinculo cum Republica jungeretur. Verum cum ea, quæ Dominicus Venerius orator Romæ egisset, rei novitate, pessimo exemplo posteris futura mirum in modum displicuissent, silentio Patres nullo pacto prætereunda existimabant. 1527

Qui Collegio præerant, literas a Senatu ad Venerium scribendas censebant, quibus fœdus inscia Republica sancitum conquerebatur; legibus, ac institutis majorum id adversari, quæ a Reipublicæ nascentis incunabulis ad ea usque tempora summa cum religione servata forent; quibus immutatis, vel labefactatis, multa consequi posse incommoda, & mala; hisce exemplis universam Senatus auctoritatem convelli; nullumque adeo ingentem fructum excogitari posse, qui justa lance cum Oratoris facto expendi possit. Adeat itaque Pontificem, summis laudibus sapientiam, atque consilium illius de fœdere innovando efferat; quippe qui optime noverit, Cæsareanorum machinis, ac dolis jam prope suam auctoritatem, fortunas, imperium in præceps ire; sed quod ad Rempublicam attinet, nullo modo iis, quæ fœdere comprehensa sunt, assensuram. Nam quod primo capite continetur, ut centum aureorum millia solvat, id fieri nequaquam posse; cum propediem Antonius Leva Laudem Pompejam oppugnaturus, atque in Venetos fines impetum facturus diceretur; ob id immenso

sum-

1527 sumptu copias refici oportere, augeri milite exercitum, Germanos evocandos, ut agros tuerentur, ne fructus messis, quæ jam appropinquabat, amitterentur: ad hæc instaurandam classem, quæ grave ad Centumcellas experta cælum numero militum, ac remigum valde imminuta fuerat; augendam quinimmo non parvo triremium numero, ut maritima ab hostibus loca tuta sint: eam vero summam pecuniæ, quam antea promiserat, præbituram, triginta nempe aureorum millia. At quod secundo prohibetur capite, ne Venetus exercitus ex Hetruria, aliisque locis, ubi nunc detinetur, amoveri possit, id sane supervacaneum esse; neque enim Rempublicam amicis unquam defuisse; neque trans Alpes ductari copias permisisse, nisi eo animo, ut sociorum fortunas, ac imperium adversus hostes servaret. Quod vero Apuliæ provinciam classe aggredi Veneta velit; illud, ut hoc tempore non satis opportunum videri, ita si unanimi sociorum consensu arma adversus Neapolitanum regnum inferri e re communi visum fuerit, non abnuere, quin maritimis viribus universa Apuliæ ora oppugnetur: quocirca Clementem orare, ut hæ conditiones e fœdere amoveantur; nullam vim, aut robur ad cogendam Rempublicam obtinere, cum Senatus mandata ad ea peragenda, ut moris est, non adfuerint. Tandem multa adjiciebantur, quibus Venerius magis ad Pontificem in sententiam Reipublicæ ducendum impelleretur: ipsius agi existimationem; ipsius honorem, quo nil carius homines in vita habent, summo in periculo versari; ni ea obtineat, hoc uno benevolentiam Reipublicæ, ac gratiam perpetuo amissurum. Postremo, ut Dominici Venerii loco novus ad Pontificem orator intra quindecim dies designaretur, cautum erat.

Ea Collegii Patrum sententia, ut suffragiis Senatorum sanciretur, perlata, acerrime a Thoma Lippomano quadraginta virum capitalium præside impugnatur. *An hæc esse majorum nostrorum, qui sapientia, & civili prudentia floruere, instituta, & exempla? gravissimis in rebus, quibus salus civium, imperii incolumitas continetur, suo arbitratu, nondum Senatus explorata mente, decernere, atque transigere? Quis ignorat, bujusmodi facto per conniventiam, ac dissimulationem neglecto, pulcherrimæ, & sæculis æquatæ Reipublicæ mores,*

ac

*ac jura infringi, & labefactari? magna tractantibus, regendorum populorum onus sustinentibus, gravitate, ac severitate nonnunquam opus esse, ne nimia indulgentia civium animi sponte sua labantes diffluant, & corrumpantur. Quid porro agi ab Oratore potuisse, vel Reipublicæ adversum magis, vel a communi utilitate sejunctius, quam fœdus iis conditionibus pepigisse, quibus nullæ majus detrimentum Venetis rebus afferre poterant? an vero perturbata, ac commota Venerii mens poterit e publica dignitate his de rebus verba facere? illa impugnare, quibus subscripserit? constanter causam publicam defendere, qui omnia ad nutum Pontificis composuerit? Propterea censere, ut statim Andreas Rubeus a secretis Senatus Romam mitteretur, qui rationes Reipublicæ exponeret, atque Romæ usque ad novi Oratoris adventum moraretur. Dominicus vero Venerius nihil cum Pontifice ageret; neque, ut in discessu moris est, Cardinales alloqueretur, sed Pontificis, ut assolet, exosculatis pedibus, illico Venetias reverteretur, & coram Advocatorio magistratu causam diceret.* Hæc erat Lippomani sententia, in quam cum peroraßet Princeps, sex viri, quos *Consiliarios* vocant, Præconsultores denique, uno Carolo Contareno, continentis Sapiente excepto, qui prioris decreti auctores erant, ivere: eam statim cunctis fere suffragiis probavit Senatus. Venerii loco orator ad Pontificem Franciscus Pesareus, Decemvirum Præses, designatur, qui legibus ad legationis munus minime cogi potuit: mox cum aliis a Senatu ea legatio demandaretur, singulis varias excusationes afferentibus, tandem majoribus comitiis decretum est, ne quis, hoc bello exardescente, posset ab eo munere subeundo excusari; multis ac gravissimis iis, qui onus non subiissent, impositis pœnis. Munus itaque id denuo Francisco Pesareo obvenit.

1527

*Decretum a Thoma Lippomano propositum, ut Venerius Roma evocaretur, & causam coram Advocatoribus diceret.*

Dum hæc aguntur, & tam hostium, quam fœderatorum copiæ transgressæ Alpes, ut dictum est, in Hetruriam descendissent, ingenti motuum civilium turbine agitari Respublica Florentina cœpit; quippe quæ in varias factiones divisa diutius nunquam pacata civium concordiam servaverat; quibusdam popularem Reipublicæ formam appetentibus; aliis propenso in Mediceam familiam animo; ac voluntate pauco-

*Franciscus Pesareus orator electus legationem renuit, & denuo eligitur.*

rum

1527 rum dominatum probantibus. Fervere itaque in diversas partes studia, civitatem undis civilibus concuti; superior populus videbatur, cunctamque ad se publicam auctoritatem rapere, Medicea familia auctoritate, qua plurimum pollebat, exuta, hostibus patriæ Hippolyto, atque Alexandro Clementis nepotibus declaratis; cum Dux Urbinas, exercitus imperator, Florentiam quamcelerrime cum Aloysio Pisano legato, & Federico Bozzolo se contulit, octoginta e suorum numero, qui insigniores nobilitate videbantur, comitantibus. Eo cum pervenisset, nutantes Florentinos tum cohortationibus, tum vicinarum copiarum metu in fœderatorum fide retinuit, ac tumultuantium civium ardore restincto, Mediceæ familiæ dignitatem restituit, & civitatem factionibus labantem, sua auctoritate, pace composita, firmavit; Florentinisque in clientelam receptis, ad fœdus denuo confirmandum iis conditionibus adegit, ut ducentos quinquaginta cataphractos equites, quingentos levioris armaturæ, peditum quinque millia suis sumptibus alerent: ad hæc tormentorum bellicorum numerum præberent; quibus copiis una cum fœderatis quacumque in Italiæ regione Ducibus visum esset, dimicarent: in Hetruria vero tantum copiarum haberent, quantum ad eam provinciam tuendam necessarium foret. Ea res in primis jucunda Senatui fuit, quod communibus rebus conducere mirum in modum videretur, Rempublicam locorum situ, pecunia, & viribus florentem a fœdere non sejungi; præsertim cum Veneti plures exercitus alere, maximos quotidie sumptus facere cogerentur. Nam quia Antonius Leva in Insubribus moliri aliquid summi momenti afferebatur, sancti Columbani oppido in potestatem redacto, octo millium peditum novum delectum haberi decreverant; & Gabrielem Venerium ad Franciscum Sfortiam Oratorem miserant, ut ad hostium conatus præsto esset, ac si qua in re posset, consilio, & auctoritate Senatus juvaret. Aderant tunc Sfortiæ tria peditum millia, quæ, summo studio Cremona, & Laude Pompeja pecunias subministrantibus, collegerat, oramque omnem, quæ trans Abduam est, milite sepserat, & Modoetiam improviso adortus occupaverat: qua re commotus Leva cum septem peditum millibus ad repetendum oppidum convolarat. Sfortia, cum non satis ad bellum necessaria instru-

*Hippolytus & Alexander Medicei Florentia ejecti hostes patriæ declarantur.*

*Urbinatis adventu Medicei in patriam restituti. Fœderis cum Florentinis cōfirmatio.*

*Gabriel Venerius ad Sfortiam Orator.*

*Modoetia a Sfortia capta, a Leva recepta.*

stru-

ſtructa haberet, auxiliique infirma ſpe niteretur, quod copiarum robur Carolum Borbonium inſequutum eſſet, nuper occupatum oppidum Levæ militibus fœde diripiendum relinquere coactus eſt. Quo eventu majora ſibi Antonio Leva pollicente, ac propediem Germanos ſibi milites adjecturum ſperante, Veneti in Gallia Ciſalpina augere copias cogebantur; veriti, ne Cæſareani milites feliciore fortuna adverſus Sfortiam uſi, in ſuos fines irrumperent; cum præcipue exercitus robur, ut diximus, eo tempore in Hetruria eſſet, ut Borbonii conatus moraretur, atque interturbaret; qui ſane cum tuto aliquod in oppidum ſe recipere non poſſet, & pecunia, commeatuque laboraret, nobiliſſimarum urbium Romæ, aut Florentiæ direptione, tot incommodis obviam iturus vulgo ferebatur. Poſtquam vero compoſitis Florentinorum rebus, fœderatarum copiarum adventu territus facultatem ſe urbis occupandæ amiſiſſe ſenſit, induciarum, quæ a Prorege cum Pontifice initæ fuerant, nulla ratione habita, quam maximis itineribus Romam contendit: eo facilius ſitim diripiendæ, ac vaſtandæ præcipuæ orbis terrarum civitatis expleturus, quod Pontifex milite fere omni ſpoliatus Caroli Lanoji fidem ſatis firmum ſibi præſidium exiſtimabat; populum præterea, & ruſticorum numerum, quem in urbem induxerat, eidem cuſtodiendæ ſuffecturum putabat; ut cum Philippo Auriæ trium millium conficiendorum peditum munus impoſuiſſet, atque ille mille jam ſub ſignis haberet, quos ad Centumcellas coegerat, ingredi urbem minime juſſerit: Guidoni autem Rangonio Comiti, qui, manu militum collecta, Ocricolum morabatur, ſcripſerat, ne injuſſu ſuo Romam proficiſceretur.

1527

*Borbonius Romam cōtendit.*

*Clemens Lanoji fide deceptus Auriam & Rangoniū ad urbem non acceſſit.*

Borbonius igitur, neque itinerum difficultate permotus, neque aſſiduis imbribus, quæ loca, per quæ ductare exercitum oportebat, aquarum illuvie compleverant, remoratus in itinere, prius quam Romam adventaret, per nuntios a Clemente petiit, ut per ſuos fines in Neapolitanum regnum ducere ſibi exercitum liceret, eo vel commeatuum inopia ductus, vel fœderatorum copiarum timore perculſus, quæ illum a tergo inſequebantur. Hujuſmodi poſtulata ne audire quidem Clemens voluit. Ille cum ſuos omni rerum copia deſti-

*Borbonius a Clemente tranſitum in Neapolitanos petit.*

tutos

1527 tutos paulisper commeatibus recreasset, quos oppida quædam in itinere ab eo occupata subministraverant, pridie nonas maji urbem oppugnare statuit, certiore spe illius obtinendæ erectus, quod omnia, quæ ad illam tuendam necessaria videbantur, vel negligentia, vel difficultate omissa fuerant; nam Rentius Ceres, cui Clemens Romæ custodiam commiserat, neque suburbia satis muniverat, neque validis præsidiis urbem firmaverat. Scalis itaque ad suburbii mœnia admotis, brevi momento, nullo fere obsistente, muros trangressi, suburbium occuparunt. Inter primos, qui mœnia conscendere nitebantur, Borbonius aderat, qui dum privati militis munus temere obit, glande plumbea trajectus, execrandæ, quam manibus tenebat, victoriæ fructum cum vita amisit. Verum milites Imperatoris morte cum nihil pristini ardoris restinxissent, martis furore acti, & spoliorum desiderio incensi, quæ ingentia sibi proposuerant, victoriæ cursum alacres prosequebantur. Clemens inopinato tantæ rei eventu perterrefactus, consilii inops, cum aliquandiu in palatio moratus esset, hæsitabundus, animo anxio, & dubia mente prælii exitum expectans, tandem se in Hadriani molem magno suorum numero stipatus recipere statuit. Interea Rentius civitatem circumire; populum evocare; cunctos ad arma impellere; ad sui defensionem hortari. At mentes insuetus terror ita invaserat, ut neque illius vox quidem exaudiri posset: populus, defensionis spe abjecta, præceps fuga latebris salutem quæreret.

*Clemens Borbonio transitum denegat.*

*Borbonius Romam aggreditur.*

*Borbonius mœnia conscendens interficitur.*

*Clemens in Hadriani molem se recipit.*

Hostes brevi suburbio, & ea parte, quæ trans Tiberim est, potiti, inter Aureliam, & Settimianam portam, urbem neque murorum obice, qui vetustate fere collapsi fuerant, tutam, neque milite circumseptam ingrediuntur. Ita paucarum horarum intervallo amplissima, ac nobilissima civitas, quondam terrarum domina, ab immanissimis hostibus occupatur. Quidquid crudele, libidinosum, ac tetrum vel militum insolentia, vel victorum superbia perpetrari solet, perpessa. Nam Germani, & Hispani milites urbem ingressi, mirum dictu est, quanta crudelitatis, ac libidinis signa ediderint; non ætas, non sexus ab illorum injuriis, nefandisque sceleribus tuta; sacra, atque profana direpta; Divorum reliquiæ aris erutæ; virgines castis

*Roma a Cæsareanis occupata & direpta.*

castis occlusæ parietibus productæ, exardescenti barbarorum militum libidini prostitutæ: in homines non modo, sed in ipsa saxa, priscorumque Romanorum egregii operis simulachra sævitum; Sacerdotes insigniores, atque Episcopi ludibrio habiti; Basilicæ ornamentis, atque piorum votis exutæ, ut brevi nihil sit, a quo colluvies hæc sceleratissimorum hominum temperaverit. Neque hactenus insolens, ac præclaræ urbi infesta nimium fortuna stetit; nam dira lues ex tanta gentium colluvione orta est, ut passim, ac per vias pestifera morbi labe repente homines interirent, funera funeribus aggerarentur, ac teterrima mortis facies cuncta undique funesta redderet: amissus inclitæ urbis splendor; desertæ, ac prope ad solitudinem redactæ domus; agri absque cultore: universos pavor, ac terror occupaverat, ut pestilentiam mox fames consequuta sit, nullumque genus calamitatum fuerit, quod civitas, olim copiis omnibus florentissima, non experta fuerit. 1527

Romanæ cladis statim per Christianum orbem diffusus rumor cunctos populos ingenti dolore, ac stupore defixit; quod præter opinionem, ementito induciarum nomine, tantum patratum facinus intelligerent; quod amplissimam totius terrarum orbis civitatem, e summo felicitatis vertice, momento in omne miseriarum genus prolapsam intuerentur; quod Pontificem e supremo dignitatis fastigio dejectum captivum teneri cernerent. Verum summa Hispani invidia flagrabant, quod facinus nefarium, ac post hominum memoriam fere nunquam auditum ab ea gente patratum foret, cujus dominandi libido, & avaritia plane intoleranda, & impatiens in adversis, insolens in secundis rebus animus, jam omnia suæ fortunæ cessura, humanum fastum supergressus, sibi pollicebatur. Quo fiebat, ut reliqui Principes tanta rerum indignitate permoti; partim miseratione Clementis capti; partim rebus suis prospicientes, ad ultionem tanti facinoris exardescerent. Veneti tum communi omnium causa, tum ne Caroli Imperatoris vires magis in Italia assurgerent, omnes conatus adhibere in Pontificis libertate sustinenda statuerunt; nulla adspernari pericula; nullis parcere sumptibus, donec erepto ex indigna servitute Pontifice, pristinus Apostolicæ Sedi decor, atque Italiæ di-

*Venetorum studium ut Clementem in libertatem vendicarent.*

1527 dignitas, & incolumitas restitueretur; cum præsertim haud levis suspicio suborta esset, Hispanorum Duces, Pontificem captivum in Hispaniam mittere decrevisse, quo facilius pro libidine ditionibus Ecclesiæ dominari possent. Itaque Urbinati exercitus imperatori, Pisano, ac Viturio legatis mandatur, ut quamprimum cum omnibus copiis Romam versus proficiscerentur, captivo Pontifici opem ferrent; ad arcem, qua detinebatur, iter aperirent; illumque custodia ereptum omni metu, ac periculo liberarent. Clemens licet inopinato tantæ calamitatis eventu consternatus animo, & malorum ingentium mole pressus, ac fere obrutus nihil satis firmi consilii expedire posset; attamen statim ad Urbinatem Petrum Chiavellutium miserat, qui quo loco res essent, illi significaret, celerrimam opem peteret; ac Guidoni Rangonio eadem de re mœroris, ac lachrimarum plenas literas dederat. Imperator, & reliqui Duces [illegible] Urbe Veteri exercitum habebant, castra movere [illegible] festinato itinere ad subsidium Pontifici fer[illegible] contendere statuerunt. Ne vero a Cæsareanis, qui in Insubribus erant, impediri ea res posset, Senatus decreto novi delectus habiti, ut milites, qui in Gallia Cisalpina Reipublicæ militabant, ad decem millia augerentur, ut Antonio Levæ obsistere possent, qui, nuper educto exercitu, novi aliquid moliturum præseferebat; præsertim spe Germani subsidii fretus, quod cito Alpes transgressurum fama ferebatur. Ad hæc ingens auri vis Adriatico mari Pisaurum, inde Romam versus ad exercitum, ad militum stipendia persolvenda, & copias augendas transmissa.

*Mandata ad Urbinatem, & exercitus Legatos.*

*Petrus Chiavellutius Clementis legatus ad Urbinatem.*

Et sane in hac rerum Italicarum jactatione spes quædam bene gerendarum rerum affulgere videbatur; cum præcipue Pontificis Nuntius, Galliæ, atque Angliæ legati, & Franciscus Victorius reipublicæ Florentinæ orator, qui Venetos sua sponte ad opem Pontifici ferendam animatos adhortati fuerant, nihil suos Principes prætermissuros testarentur, ut a teterrima Clementem servitute eriperent, atque Hispanorum turbidos, & insolescentes spiritus reprimerent. Franciscus quoque Galliarum Rex pollicebatur adversus Cæsarem in Belgio arma moturum, ad eamque rem perficiendam Henricum Angliæ Regem socium habiturum, cum quo nuper fœ-

*Principum incensi animi ad Pontificem captivitate liberandum.*

dus

dus inierat : his enim coactum Carolum iri, ut, omnibus copiis ad Belgii præsidium collectis, Italicas res prætermitteret. Magnum quippe veteribus Regum in Hispanos inimicitiis odium, illata Romæ clades addiderat; quamobrem Henricus Eboracensem Cardinalem statim in Galliam miserat, qui Franciscum ad colloquium invitaret, in quo præsertim de Pontifice a captivitate vendicando ageretur; & Franciscus suis ducibus, ut quamprimum Clementi suppetias ferrent, mandaverat; ad quæ melius perficienda, illos, quos fortuna Clementis non attigerat, Cardinales hortabatur, Avenione convenirent, ibi Eboracensem adfuturum : a quo consilio etsi non abhorrerent; commodiori tamen loco Bononiæ se fore censuerunt. 1527

*Henricus Rex per Eboracensem Regem Galliæ ad colloquium invitat.*

Cæsari ut primum de iis, quæ Romæ acciderat, ac de Pontificis captivitate nuntius in Hispaniam est perlatus, ingentem animi molestiam, ac dolorem præsetulit; quæ acta essent, ducum consilio, non ipsius voluntate accidisse; victoria non potitos malle, quam illa suos ita milites usos esse, cum semper studiosissimus pacis extiterit, in ea sedulo procuranda elaborasse, fœderatorum injurias oblitum, plurima in illorum gratiam fecisse; nihil eorum, quæ ad Ecclesiæ fines vel tuendos, vel augendos pertinerent, a se prætermissum; Sedis Apostolicæ dignitatem, & incrementa perpetuo reliquis omnibus antelata; neque ob id Germanorum Principum simultates vitasse, qui Romanis infesti Pontificibus ab illorum se eximere auctoritate, ac imperiis nitebantur; nunc quod reliquum est, nullas justas conditiones pacis aspernaturum. In eam sententiam ad Henricum Angliæ Regem literas dedit; idemque primariis Cardinalibus significari fecit. Illud quoque, ad animi molestiam patefaciendam ex infausto Pontificis eventu susceptam, publice argumentum dedit; nam cum ob natum sibi filium, qui Philippi nomen sortitus est, ad lætitiam ostendendam ludi, & spectacula magnificentissimo, ac regio apparatu ederentur, Clementis casu audito, ne in tanta Summi Pontificis calamitate lætari videretur, ea statim persequi vetuit. Palam hæc a Carolo agebantur : verum quæ mens illius esset, quidve animo moliretur, difficile erat intelligere; cum debilitatas, ac pene prostratas Italorum res sibi persuaderet, atque Hispani totius Italiæ imperium sibi animo usurparent. Nam sæpius Cæ-

*Cæsar Pontificis captivitatis invidiam in suos duces transfert.*

1527 sar Caroli Borbonii facinus excusabat, culpamque quod pactas cum Prorege Neapolitano a Pontifice inducias non servasset, in militum insolentiam rejiciebat; ab Arausionensi Principe literas accepisse, quæ, quidquid Borbonius egerat, invitum fecisse, & præter animi sententiam exercitum Romam versus duxisse affirmabant, & coram omnibus non exercitum ducere, sed ab exercitu se duci prædicasse.

*Hispanorũ diversæ sententiæ ob Pontificis captivitatem.*

Neque vero in tam gravi re expedire quidquam consilii Cæsar nitebatur; licet a Clementis Nuntio vehementer quotidie solicitaretur, ut Pontificem indigna servitute pressum liberaret: cum enim sæpius ea de re a Præconsultoribus inita consilia essent, in varias sententias distractæ, ac divulsæ mentes distinebantur. Nonnulli quamprimum Pontifici libertatem, ac imperium restituere Cæsarem debere censebant; hoc uno quæ a Cæsareanis ducibus Romæ adversus Pontificem, atque adeo universam Ecclesiam perpetrata fuerant, ea, non assentiente Carolo, acta esse, tantummodo orbi Christiano ostendi posse; neque illum unquam ea mente fuisse, ut quæ Prorex jurejurando Pontifici pollicitus fuerat, infringerentur. Alii in Hispaniam Clementem duci oportere existimabant: hoc nimirum fœderatos non parum dejici, ac consternari posse, & colloquio inter Pontificem, Imperatoremque habito, firmius de totius summa rei decerni posse. Erant qui consilium istud, uti minime tutum, improbarent; cum verendum esse dicerent, ne classe Gallica, quam instructissimam, ac multorum navigiorum numero refertam esse constabat, cui Cæsar pares vires tunc ad obsistendum afferre minime poterat, Pontifex interciperetur: itaque nulla ratione ex Italia illum amovendum. Nec deerant, qui infenso in Pontificem animo consulerent, captivum Clementem detinendum esse; nihil illi reddendum; nullo unquam tempore Cæsari fidam cum Pontifice societatem fore; qui quamprimum e præsenti calamitate ereptus fuerit, animo impressa firmiter injuriarum vestigia retinens, odii, atque inimicitiarum, quæcumque in Imperatorem posset, signa præbiturus foret. Quocirca nihil præpropere agendum; ex tempore fructum capiendum; nunquam serum in Pontificem Cæsaris beneficium fore. Hac in consiliorum varietate Hispani versabantur.

Ita-

Italorum vero Principum, ac populorum animi, quisnam tantarum rerum exitus futurus esset, anxie spectabant; unam spem in fœderatorum copiis ponentes, quibus celerrime ad Romanam urbem admotis, Pontificem e captivitate eripi posse putabatur. Nam cum Urbinas Venetorum Imperator cuncta ad eam rem perficiendam comparasset, ac nutanti Perusiæ civitati militum præsidium imposuisset, atque Orbiti omnes Venetorum copias coegisset, & eo Galli, ac Pontificii milites convenissent; ducum, selectorumque militum concilio habito, Senatus mentem significavit, ut quam celerrime cum universis copiis ad liberandum Pontificem properarent: qua in re sibi constitutum esse affirmavit, omnia potius aspera, ac difficillima subire, quam provinciam semel susceptam per inconstantiam, aut ignaviam deserere; pro comperto habere, ad egregium factum patrandum animo tantum, ac celeritate opus esse; sopitos hostium spiritus, libidine, atque avaritia diffluentes, nihil minus, quam de manu cum inimicis conserenda cogitare; qui si forte in aciem prodierint, certaminis aleam non recusare; ipsum inter primos ordines non Imperatoris tantummodo, sed militis officium obiturum; non pericula, non gladios, non sævam vim tormentorum, non denique mortem ipsam formidaturum. Hæc sententia omnium excepta plausibus, atque in primis a Pisano legato probata fuit. Unus Viturius dissentiebat, quod periculi plena, dubia, & præceps videretur, momento omnes fœderatorum vires hostibus objectare, quos numero superiores esse constaret, atque complures rei militaris scientia, rerum gestarum experientia, animi, & corporis robore insignes, præsentis vero victoriæ successu elatos, nihil non sibi ab eorum dextra pollicentes. Hæc non modo oratione vehementi disserebat Viturius, verum etiam scriptis quoque exarata imperatori in concilio obtulit; quo fiebat, ut ardor ille in omnium animis conceptus paulisper remitteretur. Nam licet universis copiis Romam contendere, ac tuto castra loco poni, atque ad omnem rerum gerendarum opportunitatem paratos esse, sententia staret; attamen prius experiri placuit, an repentino, & inopinato aliquo conatu fortuna nostris faveret. Itaque Federicus Bozzolus cum centum ac quin-

1527

*Urbinatis & Pisani Legati consilium de exercitu Romam ducendo.*

*Joannis Viturii diversa sententia.*

1527 *Federicus Bozzelus cum manu militum Romã proficiscitur.*

quaginta cataphractorum manu, levioris armaturæ nonnullis equitibus, ducentisque sclopetariis, citato itinere Romam proficiscitur, non exigua spe celeritatis fretus, ut si hostibus nil hujusmodi expectantibus ad arcis prospectum se objiceret, Pontifex egredi, & ad fœderatorum exercitum se conferre posset. Id quo facilius ad exitum perduceretur, Salassiorum Marchio cum ducentis cataphractis equitibus, ut Federici conatibus faveret, Orbitum versus iter susceperat; Venetusque imperator cum exercitu moverat. Federici conatibus non favit fortuna: itaque imperator, ac duces de ratione belli administrandi sedulo consulebant, copiasque ad locum, qui Insula dicitur, octoque millia passuum Roma distat, castra promovere, ut quacumque ratione possent, Pontifici opem ferrent. Verum majoribus difficultatibus obortis, occasio consilii capiundi minus expedita videbatur; nam ab exploratoribus afferebatur, hostes circa arcem vineas duxisse; aggeres trabibus, ac terra coagmentatos erexisse, illorum custodiam trium Germanorum millibus mandatam fuisse; Hispanos milites ex Neapolitano regno expectari; jam Ducem Alarconem cum nonnullis cohortibus urbem ingressum: quibus auditis ulterius progredi nequaquam tutum esse imperator, & reliqui duces censuere. Hujus consilii rationes Urbinas Senatui significavit, nulla prospere rerum gerendarum spe, eo copiarum numero, quas sub signis continebat, iter se prosequi, remque ad exitum perduci nullo modo posse; augeri exercitum Helvetio milite, tormentis bellicis, rusticorum numero ad itinera complananda oportere; ducendas vineas, fossas egerendas.

*Cesareanorum munitiones ad Pontificem obsidendũ.*

*Alarco cũ Hispanis Romam ingreditur.*

*Urbinas a Senatu postulat ut exercitum augeat.*

His intellectis, Patrum animi incredibili molestia, ac summo mœrore affecti sunt, quod ea spe, qua ad Clementem ex arce liberandum aspiraverant, dejecti essent; illius vicem dolebant, qui e supremo fastigio deturbatus in tot ærumnas incideret: ob literas Pontificis in Senatu recitatas ad pietatem proclivioribus animis, quibus Francisco Guicciardino Legato, quo loco ipsius res essent, significaverat, acerbissimum sui casum conquerebatur, fortunæ iniquitatem lamentabatur, fœderatos obnixe rogabat, flagitabat, obtestabatur, ut amico, parenti, Christi in terris vices gerenti

*Clementis litera in Senatu recitatæ.*

quam-

quamcitissime subvenirent. His accedebat, quod paulatim opinio de fœderatorum conatibus, ac viribus elanguesceret, atque Regum animi ad Pontificem sublevandum, ad Italiam servandam incitati, hac mora, temporisque frustatione pristini nonnihil ardoris remissuri viderentur. Quocirca in sententia permanendum rati, Imperatori, & Legatis mandarunt, ne a priori consilio Pontificis liberandi discederent, atque cum copiis universis propius ad urbem accederent; hoc uno præteritæ Romanæ cladis memoriam deleri, ac fœdus in pristina dignitate retineri arbitrati. Ac sane ardor ille, qui initio Duces, ut Clementi subvenirent, incitaverat, restinctus, atque consopitus omnium civitatis ordines ita inflammaverat, ut non modo in Viturium Legatum probra, atque convicia; verum etiam in Urbinatem jacerentur: quæ causa fuit, ut Viturium magistratu abdicatum Senatus in jus vocaret, reumque apud capitales Triumviros faceret. Sed mora, & cursu temporis lenita indignatione, cum ea, quæ dixisset, ac gessisset, non exiguis inniti rationibus compertum fuisset, in judicio absolutus fuit: Urbinati autem denuo a Senatu imperatoria dignitas per biennium delata, ipse cum suis ditionibus in Reipublicæ tutelam receptus, qui ut in Venetos fidei testem, atque obsidem daret, conjugem, & filium Principem Venetias missos, Muriani degere jussit. Ea res cum pergrata Senatui fuisset, literis amore, & benevolentia refertis in sententia confirmavit, laudibus extulit, atque in illius virtute, & fortitudine spem omnem felicioris fortunæ sitam esse amplissimis verbis significavit. 1527

*Mandata ad Urbinatem & legatos, ut ad urbem accederent.*

*Convincia in Viturium, & Urbinatem Venetiis jacta, & Viturius in jus vocatus.*

*Joannis Viturii absolutio.*

*Urbinas copiarum imperator a Venetis cõfirmatus.*

*Urbinas cõjugem & filium Venetias mittit.*

*Senatus literæ ad Urbinatem.*

Interea Pontifex vel captivitatis tædio affectus, vel moræ fœderati exercitus pertæsus, nutare cœperat, ac se a pacis conditionibus cum Hispanis minime abhorrere præseferebat, quibus ex Clementis abjectione, & metu, nostrorum cunctatione adeo excreverant animi, ut Pontificem una cum Cardinalibus, & quidquid in arce esset, libere sibi dedi flagitarent: ad hæc quadringentorum mille aureorum summam peterent, atque in Hispaniam illum se missuros jactarent. Literas ad Urbinatem, atque ad Salassiorum Ducem Clemens dedit, quibus ut tuto Neapolitano Proregi Romam proficiscendi facultas daretur, postulabat: id ultro concessum, neque

*Clemens animum ad pacem flectit.*

*Clemens Proregi facultatem Romam proficiscendi a fœderatis obtinet.*

1527 enim negandi causa visa fuerat. Hac re soliciti magis omnium animi tenebantur, quod qui Pontificis mores, animum, præterita acta metiebantur, ne tandem ad Hispanos deflecteret, pertimescebant. In hac rerum omnium perturbatione dum quotidie novi exitus expectantur, Florentini e Clementis calamitate sibi ad Reipublicæ formam immutandam opportunum tempus adesse rati, Mediceam familiam urbe ejecerant, ac populare imperium in Rempublicam induxerant: qua re, ut non satis explorata mens civium esset, acciderat. Quapropter Senatus, cum quantum momenti Florentinorum civium propensio in utramque partem habitura foret, solerter inspiceret, in id sedulo urgebat, ut in fœdere retineret. Iisdem fluctibus Flaminiæ oppida, & urbes jactabantur, quæ adversis factionibus divulsæ omnium calamitatum genere, nunc his, nunc illis rerum potientibus, premebantur, eo majori periculo, quod caput imperii deesset, unde nulla subsidia vel annonæ, vel militum, vel tormentorum suppeterent. Quibus permoti qui Flaminiæ, & Ravennæ præerant, civem Ravennatem ad Senatum miserant, qui quo loco illius urbis res essent, significaret; omnia extorribus plena, quorum adeo increvit audacia, atque insolentia, ut se urbem per vim occupaturos minitentur: petere igitur militum præsidia, quo amicam Reipublicæ civitatem, resque suas incolumes tueri possent. Senatus decreto pecunia ad Ravennæ Præfectum missa, quæ in ducentorum militum stipendium erogaretur; si res posceret, majora pollicitus: postea cum omnia ad defectionem spectarent, Joannes Naldus eques, levioris equitatus ductor, ad eam urbem in Pontificis, ac fœderis fide retinendam missus: eodem M. Antonius Faventinus, & Petrus Antonius Lacrisius, singuli cum centum militibus, & Joannes Teupolus patriciæ gentis vir cum quinquaginta peditibus destinantur: adjectæ Senatus literæ Ravennæ magistratui, quem *Sapientes ad utilia vocant*, quibus propensa Reipublicæ voluntas significatur. Sed diffidiis inter milites, ac cives subortis, Ravennates Joannem Donatum Oratorem Venetias misere, qui ut Præfectus militibus regendis mitteretur, flagitaret. Bartholomæo Contareno munus id demandatur: injungitur, ut milites in officio contineat, ab eorum injuriis

*Florentini Mediceos iterum ejiciunt & popularem statum instituunt.*

*Flaminiæ urbes factionibus iactatæ.*

*Ravennates de extorribus solliciti petunt a Venetis præsidium.*

*Joannes Teupolus cum militum præsidio Ravennã missus. Joannes Donatus Ravennas ad Senatum Orator. Bartholomæus Contarenus Ravennæ præficitur.*

riis urbem, atque agros vendicet, jus iisdem dicat; muros, fossasque urbis, ubi opus fuerit, una cum arce, in qua Joannes Teupolus cum quinquaginta militibus aderat, reparet, ac restituat, castellum communiat; nihil, quod ad civitatem firmandam spectet, prætermittat. Per eos dies Cerviæ civitas eodem malorum genere labefactata, Gibellinorum factione a Guelphis expulsa, qui statim Ravennam ad subsidium militum petendum misere: Morosus Præfectus cum militibus quinquaginta missus fuit: Cervienses vero Oratores ad Senatum proficisci jubent, qui statum civitatis exponant, postulent, ut alicui ex patriciorum numero urbis regendæ, ac tuendæ onus imponant, peditum, & equitum subsidia ministrent; cum præcipue Præfectus, qui Pontificis nomine urbi præerat, discessisset. Joannes Franciscus Sagredus deligitur, Pontificis Oratore annuente, qui ne turbulenta hac tempestate Ravennatum, ac Cerviensium res Senatus negligeret, imo quacunque ratione posset, subveniret, auctor, atque hortator fuerat. 1527

*Gibellini Cerviæ a Guelphis expulsi. Morosus præfectus cum militibus ad Cerviã missus. Cervienses Oratores ad Venetos. Joannes Franciscus Sagredus Cerviæ præfectus.*

Urbibus, atque arcibus Flaminiæ firmatis, urgebat vehementer Patrum animos classis solicitudo, quæ Tyrrheno mari ad Centumcellas quamplurimis incommodis, præsertim gravitate cæli afflicta, & debilitata haud parum ferebatur: multos remiges absumptos, trierardios nonnullos extinctos, ut, ni subveniretur, facinus nullum aggredi posset. Itaque Augustino Amulio legato Senatus decreto mandatur, ut quamprimum Corcyram versus naviget: eo pecuniæ vis missa, ut triremes instaurarentur, remige, ac milite augerentur: ad hæc quatuor aliæ nothæ triremes adjectæ, quarum Præfectus Antonius Marcellus creatus; duæ præterea, quæ Joanni Victori Baduario, & Francisco Bondimerio parerent. Nec multo post Petrus Landus classis imperator deligitur, quod non nisi difficillimis Reipublicæ temporibus fieri solet: nam in hac Italiæ totius perturbatione, atque agitatione, dum omnia bellorum tumultibus perstreperent, & orbis Christiani Principum undique bellicæ expeditiones, ingentesque apparatus terra, marique personarent, nulla re magis imperium Venetum confirmandum, & stabiliendum Patres censuere, quam si instructa omnibus rebus classis pro dignitate Reipublicæ, & subditorum incolumitate præsto esset: hac in re majorum exempla imi-

*Augustinus Amulius Corcyram missus ad classem instaurandã. Petrus Lãdus classis imperator.*

1527 imitati, qui rebus maritimis clari florentem Rempublicam reliquerant. Lando imperatori mandatur, ut Dalmatiam prætervehens, oppidis, atque urbibus quibuscunque rebus possit, adjumento sit; deinde Corcyram versus tendat, ibi triremes opperiatur, classemque omnem cogat, quæ Joanni Mauro, atque Augustino Amulio legatis obtemperabat, ibidem Senatus voluntatem, ac mentem intellecturus. Dum hæc geruntur, in Insubribus bellum, quod intermissum, ac fere sopitum videbatur, ob Romanam cladem cunctorum defixis animis, denuo cœpit renovari, atque recrudescere: qua re vel armorum propinquitate, vel quod ad summam totius rei Francisci Sfortiæ eventus magnum momentum afferre arbitrarentur, non parum Veneti solicitabantur. Nam Sfortia in omnem occasionem intentus Joannem Baptistam Specianum Doctorem Venetias Oratorem miserat, ut quo loco res illius essent, doceret; nova spe erectum Sfortiæ animum aliquod facinus adversus hostes patraturum, mille ac trecentos pedites illi adesse, Laude, ubi tunc erat, ad exercitum profecturum: petere, ut illi pecunia a Senatu quamprimum mittatur, qua copiarum numerum ad tria millia augere posset. Ea libenter, ut Francisci animus in fide, ac benevolentia erga Rempublicam retineretur, præstita, & Dominico Contareno legato injunctum est, ut omni in re ausis, cœptisque Sfortiæ faveat.

*Joannes Maurus & Amulio classis legatus.*

*Joannes Baptista Specianus Sfortiæ orator ad Venetos.*

*Mandata Senatus Dominico Contareno.*

Interim Franciscus Galliæ Rex captivitatem Clementis miseratus, atque Hispanorum ex victoria spes, & animos auctos ægre ferens, nihil prætermittebat eorum, quæ ad exercitum quamprimum in Italiam mittendum conducerent: nam decem millium Italorum peditum delectum haberi jusserat; novos ex Helvetiis milites, ut quindecim millium numerum æquarent, colligi; quinque præterea Germanorum millia: neque vero minori solicitudine maritimarum expeditionum premebatur; propterea Andream Auriam Genuensem, ut suo ære militaret, addixerat, virum rerum navalium usu peritum, qui ea tempestate octo triremibus imperabat. Ad hæc quod Anglus cum Gallo in societatis jus coiisset, Franciscus Henricum impulerat, ut decem Germanorum peditum millia suis merentium stipendiis in Italiam mitteret, ut majori conatu fœderatorum auctis viribus, adversus Cæsarem bellum administrari pos-

1527

*Lautrechius fœderatorum exercituum imperator.*

possset. Lautrechius Imperator in Italiam designatur, qui summa auctoritate universis fœderatorum copiis præesset; atque quo celerius, & accuratius omnia perficerentur, Lugdunum se profecturum Rex decreverat, ut propius imperio, & auctoritate præsto esset. His de rebus per cubicularium Laoni dominum Senatum certiorem fecit, qui Lautrechii adventantis nuntium pertulit. Petrus Pesareus Divi Marci Procuratoriæ dignitatis orator ad Lautrechium mittitur. Dum Gallica expeditione Italorum Principum animi spe pristinæ recuperandæ dignitatis confirmantur, Cæsaris milites, qui Romæ adhuc detinebantur, quamvis Hispano milite, qui ex regno Neapolitano advenerat, ad quatuor & viginti millia peditum aucti essent, otio, ac libidine fracti, atque in omnem licentiam provoluti nullum egregium facinus adoriebantur: non Ducum imperia audire; non militaria munera obire; undique insolentia, nimiaque libertate diffluere. Interamniam, & Harniam oppida nonnullæ Germanorum cohortes tantummodo fœda direptione crudeliter vastarunt. Spe Romanæ urbis recuperandæ amissa, fœderatorum copiæ discesserant, atque in Senensem agrum se receperant, eo consilio, ut Florentinorum rebus, animisque confirmatis, facilius Respublica ad fœdus denuo franciendum alliceretur; cum præsertim exercitu, qui non longe aberat, ac Cæsareanorum minis trepida civitate, multorum civium nutarent animi, veriti, ne quod ad hostes Cæsaris accessissent, illatæ injuriæ ulciscendæ studio flagrarent; quo metu a fœderatorum copiis discusso, in societatem coiere; ea adjecta conditione, ut stipendium in quinque peditum millia erogarent, qui reliquis fœderatorum copiis jungerentur; cum magnopere ad rei exitum expedire constaret, si equite, ac pedite instructus exercitus in Hetruria adesset, qui & distinere hostes, & Florentinorum fines protegere, Pontificisque ditiones, quarum gentes ob Clementis casum rebus novis studere videbantur, in fide retinere posset.

*Petrus Pesareus a Senatu ad Lautrechiū missus.*

*Cæsareani milites Romæ otio, & libidine fracti.*

*Interamnia & Harnia a Germanis dirépta.*

*Fœderis cū Florentinis renovatio.*

Quæ vero ea tempestate Venetæ Reipublicæ facies esset, hinc inspicere licet. Primum quod duos alebat in Italia exercitus; alterum in Hetruriæ finibus, cui Franciscus Maria Urbini Dux imperaret: constabat is sex Italorum, duobus Germanorum militum millibus, levioris armaturæ mille ac trecen-

*Venetorum exercitus in Hetruria sub Urbinatis imperio.*

1527 centis equitibus, duobusque millibus cataphractis; cum Galli, qui sub Salassiorum Marchione militabant, licet ex fœdere majori esse numero opportuisset, septem millia non excederent. Alterum vero in Insubribus sub Dominico Contareno legato, ac Joanne Fregoso gubernatore, quo res Francisci Sfortiæ firmarentur, atque Antonio Levæ Cæsareanorum Duci obsisterent; peditum decem millium, quingentorum cataphractorum, ac septingentorum leviorum equitum, cui nuper Sfortia cum tribus millibus & quingentis peditibus, ut supra diximus, accesserat. Classem præterea triremium, ac longarum navium in omnem maritimam expeditionem sub Imperatore Petro Lando, & duobus legatis habebat, qua & maritima ora tuenda, excurrenda maria, ac non exiguus triremium numerus Gallicæ classi in Tyrrheno mari jungendus erat. Ad hæc non parva militum manus ad urbes, atque oppida Flaminiæ in fide retinenda missa fuerat, præter præsidiorum in urbibus incrementa, quæ in finibus imperii sitæ, majori militum numero, ut defendere se ab hoste possent, indigebant. His quanta pecuniæ vis exhauriretur, quantum publicarum, ac privatarum opum absumeretur, vix animo fingi potest; ut qui superiorum temporum bella, & clades sibi ob oculos ponat, quibus Venetorum res undique jactatæ fuerant, ac post fœdera, pacemque consequutam in quos turbines, & procellas ab anno quingentesimo vigesimoprimo Respublica inciderit, usque ad stuporem miretur, necesse sit, potuisse tot exercitus alere, tot educere classes, terra, marique amplum imperium a potentissimis hostibus vendicare. Cujus rei duæ potissimum causæ fuere; civium omnium erga Rempublicam caritas, qua pro patria libenter se periculis objectare, non sumptui, non vitæ parcere gloriosum ducebant; & Senatus constantia, quem non ingentes hostium vires terrere, non adversi bellorum exitus frangere, non imminentium rerum metus retardare, non tot jactationum diuturnitas defatigare potuerunt, quin invicto animi robore cuncta potius perferret, quam vel amicos desereret, vel de dignitate decedendum sibi existimaret.

*Venetorum alter exercitus in Insubribus sub Dominico Contareno legato.*

*Classis Veneta Petro Lando Imperatore.*

*Venetorum altera classis in mari Tyrrheno.*

Sed ad Clementem redeamus, quem jam consternatum animo, ac nihil non concessurum, ut pristinam libertatem conse-

1527

ſequeretur, Cæſareanorum ducibus conſtabat. Is humanarum calamitatum impatiens, cum Hiſpanis novas acceſſiſſe vires, fœderatorum copias Roma procul profectas animadverteret, licet a Cæſaris ducibus indigna, atque intoleranda peterentur, & crebro a fœderatis urgeretur, ne feſtinato conſilio feliciores eventus interturbaret, nihil ſe recuſaturum præſeferebat. Itaque cum Prorege, qui Romam venerat, in has conditiones pepigit: nempe, ut *quadringenta aureorum millia Cæſareanis militibus perſolveret: Hadriani, Hoſtiæ, Centumcellarum, & Tiperni arces Cæſari dederet: ad hæc Parmæ, & Placentiæ urbes relinqueret. His peractis, nondum libertate potiretur, ſed Cajetam perduceretur, ibi Cæſaris ſententiam de concordiæ pactionibus præſtolaturus, quid de illo, & Cardinalibus, atque aliis, qui arce detinebantur decerneret.* Statimque Bartholomæus Gatinara, & Ludovicus Lodronius a Prorege delecti, qui cum Juliano Zeno, cui id munus a Pontifice mandatum fuerat, prius commeatus fide a Florentinis impetrata, in Galliam Ciſalpinam proficiſcerentur, ut Parmam, ac Placentiam Cæſareanorum poteſtati permitterent. Hoc Clementis conſilium licet prius mente prævideretur, haud parum fœderatorum, & Venetorum præſertim animis moleſtiæ injecit, quod Cæſaris vires augeri, atque de eo conceptam opinionem incrementa ſumere cognoſcerent, cujus animus abditus, & multis receſſuum ambagibus obtectus ægre perſpici poterat; cum nonnunquam ad pacem propenſus non modo, verum etiam accenſus videretur, aliquando iniquas adeo illius ineundæ rationes objiciebat, ut averſus omnino a concordiæ ſtudio videretur, atque homines non vulgaris prudentiæ exiſtimarent, eo illius conſilia ſpectare, ut moras nectendo Gallorum ardorem reſtingueret, atque fœderatos belli tædio conficeret. Verum Senatus, immutato Clementis animo, nihil de vetere inſtituto immutavit, ſed eo acrius inſiſtendum putavit, quo Pontificis res vehementiori procellarum turbine quaſſari animadverterat; cum præcipue vel neceſſitate adactum, vel timore perterritum, ac de incolumitate ſolicitum ſua, iniquiores pacis conditiones amplexum fuiſſe intelligeret; id fortaſſis eventurum rati, ut & illum facti tæderet, & felicior fortuna aliquando votis aſpiraret. Senatus itaque conſulitur, ut ne quid, illo adhuc capti-

*Clementis cum Hiſpanis conjunctio.*

*Clemens Juliano Zeno mandat ut Parmam, & Placentiã Cæſareanis permittat.*

*Veneti, ne Parmã & Placentiã in Cæſareanorum poteſtatem concederent, nituntur.*

1527 ptivo, perficeretur, omni studio contenderet; ne Parmæ, & Placentiæ urbes in Cæsareanorum potestatem redigerentur; exercitus, qui in Cremensi agro castrametabatur, Abdua flumine trajecto, ut Cremonæ præsidium augeret, deditionem urbium impediret, Mediolanensem, & Ticinensem agrum vastaret, atque diriperet; cum propediem Lautrechius Italiæ fines magno cum exercitu ingressurus esset, quo Duce, ac viribus fœderatorum res in primis nitebantur. Cui Italiæ appropinquanti Petrus Pesareus orator designatus Senatus decreto Venetiis discessit, ut illum ad iter quamcelerrime conficiendum impelleret, ne hostes, qui pestilentia laborabant, atque aliis incommodis affligtabantur, spiritus sumerent; cum Roma nuntii perferrentur, post direpta Interamnæ, Harniæque oppida, ut vires augerent, novos delectus militum habere: in eo totam rei prospere gerendæ opportunitatem sitam essem, si citissime cum exercitu Italiam emensus hostes imparatos offenderet.

*Petrus Pesareus ad Lautrechium orator.*

*Lautrechius in Italia ad Hastam. Petrus Navarrus Italorum peditum præfectus.*

Lautrechius igitur Alpes transgressus, mense julio Hastam cum exercitu venit, in quo erant octo Helvetiorum, tria Guasconum, & decem Italorum peditum millia, qui sub Duce Petro Navarro militabant. Neque vero administrandi belli omnium eadem erat sententia, nonnullis suadentibus, ut quamprimum citatis itineribus Gallorum copiæ cum fœderato exercitu jungerentur: tot collectis viribus hostes perterritos, qui quotidie funeribus absumebantur, atque ægre sub signis a Cæsareanis ducibus contineri poterant, palantesque per urbem pestifera lue squalentem, ac vicinos agros vagabantur, opprimi, & Roma pelli posse: quo facto, statim Pontifice a captivitate vindicato, ingens, atque apud omnes nationes perhonorificus victoriæ fructus colligeretur. Aliis magis e re esse dicentibus, si in Insubribus sedes belli foret, statimque admoveretur exercitus: impressione in Mediolanenses facta, haud dubie urbes, atque oppida fœderatis accessura, tum ob imminutas Cæsaris copias, tum ob populorum ingens adversus Hispanos odium, quorum servitute pressi miserrime discruciabantur: conatibus favente fortuna, cum pares hostes fœderatis copias non haberent, ut suis rebus opem ferrent, Roma Cæsareanos Duces cum exercitu discessuros, longitudine, atque itinerum difficultate præpeditos, fœderatos a prospero re-

*Expeditio Mediolanensis a Lautrechio decreta.*

rerum cursu prope manu victoriam tenentes, non aversuros. 1527
Potior hæc sententia visa est: itaque Lautrechius, motis castris, Alexandriam contendit, ibi initia belli facturus, quod a Bosco, agri Alexandrini oppido, cœptum est. Nam Ludovicus Lodronii Comes cum in eo oppido Germanorum manu septus, pecuniam ad stipendia militibus solvenda, qui Alexandriæ præsidio erant, colligeret, Lautrechius, equite, atque Helvetiis peditibus properare ad oppidum jussis, Germanis ad suos Alexandriæ redeundi facultatem abstulit; mox toto exercitu insequutus admoveri machinas, mœnia quati præcepit. Oppidani, atque Germani milites, qui mille circiter in oppido erant, aliquot dies tormentorum vim, Gallorumque impetum sustinuere; tandem expugnatum oppidum, ac direptum, igne absumptæ domus, cives fuga salutem quæsivere; reliqui pecunia libertatem redemere: Germani, qui cædi superfuerant, Gallicis stipendiis pugnaturi, Lautrechio adhæsere.

*Lautrechius in Alexandrino Boscum expugnat.*

Auspicato feliciter in Insubribus bello, Andreas Auria, regiæ classis Præfectus, e Massiliensi portu cum decem & septem triremibus solvens, Ligusticamque oram legens, Savonam appulerat, quo in loco Veneta illi classis jungenda erat: nam Senatus Petro Lando imperatori mandaverat, ut quindecim ex universa classe triremibus selectis, in quibus nothæ octo essent, unum ex legatis Corcyra dimitteret, qui in Tyrrheno mari Andream Auriam, Gallicæ classis Præfectum, conveniret, eique præsto esset, & in quamcumque Rex expeditionem decrevisset, omni studio niteretur. Magnum porro momentum ad fœderatorum res firmandas, si Genuæ accessio fieret, videbatur. Itaque rei bene gerendæ, priusquam Veneta classis adventaret, oblata est: cum enim sex Genuensium onerariæ naves, quæ frumenti vim haud exiguam in urbem convehebant, in Delphini portum pervenissent, civesque ut tutas in urbem perducerent, octo triremes præmisissent, quæ in eumdem portum se contulerant, Auria intercipere conatus, exscensione militum facta, actis vineis, portu potiri, hosti subsidia intercludere, atque in sui potestatem naves, triremesque angustiis septas redigere nitebatur. Eodem tempore Cæsar Fulgosius, qui Adurnorum adversa factione Genua pulsus Venetorum stipendiis militabat, terrestri itinere, Lautrechii Impera-

*Andreas Auria cum Gallica classe ad Savonam.*

*Cæsar Fulgosius ad Genuam invadendam a Lautrechio, & Pesaro missus.*

1527 ratoris, ac Petri Pesarei legati jussu, Genuam versus cum mille ac ducentis peditibus profectus est. Nam civitatem summa tunc omnium rerum, quæ ad victum necessaria erant, egestate laborantem celerius ad deditionem cogi posse ferebatur, si qua iter conficiendum erat, pecora, atque armenta abigerentur; oppida, & agri situs asperitate, infrugiferoque solò deformes vastarentur, ac nullum ad inopiam urbis sublevandam edulii comportari genus permitteretur. Harum rerum nuntiis Genuam perlatis, trepida civitas, attonitæ omnium mentes, terra, marique urbe ab hostibus petita, summaque omnium, quæ ad victum pertinent, inopia pressa. Inde cum omnem (si qua superesset) tuendæ salutis spem in navibus in Delphini portu interceptis sitam esse conspicerent, armatas sex triremes educunt, nihil non tentandum rati, ut ex angustiis portus navibus ereptis, laboranti civitati opitularentur. Verum cum terrestres copiæ urbi appropinquarent, terrore omnium defixæ mentes; cum haud satis virium ad hostes repellendos urbi inesset; cum milites, qui robore, ac virtute præstabant, cum classe ad Delphini portum se contulissent, & ob diversa civium studia, ne repente tumultus exorirentur, verendum esset; Adurni, penes quos summa auctoritas, princeps urbis dignitas erat, Augustino Spinolæ mandaverant, ut statim cum copiis, quibus præerat, ad urbem tuendam contenderet: quapropter classis cura omissa, nullo obsistente, septem triremes, atque hostium sex naves in Auriæ potestatem concessere.

*Naves & triremes Genuenses in Auriæ potestatem redactæ.*

Interea cum Adurni, popularibus ad arma vocatis, Augustini Spinolæ, qui nuper advenerat, aucti militibus, Fulgosium cum parva militum manu adventantem, si ex improviso adorirentur, nullo negotio dissipare posse arbitrarentur; urbe exire, pugna hostem lacessere statuunt: qui cum loco commodiore, atque situs natura opportuno castra haberet, acriter pugnando non modo impetum Genuensium sustinuit, sed fortius institit, ut primum turbatis ordinibus, mox in fugam conjectos insequi cœperit. Cæsi multi, alii in captivitatem venere, inter quos Spinola copiarum Præfectus, & Gabriel Martinengus, dum frustra suos revocare, ac sistere niteretur, comprehensi sunt. Fulgosius adspirantis victoriæ cursum prosequu-

*Genuensium pugna cum Fulgosio, & eorum profligatio.*

tus

tus recto itinere Genuam proficiscitur; quæ militum nudata præsidio, cum exclusos suos cerneret, re frumentaria laboraret, compluresque ob insitum in Fulgosios, & Gallos studium ad deditionem proclives essent, nullo negotio Fulgosium, ac Venetos milites intra mœnia excepit; magistratuque Adurnis adempto, Genua in Francisci Gallorum Regis potestatem redacta est. Eo Theodorum Triultium Præfectum regio nomine cum præsidio militum Lautrechius misit, paucos post dies arce, in quam Adurnus cum Cæsareanis se receperat, per deditionem accepta; ita ut Genuæ civitas, & Ligustica ora universa fœderatis accesserit. Veneti ut aliquod publicæ liberalitatis testimonium Ducibus, ac militibus, qui strenue in ea re perficienda operam navaverant, largirentur, Cæsari Fulgosio quinquaginta cataphractorum ductori alios triginta cataphractos duplicatis stipendiis adjecere; Guidoni Naldo, Annibali Fulgosio, Augustino Clusonio, Cæsari Martinenghio, Tonso Forojuliensi numerus militum, & publica pecunia aucta. Genua in potestatem Gallorum redacta, magna accessio fœderatorum rebus facta fuisse videbatur; cum Ligustica ora subacta, maritimas vires Neapolitano regno excipiendas, atque eo belli impetum effundendum esse, non incertis rumoribus perferretur; cum Lautrechius ad Senatum Venetum literas dedisset, Genua recepta, sexdecim triremibus, quæ in eam expeditionem designatæ fuerant, minime opus esse: itaque petere, ut per Tyrrhenum mare navigatione omissa, Neapolitano regno adnavigent, ibi classem regiam cito adfuturam, ut communi consilio, ac viribus bellum in Neapolitanos fines inferretur. Petro Lando, classis Venetæ imperatori Senatusconsulto mandatur, ut quamprimum Siciliæ insulæ litoribus emensis, ac navibus, si quas frumenti onustas inveniret, ad urbis annonæ inopiam sublevandam, soluta pecunia, mitteret; Joannem Maurum ex legatis alterum cum sexdecim triremibus Puteolos, aut in Aenariam proficisci juberet, ut ibi classem regiam præstolaretur, conjunctisque animis, ac viribus bellum administraret. Præterea eidem imperatori præceptum, ut Adriaticum sinum, quantum fieri posset, a piratis defenderet, ac præcipue Epidauri oram, quo, ut e proximis regionibus frumentum emerent, complures e nostris se contulerant, infestam-

1527

*Adurnis expulsis, Genua in Gallorum potestate. Theodorus Triultius Genuæ præficitur. Venetorum in militum Duces liberalitas.*

*Mandata Senatus ad Petrū Landum.*

1527 que prædonibus esse constabat. Augustinum vero Amulium legatum cum triremium parte, prout sibi e re esse videretur, ad orientis maria, insulasque Reipublicæ subjectas protegendas legaret.

*Joannes Maurus ad Liburnum cum classe regia se conjungit.*

Maurus Corcyra solvens, cum nondum regia classis ab Tyrrheni maris oris discessisset, Liburnum usque profectus est, ubi Auriæ triremes, & quatuor ac decem Gallorum invenit; in iis Rentius Ceres tria peditum millia imposuerat. Idibus novembris Liburno egressa classis, ut e Ducum omnium sententia Siciliæ insulam invaderet, licet postea consilio mutato, Auriæ adhortatione, ut Sardinia primum oppugnaretur, decretum fuerit; cum & facilior illius potiundæ, ac tutior spes videretur, illa occupata, gradum ad Siciliam occupandam proximum fore. Itaque cum classis ad Sardi oppidum appulisset, ac nonnulla litori adjacentia loca nullo negotio recepisset, haud similis initio exitus fuit; nam ob morbum, qui universam ferme classem invaserat, cum quæ in eam expeditionem necessaria erant, ægre, ac sero exequi posfent, dum sensim insulæ litora legeret, subita cæli, marisque tempestate oborta, triremes disjectæ, atque varias in partes sævientium procellarum vi compulsæ sunt: quatuor ex Venetis æquoris rabie jactatæ, Liburnum tandem incolumes pervenere: quatuor aliæ huc, atque illuc actæ salvæ in Cyrnum insulam sunt delatæ, quo etiam prius Gallicæ appulerant; duabus ad Sardiniæ litora illisis: octo demum Venetæ ad eumdem Liburni portum convenere. Ita improsperos eventus hujus anni conatus maritimi excepere; nam autumno jam senescente, classe ægritudinibus, variisque incommodis affecta, cum nihil, nisi summo periculo, aggredi liceret, Maurus Legatus Corcyram cum Venetorum triremibus reversus est.

*Fœderatorũ classis ad Sardiniæ oppugnationem.*

*Sardum a fœderatis captum.*

*Fœderatorũ classes pestilentia, & tempestate vexata.*

*Lautrechius Alexandriam aggreditur.*

Dum hæc agerentur, Bosco direpto, Genua in potestatem redacta, Lautrechius Alexandriam aggreditur, inferri commeatus prohibet, oppugnationem incipit, admotis machinis tormentorum vi disjicere, ac prostrare mœnia. Ob Boschi amissionem fracti Cæsareanorum animi, impares ad hostium vim sustinendam erant, ni Albericus Barbianus cum militibus quingentis per colles proximos urbem ingressus, erexisset: nam vallum celerrime intra stratos machinis muros reficiebat, ut absque cæde patere aditus non posset. Verum cum a Venetis tormenta, py-

pyriique pulveris non exigua vis ſuperveniſſet, & denuo mœnia hac, atque illac concuterentur, Baptiſta Lodronius urbis tuendæ difficultate deterritus deditionem, conditionibus hiſce adjectis, fecit, ut cum Germanis militibus, atque impedimentis ſibi, ac Barbiano abire liceret, per ſex menſes adverſus ſocios, & Gallos bellum non illaturis. Urbi quingentos ex ſuis milites præſidio impoſuit, tum, ut ſi quid illi adverſi obtigiſſet, tutum ad ſuos recipiendos locum haberet, tum, ut Gallos exciperet, qui Alpes tranſgreſſi in Italiam venturi erant. Sed ea res haud parum Franciſcum Sfortiam commovit, ad quem ex fœdere ea civitas ſpectabat, cum victoriæ fructum ſe nequaquam percipere, ſed ad alios transferri videret. Neque minus Senatui Veneto hoc moleſtum erat, quod fractum animo, ac pene ad deſperationem adactum Sfortiam cerneret, atque hoc Lautrechii facto ſuſpicionum, & diſſenſionum ſeri inter ſocios aliquando ingentium malorum ſemina poſſe, animadverteret. Quocirca Petro Peſareo præcepit, ut cum Lautrechio ea de re ageret, adniteretur que, ut urbem Ducis poteſtati permitteret, quem ob eam rem dejectione, ac mœrore animi prope confectum, cuncta queſtu implere intelligeret; nihil ſibi eorum, quæ ſancte Rex, & mater, adeoque univerſa Gallia pollicita fuiſſet, præſtari. His adjecta ſunt, non videri impoſiti Alexandriæ præſidii juſtam eſſe cauſam, ut tutum ultro, citroque commeandi iter ſuis militibus Lautrechius habeat; cum fœderatorum copiæ numero, & robore firmæ adeo ſint, ut intercipi milites poſſe nulla ratione pertimeſcendum videatur: deinde cum ipſe cis Padum contineatur, ſemper illi per urbis Novariæ agros, Pedemontanamque regionem patens undequaque iter futurum: ex Alexandriæ civitate nullum militibus, aut venientibus ex Galliis, aut ex Italia redeuntibus impedimentum, Tranſpadanis, Ciſpadaniſque patentibus itineribus, inferri poſſe; eo Senatum vehementer angi, quod proſpere gerendarum rerum momenta præterlabi inſpiceret, atque inutili cunctatione, opportuno anni tempore, debilitatis hoſtibus, victoriæ curſum remorari animadverteret.

*1527 Alexandria a Lautrechio occupata.*

*Franciſci Sfortiæ perturbatio ob Alexandriam Gallicis præſidiis munitam.*

*Senatus officia ut Sfortiæ Lautrechius Alexandriam traderet.*

Eadem, Sebaſtiano Juſtiniano, ut Franciſco Galliarum Regi Senatus nomine ſignificaret, injunctum eſt, obnixeque peteret, ut quamprimum tradi urbem Sfortiæ mandaret; cum præſertim

*Mandata Senatus ad Sebaſtianũ Juſtinianũ Oratorẽ in Gallia.*

1527 per Italiam universam rumor pervagaretur, inter fœderatos contentiones, jurgiaque orta; Franciscum Sfortiam, quæ sibi ex fœdere loca deberentur, non reddi mirum in modum conqueri; inde socias infringi, ac debilitari vires, ut si qui nutantes ex fœderatis sint, parvo momento ad defectionem impelli possint, in dies Cæsareanis adnitentibus, ut quos possint a reliquis secretos ad suas partes pertrahant; in iis Florentinos esse, quos prece, pollicitationibus permovere, atque allicere contendant: & quoniam Lautrechium Bajardum hac de causa missurum in Gallias rumor erat, Regem rogare, ut statim tradi Sfortiæ Alexandriam; neque in posterum ullum impedimentum, quo minus civitates, atque oppida, quæ in Insubribus fœderatis accederent, illi restituerentur, juberet: tandem Lautrechium urgeret, ut celeritatem virtuti conjungeret; in qua præsertim victoriam sitam esse constaret, hostibus ad paucitatem redactis, Antonio Leva ægritudine laborante, atque imperatoris muneribus obeundis nequaquam idoneo. Hæc Lautrechio, & Regi Senatus significavit. Atque ut Sfortiam in fide retineret, Aloysio Sabadino Senatus a Secretis, qui Reipublicæ nomine apud Sfortiam morabatur, præcipitur, ut Ducem bono animo esse jubeat; nec ob ea, quæ Alexandriæ acciderant, demittere mentem velit, quam per varios fortunæ casus per tot annos exercuerat; sibique persuadeat, infixum id Senatui hærere, ut semel pro Italiæ libertate, atque pro ipsius incolumitate arma suscepta nunquam deponat, nisi ipse Alexandria non modo, verum omnibus suis ditionibus potiatur. Gabrielem quoque Venerium antea designatum oratorem ad Sfortiam misit, ut iis, quæ e re communi forent, consilio, atque officiis præsto esse niteretur, cui in primis in mandatis Senatus dedit, summam Reipublicæ benevolentiam testaretur, nihilque illi antiquius fore, quam ut Mediolanensem ducatum integre obtineret: enixurum proinde, atque omnem operam, & studium, veluti pro Reipublicæ filio, insumpturum.

*Aloysius Sabadinus Venetus a Secretis apud Sfortiam.*

*Gabriel Venerius ad Sfortiam Orator.*

Verum Alexandria occupata, ad debellandos hostes id summopere Veneti conducere arbitrabantur; si Lautrechius, Pado trajecto, Mediolanum versus copias omnes dirigeret; cum præsertim Antonius Leva, qui exercitum in suburbiis continebat, pecunia laboraret, undique querelis civium circumstrepentibus,

virque

virque arduis rebus assuetus adversus hostium vim modico exercitu, sine pecunia, sine auxiliorum spe amplissimam urbem tueri posse diffideret. Itaque Lautrechio suadent, ut statim Padum trajiciat, qui si hostes imparatos, & præteritis successibus dejectos, atque perterritos offenderit, facillime victoria potiri, ac bellum profligare posse. Lautrechius cum universo exercitu iter Romam versus velle se arripere dictitabat, ut Pontificem captivitate liberaret; qui licet concordiæ rationes cum Hispanis iniisset, arce tamen adhuc detinebatur, propter varia impedimenta, quæ tum ob pollicita militibus stipendia, tum ob oppidorum deditiones eruperant. Verum cum a Pesareo Legato compluribus rationibus, ne Galliæ Cisalpinæ res magnis periculis expositas desereret, dehortaretur; tandem copias ad Ticinum oppugnandum admovere statuit: quod eo facilius ad exitum perduci posse videbatur, quod Ludovicus Barbianus paulo ante milites circiter quadringentos Ticino Mediolanum misisset, ad quam urbem obsidendam conatus omnes Lautrechium adhibiturum rumor invaserat. Acriter itaque Ticinum Gallorum, Venetorum, ac Sfortianorum conjunctis viribus oppugnari cœptum. Quatuor diebus magna solo æquata murorum pars, cum ii, qui intra mœnia erant, neque ad vallum ducendum, neque ad urbis ambitum tuendum sufficerent; quocirca cives supplices Barbianum orare, ut ingruenti fortunæ cederet, neque irrumpentis hostis vim experiri vellet, quem Divina, humanaque omnia insolenti victoriæ lege violaturum constaret. Ille intrepida mente nihil timide agendum ratus; mox milites juxta ac cives insuperabili labore fessos, imparesque ad hostes sustinendos inspiciens, tubicinem dedendæ urbis nuntium ad Lautrechium mittit; sero id quidem: nam milites instructa jam acie, qua per muros ingenti ruina prostratos patebat aditus, conferti summo impetu urbem ingrediuntur. Barbianus captivus Genuam mittitur, direpta urbs, prædæ a militibus actæ; Galli in primis urbi, ac civibus infensi, quod acceptam superioribus annis cladem, Regisque captivitatem insigni vindictæ genere abolere contenderent. Itaque cædes editæ, privatorum direptæ domus, cœnobia, ac templa expilata, cives in servitutem redacti, ad vitam pecunia redimendam coacti: tandem Vascones, gens fera, igne sævire,

1527

*Veneti Lautrechii ad Mediolani oppugnationem hortantur.*

*Ticinum a Lautrechio captum & direptum.*

1527 per captam urbem incendia miscere; donec Lautrechius per dies octo debacchantes milites furori temperare jussit.

Ticino potitus Lautrechius, cum jam omnia ad Mediolani oppugnationem fœderatos allicere viderentur, hostium ob tot urbium, atque oppidorum amissionem fractis animis, atque ob paucitatem, quod quatuor millium numerum milites non excederent, imminutis viribus, præsertim Mediolanensium civium odio conflagrantibus; attamen ad priora consilia reversus, ex Insubribus movere, atque recto Romam itinere contendere statuerat, suadente in primis, atque impellente Innocentio Cibo Cardinali, Bononiensi legato, qui paulo ante ea de causa ad Lautrechium in castra venerat, atque ne diutius Clementem captivitate premi sineret, persuaserat. Quibus cognitis, Senatus licet non minus de Pontificis libertate esset solicitus; tamen hoc Lautrechii consilio omnes prospere gerendarum rerum spes succidi arbitrabatur. Itaque Pesareo mandavit, ut a proposita sententia dimovere Lautrechium omni studio conaretur; neque præclaram victoriam, quam nullo negotio consequi posset, prætermitteret. Cur enim Genua devicta, Alexandria expugnata, Ticinum in potestatem redactum, tot oppida, atque agri in deditionem accepti, si princeps, & caput Insubrum Mediolani civitas hostibus relinquatur? quis ignorat quantum summæ totius belli intersit, in universa hac regione dominari, quæ per tot annos bellorum sedes, ac veluti theatrum Europæ dimicantium inter se gentium institutis, moribus, militari virtute diversarum extiterit? Ea parta, reliquias Cæsareanorum dissipatum iri, Pontificem libertatem consequuturum, filios Carolum regi traditurum; pacem denique inde universo Christiano orbi optanti, atque anhelanti reddendam fore. Ni id fiat, quæ hucusque celeritate, ac virtute in fœderatorum potestatem concessere, amitti, atque ab hostibus occupari, & hoc incendio Reipublicæ quoque imperium absumi posse: inde enim Cæsareanos metu solutos pristinum vigorem sumpturos, Antonium Levam tam ingentem sibi oblatam prioris recuperandæ gloriæ opportunitatem per socordiam, atque ignaviam elabi non passurum; cum præcipue Germanorum militum haud exiguum subsidium expectaret, quos propediem per Tirolensem comitatum in Galliam Cis-

*Lautrechii sententia Romam cū exercitu proficiscēdi.*

*Senatus Lautrechiū de sententia removere nititur.*

al-

alpinam transgressuros Veronæ magistratus significabat. Id si accideret, Levæ copiis adjunctos, agros omnes direptionibus, incendiis, vastitate deformaturos. His quæcumque in Romanam expeditionem molirentur, retardari posse: Mediolano in potestatem redacto, Germanos milites ab Italia animos aversuros, nullius studio, ac solicitudine evocatos, nec tutum, quo se reciperent, locum habituros, non equitatum, non commeatus, non tormenta, & alia, quæ copiis alendis, & instruendis summopere necessaria sunt; Italiæ spes omnes deserturos. Atque his a suscepta sententia Lautrechium amovere Senatus adnitebatur. Eadem in Galliis in Regis consilio agitata orator Senatui significaverat; ac licet Franciscus anceps consilii videretur, in eam tamen propendere præconsultores fere omnes videbantur; nuntio præsertim de Ticini expugnatione accepto, parvum numerum hostium, rerum omnium inopiam, militum ægritudines, Antonii Levæ vitam prope ad extremum deductam intelligerent. Attamen Rex, ut quid sibi magis summæ totius rei conducere videretur, Lautrechius decerneret, permisit. Lautrechium nihil a proposita sententia remorari poterat; atque illius consilio jam evulgato, vires cogere Cæsareani Romæ cœpere, Hispanis militibus Germanos adjungere; neque exiguis subnixus argumentis sermo ferebatur, Clementem in Neapolitanum regnum abductum iri. Hæc animos Patrum summopere solicitabant; cum præcipue quotidie de Ferdinandi Caroli Imperatoris fratris Italica expeditione nuntii advenirent, quem post prælium adversus Joannem Transilvaniæ Principem feliciter gestum viginti peditum millium delectum haberi jussisse pro certo haberetur, illosque quamprimum in Italiam missurus diceretur. 1527

*Rumor de Ferdinandi Austriaci in Italiam adventu.*

Tandem decrevit Lautrechius, ut Reipublicæ copiæ., quæ in Hetruria detinebantur, in Galliam Cisalpinam evocarentur, ipse in Hetruriam cum reliquo exercitu transiturus, cui trecenti equites levioris armaturæ Venetorum stipendiis adjungerentur. Summa vero Lautrechii exercitus hæc futura erat; peditum quindecim millia regio ære militantium, sex Florentinæ Reipublicæ peditum millia, Helvetiorum quantum conducere videretur, quorum stipendia pro dimidia parte a Rege, altera a Venetis persolvebantur; Germanorum quoque mi-

*Lautrechius in Hetruriam proficiscitur.*

1527 militum, qui Angliæ Regis pecunia ſuſtentabantur, ad decem millia. Reipublicæ vero aderant in Inſubribus, præter equitatum, quindecim peditum millia, quibus oppida, atque urbes, quæ nuper in poteſtatem fœderatorum venerant, tueretur, omni ſpe Franciſco Sfortiæ auxiliorum adempta, quod ſumma omnium egeſtate premeretur, afflictis, ac pene everſis urbibus, neque ad illas præſidiis militum firmandas idoneo, ne dum ad emittendas ex fœdere copias, ut Antonii Levæ conatibus obſiſteret; ut totius belli in Gallia Ciſalpina pondus Reipublicæ incumberet; quæ non minus pro Sfortiæ incolumitate, quam pro ſuis finibus tuendis laborabat, verita, ne vicinis belli facibus imperii fines exardeſcerent. Quapropter Senatus cenſebat, augendas vires eſſe, novos delectus militum habendos; quæ cum perfici, niſi ingenti pecuniæ vi, non poſſent, ab Henrico Angliæ Rege flagitabat Senatus, ne difficillimis temporibus Italiæ deeſſet, cujus dignitatis, ac libertatis ſemper ſe patronum fore profeſſus fuerat. Verum ille arma ſe in Germania inferiori adverſus Cæſarem moturum dictitabat; eo uno Cæſaris ab Italia conatus averti poſſe: Cardinalis vero Eboracenſis ſuadebat, ut Italorum militum numero imminuto, Germano milite exercitus roboraretur, quod non niſi cum ſumma rerum omnium perturbatione fieri poſſe conſtans erat ſententia; neque e re communi fore, ut Italæ gentis militari virtute, corporis, atque animi robore inſignis, fama, & exiſtimatio læderetur, a noſtriſque ad Cæſareanos tranſiret; cum præſertim Italorum militum fortitudinem in urbibus expugnandis expertus eſſet. Neque vero his deterritus quidquam prætermittebat, quod ſumptibus ad alendum, atque retinendum exercitum faciendis conduceret; & jam bellorum diuturnitate exhauſtos Reipublicæ theſauros decumis, ac vectigalibus ſarciebat; cum interea cunctorum animos Lautrechii ex Ciſalpina Gallia diſceſſus admiratione affeciſſet, quod victoriam, quam manu tenebat, novo conſilio deſereret, Mediolanique potiundi, quod ſemper maxime Galli concupiverant, ſpes abjiceret, hoſtes ad extremam prope deſperationem adactos erigeret, jamque confecti belli reliquias quandoque non abſque magno incremento emerſuras negligeret: varia namque cunctorum ſermonibus ferebantur, illumque

non

1527

non tam Pontificis liberandi causa, quam altiori, & profundiori consilio hæc agere, vel quod ex illius animo nondum Sfortiæ expostulationis pro Alexandriæ immisso præsidio memoria deleta esset, vel dum arctius de pace inter Gallum, & Imperatorem ageretur, cunctatione uti satius duceret, ne novarum rerum accessionibus perturbatio aliqua oriretur: id ex eo firmiori conjectura elicientibus, quod cum summa celeritate ex Insubribus movisset, in itinere tamen prosequendo tarditate, ac mora usus putaretur, atque Germano milite, quem præstolabatur, copiis adjuncto, otio tempus terens ad Parmam consedisset. Eadem fere contagione fœderatorum trans Apenninum exercitus arreptus fuerat, qui prope Montem Falcum sedens nihil moliebatur, neque aut propria virtute, aut hostium paucitate ad præclare aliquid agendum accendebatur. Inde Senatus Ducis Urbinatis vel socordia, vel privato aliquo commodo hæc accidere suspicari; illius fidem prope suspectam habere, ut conjugem, & filium tunc Muriani commorantes servari, ac custodia obsepiri juberet: qua re intellecta, ut a Senatu Venetias veniendi facultatem impetraret, Horatium Floridum ad Senatum miserat; qui suo nomine Patres certiores faceret, paratum ad omnium a se gestarum rerum rationem reddendam, fore. Verumtamen illum ab exercitu discedere non permisere, nonnihil temporibus concedendum rati; cum nihil in Rempublicam admissum cognoscerent, suspicione omni deleta, priorique de eo opinione recepta, ab uxore, & filio Senatusconsulto custodiæ amotæ fuere.

*Fœderatorum exercitus ad Mōtem Falcū. Urbinatis conjugi, & filio adhibita custodia. Horatius Floridus ab Urbinate Venetias mittitur.*

*Ab Urbinatis conjuge, & filio custodia amota.*

Hæc Lautrechii consilia, hi Venetorum conatus erant, cum inter bellicorum apparatuum tumultus de pace ageretur, ad quam propensum animum Cæsar habere significabat. Nunc Francisco Galliæ Regi; nunc Venetis concordiæ rationes objiciebat; atque ex literis Andreæ Naugerii Reipublicæ ad Cæsarem oratoris xiv. kal. octobris Paredæ in Hispania datis significabatur, de pace cum Angliæ, atque Galliæ oratoribus actum: Regis filiis libertatem Imperatorem daturum, Burgundia in potestatem recepta, duodecies centenis aureorum millibus sibi, quingentis Anglo persolutis, quæ illi a Cæsare debentur; de reliquis trecentis millibus, nec de tempore præscripto, nec de obsidibus nondum convenisse; regni proceres Cæ-

*Andreæ Naugerii ad Cæsarem oratoris literæ de pacis agitatione.*

1527 Cæſare pro obſidibus petente, quos Gallorum Rex ne vicies quidem centenis nummorum millibus traditurus erat. Deinde firmata pace, de dimittendis exercitibus ſubortas difficultates fuiſſe, poſtulante Cæſare, ut ſtatim Lautrechius evocetur, cum de ſuarum copiarum miſſione ne verbum quidem faceret: e contra Franciſcus nullatenus Lautrechium evocaturum, niſi prius filii ex Hiſpaniis adveniſſent, aſſeveraret. Tum de Cæſaris in Italiam profectione nihil eſſe, quod modo ageretur, cum ejus rei curam prætermiſerit; pedites, atque equites ex pacto Madriti in Italicam profectionem inito, minime petere; cum ſe obtulerit occaſio, in Italiam venturum; ut nemini inde aliquid ſuſpicionis, vel metus poſſit obrepere, tantum claſſem regiam flagitare: cui rei oratores minime aſſentiri voluerant. Quod vero ad Franciſci Sfortiæ res attinet, eas ſummis, ac difficillimis implicitas perplexitatibus eſſe: ni Cæſar Ducem in avito imperio retineat, infectum negotium omne fore; cum Rex, quæ in Inſubribus jura obtineat, non Imperatori, ſed Duci conceſſurum affirmaret: Cæſaris contra ab his valde averſus animus erat, neque ambiguis argumentis Mediolanenſis ditionis potiundæ cupiditatem præſeferebat: decernendum primo de Ducis actionibus a judicibus eſſe; dum cauſa pertractatur, imperium penes ſe exiſtere; ſi judicio inſons Franciſcus declaratus fuerit, Inſubrum ducatum reſtituturum; ſin minus, alteri traditurum; quis vero futurus is eſſet, ſilentio obvolvere; nec fratrem, ut antea, nominare. Angli Regis Oratores, nihil, quod ad mentem Cæſaris flectendam, atque erga Sfortiam conciliandam ſpectaret, prætermiſere; neque judicibus rem permitteret, id illius Regis cauſa faceret, a quo ſibi affinitate conjuncto haud parva emolumenta, & auxilia acceperat. Verum nec officiis, nec precibus aliquid impetrare potuerunt. Galli oratores Naugerio ſignificant, a Cæſare petiiſſe, ut fœderatis Franciſci Regis Reſpublica Veneta, ac Florentini adjungerentur; ab hoc primum valde alienam Cæſaris mentem fuiſſe; mox adjeciſſe, ſi in nonnullis, quæ jure expoſcere videbatur, ſibi ſatisfacerent, pace complectendos fore.

His de rebus cum Anglis, Galliſque Veneti, ac Florentini oratores colloquuti; re maturius expenſa, Naugerius Impera-

peratorem adiit; Senatus mentem uberius exponit; pacis studium declarat; propensam in Christianam Rempublicam voluntatem ab honestis concordiæ rationibus nunquam recessuram. Ad hæc Cæsar, controversiis amotis, quæ illi cum Venetis intercedebant, non modo a Christianissimo Rege inter fœderatos eos censeri se passurum, sed eosdem etiam inter amicos, & socios habiturum: ingenti pacis desiderio totius orbis Christiani flagrantem, omnia bellorum semina radicitus excindere, amovere suspiciones statuisse, ut ubique egregium pacis bonum, post præteritorum bellorum clades, ac sanguinem, percipiatur; neque cum aliquo seorsum pacem inire, sed omnes vincire concordia decrevisse, expertum, quot technis, ac dolis nonnunquam summum pacis commodum dominandi libidine interturbetur. Quid enim cum Gallorum Rege pace inita, nondum cum Republica firmatis rebus, expectari posse, nisi ut receptis filiis, faces Senatui ad bellum pecunia, ac viribus immissis subjiceret, hoc prætexens, quod fœderatos deserere regium minime affirmaret? Id si contingat, post paucos menses elapsos acriori, atque acerbiori incendio cuncta exarsura; ipsum eosdem pro hostibus habiturum, quo nil alienum magis a suis rationibus esse; quippe qui perpetuam, ac cum singulis Christianorum Principibus pacem percupiat: quocirca controversias omnes amputandas, atque tollendas, ut sincera, ac stabili pace Christiana Respublica perfruatur, ipse vero tam excellenti fructu, amota omni suspicione, quæ de illius animo suboriri posset, lætetur. Adjecit, falli eos, qui illum ad totius Christiani orbis principatum adspirare, ac contendere arbitrarentur; præter sua nihil exposcere; aliena non quærere; pacem sectari; omnibus amicum se esse cupere; præter ceteros semper Reipublicæ amicitiam optasse: illa ut certis rationibus iniri, atque ad optatum finem perduci posset, petere primum, ut pecuniæ vis, quæ ex pacto cum Hieronymo Adurno, & Caracciolo Protonotario Regi Hungariæ fratri debetur, persolvatur; quæ Venetiis anno M. D. XXIII. eodem tempore pacta sunt, exequutioni mandentur: Tum ut centum, & viginti aureorum millia, quæ a Senatu Prorex postulaverat, quod copias cum illius exercitu, dum Franciscus Rex Ticini moraretur, non conjunxisset, tribue-

1527

*Cæsaris de pace sermo cum Naugerio.*

1527 buerentur : deinde cum ipse superioribus mensibus ingentes sumptus facere ad res suas tuendas coactus fuisset, æquum videri, ut Respublica, quæ acriori illum bello, quam Rex Gallorum lacessiverat, quæque Franciscum Sfortiam ad urbes, atque oppida Insubrum expugnanda adjuverat, tantarum expensarum portionem aliquam persolveret ; ut pace firmata, dimitteret exercitum, tutamque, ac pacatam Italiam redderet.

*Naugerii responsio.* Hæc Cæsar cum Andreæ Naugerio exposuisset, ita respondit : primum se arbitrari, si quid Senatus Ferdinando fratri deberet, nunquam negaturum; deinde, quod ad reliquas pactiones spectat, non ambigere omnia observaturum, modo a Cæsare idem fiat, neque aliquid fœderi postea cum Gallo, ac reliquis inito repugnet : quod vero ad centum, & viginti aureorum millia attinet, cum Respublica Proregi, & Carolo Borbonio octoginta millia obtulisset, se recepturos dixisse, ac tanti satisfactum iri Cæsari ostendisse, nil postea mutatis rebus confectum; adeo immensis sumptibus exhaustas Reipublicæ vires, ignorare se, an eadem mens Senatui foret. Meminisse oportere, non pacis coemendæ gratia, neque culpæ deprecandæ, quod pactis non stetisset; nulla enim in re defuisse, ut a Gaspare Contareno, atque a se ipso sæpius multis rationibus tunc aperte probatum fuerat ; verum pecuniæ egestate laboranti singulari benevolentia, atque observantia, qua Cæsarem semper prosequutus erat, non absque summo incommodo, vim illam auri obtulisse : non voluntatem Reipublicæ, sed vires immutatas, terrestribus, maritimisque copiis auri acervos absumptos, publicas, privatasque pecunias imminutas. Tandem quod ad impensarum partem, quas petebat, sibi non videri hujus belli occasionem in Venetos rejici posse; neque insimulare Cæsarem velle, cum rectam illius mentem, propensumque in pacem, & totius Reipublicæ Christianæ felicitatem animum optime nosset : idem & suis literis edoctum, & sua sponte Senatum sentire: verum Duces Cæsareanos adversus rectam illius mentem ita egisse, ut maximam cunctis suspicionem injecerint, non eum, quem præseferebat, Imperatoris animum esse, qui superbia, crudelitate, avaritia cunctos ad arma pro suimet defensione suscipienda coegisse videretur.

retur. Si communis tranquillitatis, ac pacis illi insideat desiderium, ab iis petitionibus abstineret, quæ alienæ a pacis studio prorsus existerent. Ad hæc Cæsar pauca de sua in bonum publicum propensione præfatus, subjecit; partim invidia, partim timore, qui in ipsum arma moverant, impulsos fuisse. His Naugerius: quod ad invidiam spectaret, nihil esse, quod diceret: non diffiteri, Rempublicam, Italiamque universam haud injusto timore permotam, cum Cæsareanorum infestos animos in Italiæ perniciem, ut prope in illius excidium conspirasse viderentur, animadverteret. 1527

*Mandata Senatus ad Naugerium ut de pacis conditionibus ageret.*

Hæc Naugerii literis continebantur, quæ licet gravia Senatus existimaret; tamen is erat post tot annorum curricula, quibus assiduis fluctibus agitata, ac fere convulsa Italia fuerat, publicæ pacis ardor, & studium, ut neutiquam ab iis conditionibus, quæ ab honestate minime abhorrerent, sibi discedendum censeret. Itaque Naugerio mandatur, Imperatorem adeat, eamdemque erga pacem cum eo Reipublicæ mentem esse significet; nunquam æquas illius conditiones aversaturam. Ad concordiæ vero capita, quæ a Carolo proponebantur, ita responsum est. Assiduis bellis non pro augendi imperii finibus, sed pro incolumitate, ac salute susceptis, imminutas civium opes, ingentibusque sumptibus publicas vires attritas, tantas non futuras, ut quod ex fœdere anno M. D. XXIII. deberet, ad unguem expleat. Reliquum ducentorum aureorum millium persoluturam; dummodo subditorum bona, quæ in ditionibus Ferdinandi sita sunt, restituantur; eorum vero solutionem longe antea futuram fuisse, si eadem illi, quæ Reipublicæ mens, & voluntas extitisset. Postea de centum, & viginti aureorum millibus, quæ ob non conjunctas Cæsareanis Venetas copias petebantur: jam nulla alia causa permotam, quam sua erga Carolum benevolentia, atque observantia, in ejus militum stipendia octuaginta millia obtulisse, id acceptum, gratumque Carolo Borbonio fuisse, qui cum repente ex Insubribus in Hispaniam profectus esset, ea de re ad Gasparem Contarenum tunc apud Cæsarem Oratorem scripsisse: verum postea immutatis rebus, cum in dies nova in Rempublicam Cæsareani molirentur, bellorum incendia, ac ruinas imperio Veneto pararent, ut suis rebus consuleret, alio

se

1527 se vertere, aliis fœderibus niti coactam fuisse. Quocirca perturbatis rebus, nova exorta bella, cunctis immutatis, ut alia rerum facies sese objecisse videatur, nihil esse, quod hoc tempore illa postularentur, quæ ultro alia tempestate Respublica concessura fuerat. Tertio ad deducendum ex Italia exercitum ducenta aureorum millia Cæsare petente, non eo statu Reipublicæ opes esse, ut tantam auri summam persolvat, egregiæ Senatus voluntatis in Carolum majora in præsens argumenta exhiberi non posse. Quarto quod ad Insubres tuendos communibus viribus, & copiis spectat, quæ pacis capitibus anni M. D. XXIII. continebantur: non eadem tempora, maximam omnium immutationem sequutam, solutam pacto Rempublicam esse; nec, si vellet, ob Gallicum fœdus illi integrum fore. Inter cetera vero postulantibus Cæsareanis, ut quæ nuper a Gallicis, ac Venetis copiis Insubrum oppida in potestatem redacta fuerant, traderentur, responsum est; ea Francisco Sfortiæ Mediolani Duci ex fœdere a Lautrechio concessa esse. Insuper, ut Ravennæ, ac Cerviæ urbes Pontifici redderentur, petitum. Responsum est, Roma direpta, Reipublicæ auxilium non modo illarum cives, sed Pontificis Nuntium implorasse, ut sartas, tectasque ab hostium injuriis tuerentur; id Rempublicam pro eximia in Apostolicam Sedem reverentia, atque observantia ultro præstitisse: sperare libertati restitutum Pontificem, quæ a Republica gesta sunt, æqui, bonique consulturum: nihil enim vehementius cupere, quam ut Clemens tandem servitute ereptus huic novo fœderi adesse, suaque auctoritate id tueri possit. Itaque Naugerio facultas tribuitur, ut his conditionibus paci inter Cæsarem, Gallorum Regem, Franciscum Sfortiam, ac Florentinos Reipublicæ nomine subscribat. Hæc omnia per Sebastianum Justinianum Francisco Galliarum Regi significantur, nullisque rerum eventibus Rempublicam ab inita cum illo societate, & fœdere discessuram, quem ejusdem erga ipsam mentis esse idem Orator Senatui declaraverat; nempe a rege se accepisse, sibi a Cæsare propositis conditionibus pacis contineri, ut, seclusis Venetis, ac Florentinis, ea fieret, neque Francisco Sfortiæ Insubrum restitueretur imperium: hæc Regem prorsus rejecisse, cum firmiter decrevisse assereret, potius filiorum captivitatem pati, adver-

*Pacis agitationes Gallorum Regi a Venetis significatæ.*

adverſaque omnia experiri, quam fœderatos, ac ſocios deſerere; pro qua egregia ſignificatione ingentes illi a Senatu gratiæ actæ ſunt. 1527

*Cæſaris animus denuo a pace averſus. Galli & Angli Oratorum ſententia de bello Cæſari denunciando.*

Verum, cum ea, quæ prius erga pacem totius Chriſtianæ Reipublicæ propenſio in Cæſare cernebatur, vel rerum Italicarum novis ſucceſſibus, vel ſpe fœderatorum diſſenſionis paulatim refrigeſceret, Galli, & Angli Oratores, ab honeſtis pacis conditionibus Cæſare averſo, bellum illi denunciandum, ſtatimque ex Hiſpaniis diſcedendum cenſebant: idem, ut fœderatorum legati efficerent, hortabantur. Quid hac in re ſibi agendum eſſet, Naugerius a Senatu petebat; qui reſcripſit, ut ab eorum ſententia de belli denunciatione, ac diſceſſu ne latum quidem unguem diſcederet; præſertimque Gallo Oratori adhæreret, & omnia, qua decet prudentia, & gravitate perficeret. In hac rerum, atque animorum immutatione ne quid, quod ad augendas fœderatorum vires conduceret, prætereiretur, e communi re viſum eſt, ut Ferrarienſis Dux, & Marchio Mantuanus ſocietati adjungerentur, omni ſtudio niti oportere; id quo facilius perficeretur, Gaſpar Contarenus Orator ad Ferrarienſem mittitur, qui his conditionibus fœderi acceſſit, ut ducentos cataphractos ære ſuo copiis fœderatis conjungeret; in ſex menſes decem aureorum millia in peditum ſtipendia perſolveret: contra fœderati ejus ditionibus tuendis, & ſervandis ſe obſtringerent. Mantuani vero Principis, quod a Lautrechio ſummopere urgebatur, negotium haud parvis difficultatibus erat implicitum: nam Lautrechius Senatui ſignificaverat, ſe quamprimum Laurentium Hetruſcum, & Equitem Caſalium Mantuam miſſurum, ut regio nomine cum Marchione de novo fœdere ageret; ea in re Reipublicæ mentem exquirere. Tria potiſſimum capita erant; primum, ut Mantuanum imperium in fœderatorum clientelam reciperetur; deinde ut, Lautrechio abſente, imperatoria dignitate, ac munere Marchio fungeretur; demum ut duo peditum millia ſuppeditaret, qui in Venetorum quindecim millibus cenſerentur. Senatus quemadmodum Marchionis ſocietatem magnopere probabat; tum ob egregias illius Principis virtutes; tum ob ſitus, locorumque naturam, ac præcipue ut ſinguli Italiæ Principes ad dignitatem, & libertatem illius retinendam conſpirarent; attamen

*Ferrarienſis Dux fœderatis adjūgitur.*

*Laurentius Hetruſcus, & Eques Caſalius ad Mantuæ Marchionē miſſi.*

men

1527

*Mantuæ Marchionis ad fœderatos accessus. Joannes Haimus Mantuam mittitur. Augustinus Amulius, & Antonius Marcellus in Orientem profecti. Cartoglius ad Cytheram navem Grimanam capit.*

men ut Imperator exercitus declararetur, haud facile assentiri poterat, ne Urbinatis auctoritatem, qui universis Reipublicæ copiis præerat, lædere videretur. At re sæpius agitata, tandem Marchio, amota ejusmodi conditione, in fœdus concessit, cui subscribendo, ac firmando Joannes Haimus, Veronæ Prætor, Mantuam a Senatu missus est. Hæc in Italia gesta sunt.

Petrus Landus, classis imperator, maritimas oras legens, oppida, urbesque opportune communiverat; populorum erga Rempublicam animos confirmaverat, frumenti vim Venetias navibus transmiserat, Augustino Amulio legato cum duobus levioribus triremibus, atque Antonio Marcello quatuor notharum Præfecto ad tuenda, purgandaque orientis maria præmissis, cum nunciaretur infesta Turcicis prædonibus omnia esse. Nam Cartoglius insignis pirata cum prædæ inhians maria excurreret, non longe a Cythera Aegei insula, Venetam navim (Grimana appellabatur) ceperat, ac pretiosis mercibus in suas triremes invectis, incendio absumpserat; viros nobiles, feminasque ingenuas, nulla sexus, aut conditionis ratione habita, crudeliter obtruncaverat. Cum nautas, ac viatores ad Coturnicum, quem modo vocant, portum misisset Marcellus, qui tum in Amphimalo portu Cretæ cum tribus triremibus detinebatur; cum ab exploratoribus intellexisset, supra Amphimalum non longe a Bicorna oppido triremem Turcicam navigare, quam pone alias sequi nuntiatum fuerat, vel Cartoglium esse arbitratus, vel Sinanem, qui nuper, ex Numidia comparata classe, in sinu Adriatico, multis inflictis molestiis, cunctis non parum timoris injecerat, injuriarum ulciscendarum generoso impetu actus e portu se proripuerat; triremémque ingenti conatu adortus parvo intervallo in potestatem redegit. Verum cum statim cognovisset, non longe septem alias adesse, quibus Alexandriæ Maurus præerat, Byzantiumque recta contendebat, omni studio Marcellus militum, ac remigum furorem in Turcas sedare, & restinguere conatus, triremem captam, interim nihil adversi veritus, Bicornam adduxit. Inde arrepta occasione Maurus triremes suas celerrime collegit; Marcellus inopinata oppugnatione deterritus fuga saluti consulere nitebatur; duæ ad litus allapsæ, quod cum vix tenuissent, remigum turmæ statim se ex triremibus proripuere, & in Mauri potesta-

*Antonius Marcellus unam ex Alexandria Mauri triremibus capit.*

tem

tem venere, atque Alexandriam advectæ sunt. Ea cum Venetias perlata essent, notharum Præfectus, ut apud Advocatores causam ex vinculis diceret, Senatus decrevit: ille angore animi, & curarum mole obrutus in itinere obiit. Cidoniæ magistratui committitur, ut triremem Turcicam, quæ in nostrorum manus pervenerat, restituat; legato vero apud Suleimanum, ut totius rei eventum exponat, mandatur; flagitet, ut duæ a Mauro triremes captæ cum tormentis reddantur. Ad hæc ne piratis auxilium, vel tutus accessus in Suleimani ditionibus concedatur, Sinanesque ac Numidici latrones arcerentur, enixe peteret. Suleimanus, re cognita, Senatusque voluntate perpensa, statim triremes reddi jussit, magna vi tormentarii pulveris opportune adjecta, cujus inopia (assiduo bello immensa pene materia absumpta) Respublica premebatur. Nec minora amicitiæ, ac benevolentiæ argumenta Suleimanus in Venetos dederat, cum Alexandria non modo, verum etiam aliis sui imperii locis avehi frumentum ad ducenta ac viginti millia sextariorum permisisset, & quinque millia præterea dono dedisset. His præclaris benevoli in Rempublicam animi significationibus ne parum grati animi notam subiret, perhonorificam legationem, pretiosis muneribus insignem decrevit, illiusque obeundæ Thomæ Contareno onus injunctum est. 1527

*Maurus Alexandriæ Venetas triremes aggreditur, & duabus potitur. Antonius Marcellus cum causâ ex vinculis dicturus esset, obiit. Venetæ triremes a Suleimano magna vi tormentarii pulveris adjecta restitutæ. Suleimanî benevolentiæ argumenta erga Venetos.*

*Thomas Contarenus cum donis ad Suleimanum missus.*

Interim Cæsar conspirantium in se Christianorum Principum ad Pontificem liberandum conatus veritus, Franciscanæ familiæ Præsulem cum Verio Milliao in Italiam miserat, ut cum Prorege de libertate Clementi restituenda agerent; qui cum per eos dies Cajetæ excessisset, cum Ugone Moncata, quem sibi moriens Prorex substituerat, ea de re consilia iniere. Res inter magnas difficultates versabatur, cum nec Pontifici ad stipendia militibus Cæsareanis eroganda pecuniæ copia adesset, nec Cæsareani satis fiderent, promissis Clementem staturum: ex quibus obscure admodum, quemnam tota res exitum habitura esset, perspiciebatur. Clemens, ne sibi aliqua in re deesset, Lautrechium, ut quamcelerrime iter conficeret, sibique suppetias ferret, impellebat. Hæc dum agerentur, obsides, fuga capta, secreto magna Germanorum, & Hispanorum indignatione, Roma abiere;

*Lanojus Prorex Cajetæ obiit.*

*Clementis obsides a Cæsareanis fugam capiunt.*

1527 re; neque illi, penes quos liberandi Pontificis auctoritas erat, convenire poterant. Moncata aversum animum a Pontifice gerebat: Præsul Franciscanus propensus ad sublevandum Clementem erat, vel quod ita Cæsari conducere arbitraretur, vel cupiditate potiundi Cardinalatus incensus: Milliaus palam uti rei periculi plenæ adversabatur: Clemens, ne nullum lapidem non moveret, Hieronymum Moronum, summæ auctoritatis apud Cæsareanos virum, illexerat, filio ad Episcopatus Mutinensis dignitatem evecto; Columnam Cardinalem Picenæ legationis spe sibi adjunxerat, gloriæque appetentem animum permoverat, cum in arce illum invisenti immortalem sibi apud posteros laudem comparaturum dixisset, si tantæ rei auctor, atque adjutor foret: quid enim præclarius, quid ad summam potestatem cunctis patefaciendam illustrius, quam penes illum esse Pontifices dejicere, ac deprimere; eosdem depressos ad pristinum dignitatis gradum restituere? quibus homo inflatus, atque percitus, omni opera, ut Pontifex liberaretur, connixus est. Verum novis ex Hispaniis Cæsaris mandatis supervenientibus, omnis ambiguitas sublata; cum præcipue quotidie de Lautrechii adventu nuntii perferrentur, coactumque iri se Cæsareani cernerent, ut omnes copias ad Neapolitanum regnum tuendum transferrent, quod, nisi prius persolutis stipendiis, non sine ingenti tumultu, ac seditione militum fieri poterat. Itaque in has conditiones inter Pontificem, ac Cæsareanos convenit: primum ne Pontifex Carolo hostile aliquid vel in Insubribus, vel in regno Neapolitano moliretur: deinde ut *cruciarium*, quod dicitur, vectigal in Hispaniis, decimam proventuum Ecclesiasticorum in omnibus suis regnis eidem permitteret: tum ut Hostia, & Centumcellæ, veluti prædes in Cæsareanorum potestate essent: ad hæc Tiferni oppidum, & arx Forilivii traderentur: obsides Hippolytus, atque Alexander nepotes, qui tunc Parmæ erant, statuerentur; interim Pisanus, Triultius, & Gaddius Cardinales darentur, qui statim in Neapolitanorum fines abducti sunt: Germanis militibus sexagintaseptem; Hispanis trigintaquinque millia aureorum numerarentur; ipsi cum omnibus, qui penes se erant, Cardinalibus libere abeundi facultas permitteretur; Orbitum, vel

*Conventiones inter Pontificem & Cæsareanos.*

Spo-

Spoletum, vel Perusiam incolumis perduceretur: quindecim diebus elapsis, totidem aureorum millia solveret; reliquam pecuniam, quæ ad quadraginta millia supererat, trimestri spatio constituto, Germanis, Hispanisque tribueret. Quibus ita statutis, ac decretis, cum dies quinta idus decembris Roma exeundi statuta esset, vel fortunæ malignitatem, quam sæpe expertus fuerat, vel hominum perfidiam, ac Moncatæ præsertim adversus illum infestum animum veritus, moræ impatiens, nocte, quæ diem præfinitam præcesserat, mutato habitu, ex arce exiit, atque a Ludovico Gonzaga Cæsareano Duce exceptus incolumis Orbitum perductus est; noctu nullis, ut assolet, Cardinalibus, sed paucis e familiaribus comitatus, urbem ingressus humanæ varietatis exemplo, quippe qui e supremæ fastigio dignitatis dejectus, auctoritate exutus, carcere detentus, Roma amissa, imperio spoliatus; idem post paucos menses libertati restitutus, imperium denuo recuperaverit, pristinam dignitatem, atque auctoritatem adeptus fuerit. Ea de re Pisanus Reipublicæ Legatus certior factus statim cum literis eum, qui sibi erat a secretis, ad Pontificem misit, ut illi de felici successu gratularetur; ipse postea subsequutus est, & de præterito, ac præsenti rerum statu multa egit: a Senatu etiam ad Pontificem ingentis gaudii significatione refertæ literæ datæ sunt, quibus propediem oratorem ea de causa missurum continebatur. 1527.

*Clemens ex arce exiit, & a Ludovico Gonzaga Orbitum ducitur.*

*Pisanus legatus ad Pontificem gratulatum accedit. Venetorum literæ ad Clementem mittuntur.*

Clementem tot angustiis ereptum variæ curæ, ac solicitudines angebant; hinc fides, qua se Cæsareanis obstrinxerat; inde urbium, & oppidorum deditio, præteritorum malorum memoria, cui injuriæ acceptæ, illatæ clades infixæ hæserant. Ea in causa erant, ut summopere Lautrechii adventum cuperet: quocirca Senatus oratori Pesareo scripserat, ut ad conficiendum iter Lautrechium excitaret; quod si vel propter impedimenta, aut tormenta bellica, vel quia Germani, qui in itinere erant, nondum advenissent, morari oporteret, statim quas posset copias præmitteret, ut exercitui, qui trans Apenninum erat, subsidio forent; tum ut hostibus obsisti, illorumque conatus reprimi possent; tum ut Florentinorum studia confirmarentur; ac, ne Pontifex prorsus animo concideret, niterentur. Huc enim Senatus consilia spectabant, ut Clemens, qui captivus iniquis pa-

1527 cis conditionibus subscribere coactus fuerat, a fœderatis non recederet; id summum momentum ad prosperos belli eventus allaturum. Neque vero ab ea re aversus illius animus videbatur; quippe qui Guidoni Rangonio, ad eum a sociis misso, dixerat; omnem rerum bene gerendarum spem in eo sitam esse, ut quamcelerrime universis coactis copiis nostri hostes aggrederentur: nam Jacobus Salviatus Pisano Legato e Corito significaverat, Cæsareanos ab urbe discessum parare, in Senensium fines profecturos. His nuntiis de itinere hostium perlatis, a Lautrechio, Pesareo Oratore, ac Ducibus de ductando exercitu consulitur; quibusdam per Flaminiam, & Aprutianos fines dirigi iter placebat, ratis; hostes rerum suarum timore perterritos, ut Neapolitano regno succurrerent, Ecclesiæ ditiones, Senenses, ac Florentinos relicturos, omnemque belli molem intra illorum viscera casuram. Alii contra traducendum ultra Apenninum exercitum censebant, ut junctis reliquis copiis, quæ circiter peditum decem millia erant, Cæsareanos, qui penes se duodecim selectorum militum numerum habebant, continere, atque cum iis, si se obtulisset occasio, confligere possent; ni id fieret, pertimescendum fore, Clementem, qui illis ex pacto pecuniam subministraverat, labantem, rerumque suarum incertum, quod reliquum erat, persoluturum; quibus auxiliis auctum vires hostium iri; coacto in Senensium agro exercitu, maxima in trepidatione Florentinorum res futuras, ac parvo momento, veluti tempestate jactatos, ad Cæsareanos accessuros. His per literas ab Oratore apud Lautrechium Senatui significatis, literæ ad illum datæ sunt, mandatumque, ut omni studio niteretur Lautrechium in hanc sententiam impellere, ut per Hetruriam itinere arrepto, reliquis fœderatorum copiis conjungeretur, ac si fieri posset, ne in Senensem agrum hostes penetrarent, obsisteret; id certe, cum ad confirmandum Pontificem, tum ad retinendam in fide Florentinorum Rempublicam opportunum fore. Verum Lautrechius, singulis perpensis, terra, marique Neapolitanum regnum invadere mente agitabat, atque consilio trajiciendi per Apenninum exercitum relicto, totus, ut mox dicemus, in ea expeditione fuit. Hoc anno de instaurando in Antistitum electione veteri Reipublicæ more, diversis sen-

*Guido Rangonius a fœderatis ad Pontificem missus.*

ſententiis in Senatu actum, ac tandem in hanc ſententiam Senatuſconſultum decretum eſt. *Cum ex antiquo Reipublicæ Venetæ inſtituto, ut Epiſcopi a Senatu nominarentur, inoleviſſet, qui poſtmodum a Romano Pontifice confirmarentur, idque uſque ad annum milleſimum quingenteſimum decimum ſervatum ſit, atque exinde nihil prætermiſſum fuerit, quod erga Pontifices egregiam voluntatem, atque operam patefacere potuerit, & præcipue in eum, qui hac tempeſtate ſuprema hac dignitate præfulget, pro cujus libertate, & Apoſtolicæ Sedis dignitate univerſæ Reipublicæ vires terra, marique collatæ, ingentes theſauri effuſi fuerint, ut nulli dubium ſit, niſi Pontifex captivus detineretur, veterem Reipublicæ conſuetudinem probaturum, Antiſtitumque nominandorum rationem confirmaturum: propterea Senatui videri, ut ex obitu Bernardi Rubei Tarviſini Epiſcopi Eccleſiæ deſtitutæ, initis ſuffragiis, ex antiquo inſtituto ſucceſſor declararetur, idque in poſterum in aliis quoque Antiſtitibus ſervaretur, quorum confirmatio ex legum Canonicarum præſcripto a Pontifice peteretur; neve proventuum percipiendorum ab eodem Senatu civi, aut patricio alicui, niſi tantum unius Eccleſiæ facultas daretur.* 1527

## M. D. XXVIII.

INſederat adeo Principum animis vel regnandi, vel ulciſcendi libido, ut optata Pontificis libertas, ex qua aditus ad commune pacis bonum conſequendum oriri poterat, nihil prorſus proficeret, ſed inde majorum diſſenſionum in dies cauſæ promanarent. Nam Clemens, ut erat ſolerti acumine ingenii præditus, ita in expediendis conſiliis piger, atque parum ſibimet conſtans, modo huc, modo illuc ex eventuum varietate impellebatur. Nonnunquam erga fœderatos propenſum animum præſeferebat, atque aſſiduis Venetorum officiis, qui maximum adjumentum ſuis rebus, ſi illum in ſuas partes penitus pertraherent, acceſſurum putabant, commovebatur, ut propediem fœdus inſtauraturum ſignificaret; Cæſarem deteſtatus, a quo tot ſibi illatas injurias, exutum imperio, libertate ſpoliatum, omnia indigna ſe paſſum affirmaret. 1528

1528 *Cæsar Pontifici de libertate gratulatur.* Quandoque vel illius potentiam veritus, vel præteritarum calamitatum memoriam perhorrescens, vel promissis Cæsaris delinitus., qui ad illum plenas officii, & humanitatis literas, quibus de recuperata libertate gratulabatur, pollicitis refertas dederat, vetera restinxisse odia, firmam cum illo pacem servaturus videbatur. Nec deerant, ut postea re ipsa compertum est, qui arbitrarentur, nunquam ex ipsius mente injuriam a civibus acceptam elabi passurum; in id suas omnes cogitationes defixisse, ut Mediceam familiam patria extorrem, immutata Florentinæ Reipublicæ forma, in pristinum dignitatis, atque auctoritatis gradum restitueret; tantæ conficiendæ rei dum opportunitas adesset, in neutram se pendere partem profiteri, imperii Pontificii calamitates, ac vastitates, pecuniæ inopiam prætendens, quam omnem in exsatianda militum avaritia, & libidine profudisset.

*Clemens ad Medicees pristinæ dignitati restituendos intentus.*

*Archiepiscopus Sypontinus a Pontifice Venetias missus ad Ravennam, & Cerviam reposcendas.* Summa inde solicitudo Patrum animos ceperat, ne reliquis malis hoc quoque accederet; cum præsertim Clemens Sypontinum Archiepiscopum Venetias ad reposcendas Ravennam, ac Cerviam misisset: qui cum, Polæ Episcopo ordinario oratoris munere fungente, ad Patrum Collegium accessisset, duas Pontificis nomine literas ad Principem dedit; alteris Senatui respondebat, qui superioribus diebus de illius libertate fuerat gratulatus; alteris quidquid Sypontinus nuntiaret, veluti ex ejus ore depromptum, ut acciperetur, petebat. Literas Archiepiscopus sermone subsequutus est, ac primum Clementis nomine gratias Senatui egit, quod illi turbulentis, & calamitosis temporibus adfuisset, studiumque ac priscam majorum in Apostolicam Sedem observantiam illustribus argumentis testatus esset. Adjecit deinde, ut sibi Flaminiæ urbes, quæ in Reipublicæ potestate erant, restituerentur, milites, & præsidia amoverentur: tum rogare, ut lex a Senatu de sacerdotiis nominandis nuper lata, qua vehementer commotus fuerat, abrogaretur, rem gratissimam Pontifici facturum. Summi momenti res erat, & quæ dissentientibus discussa rationibus, ac sententiis hæsitabundos Patres teneret; e Republica nonnullis fore arbitrantibus, si Pontificiæ ditionis oppida, quæ semper Pontifici se reddituram professa fuerat, nulla interjecta mora, restituerentur; id veteri instituto, pietati, ac religioni con-

*Archiepiscopus Sypontinus petit abrogationem legis de Episcopis eligendis.*

consentire, justitiæque præsertim opinioni, qua magnum apud omnes gentes nomen adepta fuerat; non technis, aut dolis, sed virtute, recta imperii administratione populorum illectis animis, aut justis armis imperio comparato, temporum rationibus Senatusconsulta aptanda; nihil hac tempestate utilius, quam fœderi Pontificem adjungere. Suasor hujus sententiæ Dominicus Trivisanus, summa vir auctoritate, atque eloquentia, fuisse fertur, quem ita loquutum tradunt. 1528

*Oratio Dominici Trivisani.*

*Quicumque majorum nostrorum gesta sedulo inspexerit, nihil non ab illis justitiæ, atque æquitati nixum vel in propagando, vel in retinendo imperio ullo unquam tempore actum intelliget; bella non cupiditate, qua plerique mortales aguntur; non augendorum finium causa suscepisse, sed ut Reipublicæ incolumitatem, ac decus tuerentur, injurias ab hostibus illatas repellerent, Christiani nominis dignitatem longe, lateque diffunderent. His effectum est, ut nomen Venetum apud omnes gentes ingentem prudentiæ, ac virtutis famam nactum firmissimis radicibus coalitam gloriam protulerit; qua potissimum causa oppida, urbes, provinciæ, & gentes ultro Reipublicæ suave, atque justum imperium amplexæ sint; difficillimis, ac turbulentissimis temporibus, afflictis omnibus, & perturbatis bellorum procellis, ac fluctibus agitata Respublica nullo aut tutiori, aut validiori præsidio, quam populorum in ipsam propensa voluntate fortunæ ictus retuderit, & superaverit. Eandem mentem ab eximiis illis viris vos Patres hausisse certo scio; æquitati, atque honesto omnia semper posthabituros, neque exigua emolumenti specie de universo belli hujus exitu periclitaturos. Quis enim ignorat, cum primum militum vestrorum præsidia in illas urbes intulistis, eo tantum spectasse, ut Flaminiæ, ac Piceni provincias ab hostibus tueremini, cum Clemente in Hispanorum servitutem redacto, Pontificium fluctuaret imperium, nutarent populi, qui miserrimo eventu perculsi, ac consternati parvo momento defecissent, ni vestris subsidiis labantes animos erexissent, & confirmassent? Neque vero sponte tantum vestra, sed a Pontificis Nuntio rogati, atque impulsi fuistis: id palam testati, non ditionum vestrarum propagandi cupiditate adductos rem aggressos fuisse, paratosque esse Pontifici libertati restituto ad omnia tradenda: qua ex re sum-*

1528 *mam apud cunctos mortales laudem consequuti estis, Venetæque Reipublicæ in sanctissimam Sedem merita mirifice auxistis, nec non extulistis. Quid igitur causæ est, ut consilia immutemus, quodque semel polliciti fuimus, præstare hoc tempore nolimus? Vereor, Patres optimi, ne hujuscemodi Senatusconsulto quam semper summo studio Reipublicæ fidem, ac dignitatem servastis incolumem, eidem notam fœdissimam inuratis. Quid enim Gallos, quid Anglos, quid Italas gentes dicturas arbitramini, quæ miris antea laudibus Reipublicæ prudentiam, ac pietatem ornaverant, nisi nos, ut Flaminiæ civitatibus potiremur, præclarum hoc, & plausibile observantiæ in Apostolicam Sedem nomen obtendisse? An non idem Senatus, non iidem vos, qui opem afflictis Flaminiæ rebus tulistis? non eadem causa? Immo si recte perpendimus, præsens rerum status id maxime hortari, ac suadere videtur, ut quamprimum hanc suspicionem ex Clementis animo tollamus, quo Reipublicæ in illum egregia voluntate perspecta, recentique hoc beneficio devinctus, omni hæsitatione amota, fœdus complectatur, auctoritate, ac religionis majestate tueatur; qui si ad Carolum accesserit, haud dubium est, quin summum fœderatorum rebus detrimentum sit accessurum. Novit hoc Cæsar; ideo nullum officii genus prætermittit, quo sibi Clementis animum recenti clade exulceratum mulcere, allicere, atque sibi conciliare queat; variis hinc inde curis, ac solicitudinibus Clemens premitur; nisi oppida restituantur, minas intentat. Quid Cæsarem hanc occasionem nactum facturum putatis? nisi, vobis pernegantibus, iras accensurum, stimulos additurum, ut perturbatum, atque agitatum ingentibus pollicitis a sociis sejungat, atque ad sese rapiat? Id si acciderit, quis non videt majora parari bella; acriori incendio Italiam omnem conflagraturam; nullam concordiæ, ac pacis spem reliquam futuram? Non pertenuis lucri spe, parvaque finium adjectione ultro in tot bellorum fluctus, ac turbines Rempublicam conjecistis; non duarum urbium potiundi spe septuaginta centena aureorum millia profudistis. Majora, atque excelsiora jam tum mente providebatis, cum vobis Italiæ dignitas, ac libertas ante oculos esset; cum unam illius retinendæ, ac servandæ rationem esse inspiciebatis, si Franciscum Sfortiam avito imperio restitueretis; si Cæsaris dominandi libidini obsisteretis; si arma vestra cum Gallis jungeretis;*

*so-*

*socium Anglum haberetis; Pontificem, Florentinamque Rempublicam, ut eandem vobiscum fortunæ aleam subirent, contenderetis. Per tot annos vario eventu terra, marique pugnatum, modo aspirante, modo adversante fortuna, reluctantibus undis, robore animi, ac fortitudine amplissimum gloriæ, & libertatis æquor emensi fuimus. Lautrecbius modo cum valido exercitu a Francisco Galliarum Rege in Italiam missus, transgressus Alpes, aggredi Neapolitanum regnum decrevit; ad copias vestras terrestres, maritimam quoque classem a vobis in eam expeditionem mitti postulat. Harum rerum fama ad Cæsarem perlata, Pontificem, quem per tot menses indigna servitute pressum tenuerat, ex arce eripuit; novit sibi bellum redintegrandum fore; militum in Romana urbe animos fractos; penuria omnium rerum conflictatos; pestilentiæ lue plurimos absumptos. Id unum spectat, ut inter fœderatos dissensionum semina suboriantur, ex quibus hoc, quod veluti corpus unum vehementer obsistere potest, divellatur, in diversas discissum partes, pristino robore prorsus destituatur; tunc se omnia ex sui voluntate, atque arbitrio facturum sibi persuadet. Quo magis solicitos vos esse decet, ne materiam hanc veluti segetem illi præbeatis, qua magis ex nostris dissidiis, quam ex suis viribus rerum feliciter gerendarum opportunitatem comparet. Neque vero, ut ego existimo, vos illud movere debet, quod ajunt nonnulli, quos amplificandi imperii cura exstimulat, Reipublicæ tot sumptibus exhaustæ, tot egregie gestis de Apostolica Sede optime meritæ, hæc, atque majora deberi: vix ferendum esse Hispanis, indigne adeo Pontifice habito, urbes, atque oppida ultro concessa Reipublicæ, quæ prolapsas fere ad defectionem civitates erexisset, pecunia, milite juvisset, ac sustentasset, duas exiguas negari urbes, quæ per multa annorum curricula sub imperio Veneto fuissent; non vi, non dolis quæsitas, sed ab iis, qui illis superioribus tempestatibus potiebantur, ex testamento relictas, atque in nostrorum majorum potestatem traditas. Non eo inficias, justis titulis Flaminiæ urbes imperio Veneto accessisse; jus earum obtinendarum apud vos esse; at quis ignorat quæ superioribus annis sequuta sint? quis nescit temporum rationes immutatas, Regum, ac Principum Christianorum in Venetum nomen conspirantibus armis, cum* 1528

*ad*

1528 *ad tantam rerum molem ſuſtinendam impares eſſetis , id vos feciſſe , quod ii , qui patenti mari modo ad ſidera ſeſe extollentibus , modo ad ima , & profunda ſe demittentibus undis , efficere ſolent , ut aliqua mercium jactura periculis undique circumſeptam navim eripiant ; idem vos coacti Patres egiſtis , cum partem imperii multiplici bello detenti prudenti conſilio reliquiſtis . Verum non ejuſmodi eſt rerum conditio , ut modo invito Pontifice ea retineantur , quæ vos veſtro præſidio non ad imperium adjungere , ſed Pontifici ſervaturos polliciti , ac profeſſi eſtis : non majorum rerum eventus hoc immaturo conſilio prævertendi ſunt . Unicum vobis ſcopum præfixiſtis hujus provinciæ dignitatem , incolumitatem , libertatem ; huc tanquam ad præclaram metam cogitationes , conſilia , facta dirigenda ſunt : hac parta , quis ignorat nominis veſtri gloriam præſentes non modo , verum eos , qui futuri ſunt , mirificis uſque ad cælum laudibus elaturos ? vos ſervatores patriæ , vindices Italicæ libertatis , Pontificiæ dignitatis auctores poſteros appellaturos ? Id ſi ſecus fiat , quem exitum conſilia veſtra , aut conatus habituri ſint , haud facile divinare queo ; cuncti quid hac in re a vobis decernendum ſit , ſolerter expectant . Ne patiamini , obſecro , id homines de vobis cogitare , in conſiliis capiundis plus parvæ utilitatis ſpeciem , quam univerſæ Reipublicæ decus , ac dignitatem valuiſſe .*

Commovit vehementer Patrum animos Triviſani oratio . At contra Aloyſius Mocenicus , qui tum *Sapientis conſilii* munere fungebatur , oppoſitam Senatui ſuadens ſententiam ita loquutus dicitur .

*Oratio Aloyſii Mocenici.*

*Ea demum , ampliſſimi Senatores , vera , atque germana conſulendi ratio eſt , ſi neque ſpe evectus animus , neque timore preſſus de graviſſimis rebus conſulat : illa enim illecti tutiora , ac ſalubriora poſtponimus ; hoc dejecti excelſa omnia , ac præclara perhorreſcimus . Qui vero neque nimia ſpe inflatus , neque immodico timore perterrefactus , ſed , ratione tantum duce , ad conſilium accedit ; is raro , ni fallor , labi , errare , ac decipi ſolet ; cum omnia ex rei natura , non ex humanorum affectuum agitatione , ac perturbatione rimetur , atque expendat . Illud graviſſima hac in re vobis ſtatuendum eſſe arbitror , ne nimia Flaminiæ urbium cupiditas ab honeſto abducat , neve ti-*

*timor ad ea præcipites vos agat, e quibus revocare gradum* 1528
*minime liceat: id vobis eventurum certo conjicio, si & præsentem rerum statum inspicere, & prudentiæ vestræ acumine, tanquam ex altiori specula, qui maneant rerum exitus prospicere velitis. Flaminiæ urbes restituere semper erit integrum; illis exutos rursus recipere non erit. Utinam vero quid, iis modo redditis, futurum sit, aliqua ratione conjectura assequi possemus; non ego is sum, qui Reipublicæ incolumitatem, Italiæ dignitatem, ac libertatem non æstimem; qui nesciam tot labores a vobis susceptos, tot bella, tot pericula, in quibus per tot annos versatis, hoc unum laborum propositum præmium respexisse, ut tandem pacem cum dignitate obtineretis; neve quempiam, qui suo arbitratu ceteris principibus dominari velit, pateremini. Sed an illud, redditis Flaminiæ urbibus, consequuturi sitis, sedulo animadvertendum est: siquidem vereor, ne celeri hoc, ac præpropero Senatusconsulto & receptas urbes, quæ per tot annos in tutela imperii vestri quievere, amittatis, & in easdem, ac majores difficultates incidatis. Quem enim prædem, ac sponsorem Pontificis voluntatis habetis, cujus sæpe vel ingenii imbecillitatem, vel mentis levitatem, atque inconstantiam summo damno vestro experti estis? Jam quidquid auri, aut argenti habebat, id fere omne Hispanis profudit; urbes eorum potestati, atque arbitrio permisit; quotidie vel minis terretur, vel pollicitis delinitur; ulciscendæ civium injuriæ flagrat desiderio; restituendæ in patriam Mediceæ familiæ cupiditate incenditur; quæ, nisi Cæsari penitus adhæreat, perficere se minime posse certo scit. Faciendane vobis tam fluxo, atque instabili fundamento magnarum rerum molimina? At arbitror (quis dicet) Ravenna, ac Cervia restitutis, statim hostem se Cæsari Clementem declaraturum. Contra ego existimo, iis receptis, tanquam repagulis quibusdam solutum, quibus illius animus distinetur, & coercetur, illico pro Cæsare futurum; spe hac tantum ali, ac sustentari, ne prorsus se Caroli potestati, & voluntati permittat. At sane qui vobis reddendarum urbium auctores sunt, illud non satis perpendisse videntur, magnam semper & ad bellum agendum, & ad pacem firmandam hæc oppida opportunitatem habitura; cum per illas Flaminia, ac Picenum facile pateant;*

*ac,*

1528 *ac, si se occasio obtulerit, nullo negotio vel populorum erga nos propensione, vel minime munitis urbibus, vel copiis nostris ea insidentibus, in nostrum sinum casura sint; aut si spes aliqua pacis affulserit, æquiores, ac honestiores conditiones habituri simus. Cur igitur ultro urbes illas reddendas vobis suadent, ex quibus bello, & pace tot commoda sunt futura? Neque vero minora Pontifex consequetur, qui si probe animadvertisset, prudentiumque virorum mentem exquisivisset, non ea de causa Sypontinum Archiepiscopum Venetias misisset; neque ita vehementer a Senatu illa sibi reddi petiisset, quæ non minus Reipublicæ damni, quam sibi detrimenti essent allatura; cum milite, pecunia, atque omnibus rebus destitutus sit, quæ ad illas tuendas maxime essent necessaria, ut statim receptæ in potestatem Hispanorum concessuræ videantur. Atque iis si semel potiti fuerint, quibus viribus, ac copiis expellentur? Undique Ecclesiæ ditiones ab hostibus vexantur, crudele, atque intolerandum imperium in populos exercent, urbibus præsidia imponunt. Quid interest, his adjectis, an intra Romanæ arcis mœnia Pontificem detineant, an undique circumvallata illius ditione, Orbito includant? Hoc igitur Pontificia dignitas; hoc salus continetur? tot acta superioribus annis fuere, ut Reipublicæ impensis defensæ urbes, tutatæ provinciæ non Pontifici accedant, sed hosti cedant? Reipublicæ pietas, religio, vetera, ac recentia in Apostolicam Sedem merita, præmia Cæsareanorum sint? Quasi vero labores a vobis suscepti, copiæ terrestres, maritimæ classes ad sublevandam Pontificiam majestatem instructæ non exiguo hoc præmio dignæ sint? Non occupatæ Venetorum armis Ravenna, ac Cervia fuere, vestrum imperium per suos Oratores urbes implorarunt; populi expetiverunt; Clementis Nuntius postulavit. Quod si animos vestros cupido totius Flaminiæ potiundi occupasset, an dubium est, quin statim singulis oppidis, atque urbibus consentientibus, finibus Reipublicæ fuisset adjecta? Testes Forolivienses, qui ut in vestram clientelam reciperentur, obnixe rogarunt; testes Bretinorenses, qui aliquando vestris sub legibus floruere; testes denique Ravennates ipsi, ac Cervienses, qui Pontificiorum Præfectorum pertæsi ad vos supplices confugerunt, ut in suas urbes Veneti magistratus mitterentur, flagitarunt. Sed*

*vos*

*vos honestatem, ac justitiam commodis vestris antetulistis, & illius provinciæ ruinas vestrorum militum, & Ducum virtute, ac viribus fulsistis. Quod Flaminia, & Picenum stetere, id totum vestrum est; & nisi cœptis institerimus, si nostris præsidiis urbes nudabimus, ne omnia labantur, atque in præceps ruant, pertimescendum videtur. At quas urbes petimus, nisi illas, quæ supra centum annos, nullo reclamante, universis assentientibus Principibus, vestri juris fuere, quæ ab iis, qui tunc potiebantur; ex testamento Senatui relictæ fuere? Opizo Polentanus Ravennæ, Sigismundus Malatesta Cerviæ hæredem Rempublicam instituere; multa onera adjecere, quibus publico ære persolvendis hodie quoque obstricti estis: Ravennam antiquam, ac præclaram urbem muris, ac propugnaculis ingenti sumptu instruxistis. An hæc omnia a vobis omittenda sunt, ut populi desperatione adacti se Cæsareanis dedant; vel ab iis, qui inexplebili siti imperii augendi tenentur, miseranda servitute premantur? Qui singula hæc æqua lance æstimabunt, non dominandi libidinis, non injustitiæ arguent; sed prudentiam quamplurimarum rerum usu confirmatam laudibus prosequentur. At Galliæ, atque Angliæ Reges Senatusconsultum de non restituendis urbibus reprehendent; immo, ut ego existimo, si quibus ad id statuendum adducti estis rationibus, accurate perpendere voluerint, Reipublicæ factum probaturos non ambigo, atque aliquam rationem cum Clemente inituros, qua ea, quæ per tot annos optimo jure possedistis, retinere possitis. Sin secus fiat, accisas omnes spes video, nullum vos ex tot sumptibus, Ducibus, copiis, quas in tuenda Flaminia absumpsistis, fructum percepturos; ac dum inane, & speciosum gloriolæ nomen aucupamini, veræ, & solidæ prudentiæ virtutem omnem amissuros. In magnis rebus sæpe cunctatione opus est; multa sæpe accidere solent, quæ difficillimis in rebus agendis maximo usui fuere; eventuum humanorum haud exiguam partem fortuna possidet; id vos tot bellorum varii exitus docuere. Extremum omnium illud est, despondere animum, atque ingruentium malorum timore præsentia bona deserere.* 1528

Hunc in modum verba habuisse Mocenicum fertur, qui cum referendæ ad Senatum sententiæ jus ex magistratu haberet, ita decernendum statuebat: *Rempublicam, ut communibus*

bus

1528 *bus fœderatorum rebus consuleret, rogatam Ravennæ, ac Cerviæ urbibus præsidia imposuisse; inde non modo Flaminiam, ac Picenum, sed Bononiam quoque, atque eam, quæ trans Apenninum est, Ecclesiæ ditionem servatam esse: modo si postulatis annuat, id summo cessurum omnium detrimento; cum præcipue oppida, atque arces Apostolicæ Sedis in Cæsareanorum potestatem vel vi, vel deditione redactæ sint: quocirca de iis restituendis nihil certi Senatum statuere posse, ni melior fortuna Pontifici, ac fœderatis accedat. Quod vero ad Antistites nominandos spectat, petere Rempublicam, ne illi a Clemente ea denegentur, quæ reliquis Christianis Principibus concessa sunt, penes quos constat priscum hunc morem adhuc vigere: eo sæpius maximis incommodis, quæ ob Antistitum absentiam accidere solent, obviam itum; per multas successiones temporum apud Senatum nominandorum Antistitum jus fuisse, qui a Pontifice Maximo populorum pastores postularentur, æquitati consentaneum, neque sacris legibus adversum videri; deberi hoc Venetæ Reipublicæ, quæ imperii, ac religionis eadem fundamenta jecerit; pro illa tutanda, & servanda non thesauris, non viribus, non vitæ civium pepercerit; labanti Apostolicæ Sedi opem tulerit; pro illius dignitate, atque auctoritate acerrime certaverit; & si quando, hac potissimum tempestate non exiguis argumentis patefecerit: sperare id, quod vehementer optat, a Pontifice consequuturam.* In hanc sententiam Senatusconsultum Aloysius Mocenicus tulit. At reliquis Collegii Patribus satius visum est, si orator ad Clementem deligeretur, qui coram iis de rebus ageret: interea Pontifici de libertate, & incolumitate gratulatum; gratiæ actæ, quod amantissimis literis, Sypontinoque Archiepiscopo Venetias misso, propensam erga Rempublicam voluntatem patefecisset: eadem Senatus decreto Archiepiscopo significata, oratorque Gaspar Contarenus est declaratus.

*Senatus Decreti de oratore ad Pontificem mittendo.*

*Gaspar Contarenus ad Pontificem orator.*

Et jam belli redintegrandi acriori animorum obstinatione, ac majoribus viribus, prorsusque abjiciendæ pacis certiora signa videbantur: quamvis enim Insubrum provinciam Sfortiæ restituturum Cæsar haud inficiaretur, atque a pace cum Venetis, aliisque fœderatis minime se aversum ostenderet; attamen omnia inter illum, Galliæque regem adeo plena suspicionis

nis erant, ut neuter alteri satis fideret; abnuente rege, ex Italia exercitum se reportaturum, ni prius filios in potestatem haberet: Contra Carolus prius copias amovendas fore; deinde filios traditurum se pollicebatur: utrique ajebant, obsides apud Anglum servandæ fidei se daturos. Verum cum nulla ratio rerum constituendarum iniri posset, omni spe pacis accisa, cuncti fœderatorum oratores, Galli nempe, Angli, Veneti, Florentini, ac Mediolanenses Cæsarem, qui tunc in Burgensi civitate erat, adeunt; abeundi licentiam petunt, bellumque fœderatorum nomine Cæsari indicunt; quod cum hilari fronte excepisset, statim Gallos, Venetos, ac Florentinos oratores ad oppidum, quod triginta passuum millia ab ea urbe distat, duci jubet, armatorum militum, & sagittariorum custodia adhibita, omnique vel pertractandorum negotiorum, vel epistolarum conscribendarum facultate adempta: Mediolanensi, utpote qui illi subditus esset, ne suo injussu discederet, injunctum est: adversus Anglum nil actum. Istius facti nuntio vulgato, mirifice omnium fœderatorum animi commoti sunt, Senatusque statim Franciscum Regem per oratorem hortatus est, ut jam nudatis, ac patefactis Cæsaris conatibus obsisteret, Angloque, ut in id ipsum contenderet, suadere niteretur: cum interea Lautrechius Bononia discedens, per Flaminiam, & Picenum iter in Neapolitanum regnum arripuisset, & iiij. idus februarii ad Truentum amnem, qui Ecclesiæ ditiones a Neapolitano regno disterminat, pervenisset, præmissis Venetorum copiis, quarum pars altera Pisano legato, ac Valerio Ursino, altera Petro Pesareo oratori, & Camillo Ursino parebant: hæ ulterius progressæ Civitatulam occuparunt, mox Sulmonem, atque alia in finibus Pelignorum oppida, quæ sponte deditione facta, nostris sese adjungebant, inter quos summam virtutis, ac fortitudinis laudem Andreas Civranus patritio genere ortus tulit. Is quingentorum Epirotarum equitibus Præfectus impigre omnia munera militaria obeundo hostibus summum terrorem incusserat, quocumque se verteret, celeritate, ac robore belli fulmen videbatur; excursionibus adjacentium provinciarum populos adeo terruerat, ut nihil adversus nostros moliri auderent. Totius exercitus copiæ ad Divi Firmi oppidum lustratæ sunt: in eo triginta pe-
ditum

1528

*Oratores fœderatorũ abeundi veniam a Cæsare petunt, bellumque ei indicunt.*

*Oratores Galli, Veneti & Florẽtini in custodiam traditi.*

*Lautrechius ad amnem Truentum.*

*Veneti Civitatulam, & Sulmonẽ occupant.*

*Andreæ Civrani Epirotarum equitũ præfecti virtus.*

1528 ditum millia recensita, præter cataphractos, ac leviores equites, & fere omnium rerum, quæ ad bellum gerendum necessaria forent, immensos apparatus. Quarum rerum fama Arausionensis Princeps, ac Vastius Marchio permoti Roma exercitum eduxere, viginti aureorum millibus nuper a Clemente persolutis, quibus reluctantium militum animos, neque facile se avelli patientes, lenivere: quatuordecim millium numerum fere æquabat; cum, ut dictum est, plurimos pestilentiæ lues absumpsisset; multi præda, ac direptionibus ditati exercitum reliquissent.

*Arausionensis, & Vastius exercitum Roma educunt.*

Dum hæc a Lautrechio agerentur, Clemens, Senatus Veneti de Flaminiæ urbibus decreto audito, vehementer exarsit; ni prius Ravenna, ac Cervia a Venetis restituerentur, fœderi nunquam adhæsurum professus; idque in causa fuit, ut Vademontio, & Longhavallio, qui statim atque Orbitum pervenisset, a Lautrechio ad illum missi fuerant, ut omni ope in communem societatem asciscere niterentur, moras nectendo cum nihil certi respondisset, tandem occasione arrepta Pistoriensem Episcopum ad Gallorum Regem oratorem mitteret, ut consiliorum suorum rationes aperiret: non se alieno a fœderatis animo esse; verum milite, pecunia, viribus destitutum, nullo se adjumento amicis futurum; cum præcipue Ravennæ, ac Cerviæ urbes a Veneto Senatu retinerentur, quæ nisi in suam potestatem concessissent, nunquam consilia immutaturum: eo tantum se communibus rebus opitulari posse, si auctorem se pacis præberet: quapropter Regi se in mandatis habere, diceret, ut quamprimum in Hispaniam profectus Cæsarem gravissimis verbis ad pacem amplectendam hortaretur. Rex veritus, ne diversa cum Cæsare consilia haberet, transitu in Hispaniam prohibuit; Reges, ut Pontificis gratiam aucuparentur, per literas, atque oratores cum Senatu agebant, ut Flaminiæ urbes illi traderet. Gregorius Casalius Henrici nomine cum illius, atque Cardinalis Eboracensis literis ad Patrum Collegium accessit, quibus ad dedendas urbes Senatum hortabatur. Ea res non parum Patribus molesta fuit, oratorique Reipublicæ nomine in Anglia moranti mandatum est, ut summam, quam ea ex re molestiam acceperat, Regi exponeret; malevolorum hominum ne sermonibus aures præberet,

*Vademontius & Longhavallius a Lautrechio ad Pontificem missi.*

*Episcopus Pistoriensis Pontificis Legatus ad Gallum.*

*Angliæ Regis, & Eboracensis litera a Casalio ad Senatum allata.*

qui

qui dissidia serere, principumque animos disjungere nituntur, 1528
ut hac præsertim tempestate dissociatas fœderatorum mentes in communem perniciem accendant. Ad hæc rationes, quæ ad id Senatusconsultum coegerant, explicet; nihilque ob eam rem de summa in sanctissimam Sedem reverentia, atque observantia imminutum testetur. Cum Turonensi Comite, quem nuper oratorem ad Clementem Gallus miserat, ut ad fœdus instaurandum suaderet, Pontifex idem conquestus est, se invito Ecclesiæ oppida Senatum retinere velle: adjecit statim, Ravenna, atque Cervia a Republica receptis; Mutina, ac Regio a Ferrariensi Duce sibi traditis, nulla mora interjecta, fœdus amplexurum. Id Turonensis Gallo, atque Anglo oratoribus significaverat, per eos hortatus, ut quæcumque in gravissima re Pontificem remorari possent, statim a Republica præciderentur. Senatus decreto responsum est; mirari tam perturbato rerum statu Pontificem, qui in unicam Italiæ libertatem, & dignitatem incumbere, atque, ut illam a Cæsareanorum insolenti dominandi libidine eriperet, enixe contendere deberet, modo totum in re, quæ nullum ad eventuum summam momentum haberet, defixum esse; cum præsertim ad illum orator designatus fuisset, qui propediem de Reipublicæ negotiis cum illo esset acturus.

*Clemens cũ Turonensi Galliæ oratore de Venetis conqueritur.*

Inter hæc agenda, Cæsareanorum copiis in Neapolitanum regnum ingressis, de bello administrando diversis inter primores sententiis certabatur. Vastius recta adversus fœderatos proficisci, extremamque fortunæ aleam experiri suadebat; id vel majore militum numero, vel nondum omnibus nostrorum collectis copiis, haud difficile fore; cunctatione Cæsaris vires imminui, cum quotidie, ut varia, ac levia ingenia gentis sunt, quamplurimi ad Gallos deficerent; neque pecuniæ satis ad continendos sub signis milites suppeditaretur; prospere confecto prælio, omnia in suam potestatem oppida, quæ fœderatis accesserant, concessura: depulso a Neapolitanorum cervicibus bello, reliquias in Insubribus confectum iri. Nonnulli contra tutius arbitrabantur, si loco & situs natura munito, & commeatibus importandis idoneo, castra locarentur, atque observato quid hostes agerent, inde consilia caperentur; potiusque intra Neapolitanæ urbis mœnia se reciperent, quam momento de amplissimi

*Cæsareanorum Ducum de bello administrando diversæ sententiæ.*

1528 regni possessione decernerent : nam Neapoli, quod caput est, conservata, nihil reliquis pertimescendum esse; cum præsertim Amalphitanum principem, ac Fabricium Maramaldum magna militum, & indigenarum copia, obviam, ut illos exciperet, profectum fuisse nunciaretur : bellorum eventus non a fortuna, ac temeritate, sed a prudentia, & consilio pendere; summos imperatores quamminimum se incertis rerum successibus credidisse, eam demum ingentem victoriam ratos, qua, nullo militum, civiumque effuso sanguine, citra ullam jacturam hostes superarent: fœderatorum copias licet magna hominum opinione oppugnare Neapolitanum regnum adortas, non minoribus incommodis premi; Gallorum impetus mora, ac tarditate restingui; tot gentibus conflatum exercitum, tot Principum stipendia merentem, qui non eodem animo bellum amplexi, non eodem spectant, difficillime in officio contineri : his itaque fieri posse, ut non multorum dierum intervallo moles hæc, quæ nunc perniciem istius regni minari, ac portendere videtur, in se ipsam tandem collapsura sit. Hujus sententiæ suasor Alarco erat, cujus auctoritatem reliquis sequutis, per Capuanos fines Neapolim contendere decretum est, cum ad Trojam castrametati fuissent, opportuno ad commeatus loco.

*Cæsareani se recipere Neapolim statuunt.*

*Lautrechii de prælio committēdo sententia.*

Lautrechius re audita, minime omittendam prælii conficiendi occasionem censuit, magna spe rerum præclare gerendarum permotus, cum jam Salassianæ copiæ accessissent, ac propediem Venetorum, & Florentinorum adfuturæ essent; equitatu hoste, ac bellicorum apparatuum copia superior foret; atque adeo Cæsareanorum militari licentia, pestiferæ luis contagione fractas corporum vires, imminutos animos ita cerneret, ut prope robur, ac disciplinam militarem amisisse viderentur. Hostes de Lautrechii adventu certiores facti, Troja egressi, in editiori colle, qui planitiei imminet, castra locavere : instare Lautrechius, atque adversus hostes progredi, licet nondum Venetæ, ac Florentinæ copiæ advenissent; instruere exercitum; provocare hostes; multis tormentis explosis perterrefacere : illi intra vallum coacti, prælio abstinendum rati, atque loci eminentia tuti, equites nonnullos tantummodo, ac sclopetarios, ut levioribus certaminibus cum hoste confligerent, emisere. Galli propius ad castra hostium

ac-

accedebant, ut tandem ex æquo adversus illos tormenta jacere intra vallum possent: & quamvis major militum copia e castris emissa fuisset, prohibere Lautrechium, quin collem occuparet, minime potuere. Itaque recepere se hostes, atque alio loco ex adversa parte Luceriam versus castra circumduxere. Verum cum Horatius Baleonius cum selectis Florentinorum militibus supervenisset, statimque Pisanum legatum, & Camillum Ursinum cum Venetis adfuturos ferretur, Cæsareani recta Neapolim contendere, atque in mœnibus amplissimæ urbis omnem spem belli reponere statuere. Germanorumque ac militum præsidio ad decem millium numerum urbem firmarunt; summa diligentia, ac celeritate undique convehi frumenta, & ceterarum rerum, quæ ad victum opportunæ, ac necessariæ forent, copiam edixere. Cum Lautrechius justo prælio cum hoste certare, ut maxime concupiverat, minime potuisset, undequaque adjacentia oppida, atque urbes in suam potestatem, vel vi, vel deditione redigere, antequam Neapolim oppugnandam aggrederetur, decrevit. Petrum Navarrum cum Vasconibus, & Horatium Baleonium cum Florentinorum copiis, quas cohortes nigras vocant, ad Amalphim invadendam, quo Princeps valido militum præsidio se receperat, misit; qui, acri prælio oppugnata urbe, per vim potiti, direptione, & ruina fœdavere. Pisanus legatus cum Camillo Ursino, duobus peditum millibus, Asculana urbe occupata, Tranium, Molam, Pulinianum, Monopolim populorum deditione recepere; cum in eorum animis Veneti nominis memoria adhuc infixa esset. Eadem fortuna Barulo, atque aliis Apuliæ urbibus Lautrechius est potitus, ut nihil Cæsareanis in Apulia præter Manfredoniam superesset, cunctique illius provinciæ proventus in Lautrechii potestatem concesserint: Venetorumque copiis ad eam oppugnandam relictis, adjectisque duobus peditum millibus, centum cataphractis, ducentis levioribus equitibus, quibus ea regio tueri posset, ipse cum reliquo exercitu Neapolim contendit; quacumque progrederetur, oppidorum, atque urbium civibus erga Gallorum gentem propensis, sponte illius imperium amplectentibus. Cumque jam obsidione premere, atque oppugnare urbem decrevisset, mille ab ea passus castra locavit, tentorio suo majori militum robore, lo-

1528

*Cæsareani Neapolim ingredi statuunt.*

*Fœderatorū progressus.*

*Amalphis a Navarro & Baleonio capta & direpta.*

*Apuliæ Urbes a Venetis Ducibus occupatæ.*

*Lautrechii progressus.*

*Lautrechius Neapolim cum exercitu proficiscitur.*

1528 co natura munito, atque ad obſeſſos quamplurimis incommodis afficiendos opportuno (*Collem regalem* vocant) poſito.

*Veneta triremes ad Apuliæ oras. Petrus Lãdus in Cretam contendit ad agreſtiũ tumultus compeſcendos. Hermolaus Maurocenus, & Camillus Urſinus Mãfredoniam obſident.*

Interea cum claſſe Veneta Corcyræ reparata, quæ ſexdecim triremibus conſtabat, legatus in Apuliam pervenerat: nam Petrus Lando imperator, ut agreſtium nonnullorum tumultus, qui Cydone in Creta inſula excitati fuerant, compeſceret, eo navigare coactus fuerat. Legatus totam Apuliæ oram legere; confirmare populos; ſpe mitioris Reipublicæ imperii allicere; ad deditionem ſolicitare: cum adhuc Hydruntum, ac Brunduſium, quæ Venetis paruerant, minime ad noſtros acceſſiſſent. Manfredoniam urbem Hermolaus Maurocenus ſinus Adriatici Præfectus cum nonnullis triremibus mari, Camillus Urſinus terra oppugnare ingenti conatu adoriuntur; obſidione cingunt; Ranutio Farneſio cum ducentis equitibus, Hieronymo Cremona cum totidem peditibus mœnibus egreſſis, ut noſtros inopinatos offenderent, Andreas Civranus Epirotarum equitum Præfectus, pugnæ impetu excepto, egregie cum hoſte congreſſus tandem fudit, atque intra mœnia non ſine multorum cæde, & captivitate compulit: quod ſupremum illius facinus fuit; nam poſtea morbo correptus ſummo omnium dolore ob militarem ſcientiam, ac fortitudinem, quam liberalitas, & magnanimitas comitabantur, exceſſit. Brunduſium nuper in noſtrorum poteſtatem venerat; arcem Cæſareani valido militum præſidio tuebantur, quam legatus quatere tormentis inſtituerat, illiuſque rei curam omnem Bernardo Sagredo trierarcho, juveni impigro, ac ſolerti mandaverat; qui cum, exſcenſione maritimarum copiarum facta, aditum in eam non ſine magna illius potiundi ſpe moliretur; Lautrechii juſſu cunctis triremibus Neapolim verſus revocatis, victoria, quam jam præ manibus habebat, repente intercepta eſt. Cæſareani cum celerrimo victoriæ curſu tot oppida vel vi, vel deditione capta in hoſtium poteſtate eſſe cernerent, id unum ſibi ſupereſſe animadvertebant, ſi totius regni caput ſervaretur. Omni itaque conatu præſidiis militum Neapolim firmare; frumentum, ac victui neceſſaria convehere; quæque ad ampliſſimam urbem incolarum ingenti numero refertam tuendam ſufficerent, comparare; ad vigintiquinque millia frumenti ſextarium e Sicilia Hi-

*Andreæ Civrani obitus. Brunduſiũ a fœderatis occupatum.*

*Bernardo Sagredo Brunduſii arcis oppugnatio committitur. Triremes a Lautrechio Neapolim evocatæ.*

ſpanis

ſpanis navibus advecta fuerant; præterea mille pedites advenerant. Lautrechius cum terra undique urbem circumſediſſet, ut mari intercluderetur, obnixe nitebatur, Philippinoque Auriæ mandaverat, ut octo, quæ illi parebant, triremibus, ne qua in civitatem annona importaretur, ſæpius excurrendo, maria infeſta redderet. Verum non is erat numerus, qui ad rem perficiendam, vel ad impetum hoſtium ſuſtinendum, ſi inſtructis navigiis portu exirent, par eſſet; continuo Venetos Duces urgebat, ut quamprimum Neapolim ſe conferrent, ut junctis viribus, hoſtes ad omnium penuriam redigerent. 1528

Is erat rerum Italicarum ſtatus, cum in Gallia, Anglia, atque Hiſpania undique belli claſſicum perſonaret; in primis id ſummopere optante Franciſco Gallorum Rege, ut communibus cum Anglo viribus, quemadmodum fœdere cautum erat, in Belgium impetus fieret; cujus potiundæ provinciæ cupido mirum in modum animum inceſſerat. Itaque prædas agere, excurrere in Belgii fines ſuos juſſerat, id initium belli fore ratus. Belgæ ſua tantummodo tutari, avertere hoſtium impetum juſſi, intra ſuos ſe fines continebant; cum Cæſaris ſoror Margareta, quæ iis ditionibus præerat, bellum cum Gallo perhorreſceret. Henricus quoque ſe eo implicari bello moleſte ferebat, quod negotia, quæ inter Anglos, ac Belgas, qui utrinque ſæpe commeant, & exerceri ſolent, non exiguo ſui regni detrimento abrumpi cerneret; licet illi oppida quædam ex fœdere cum Gallo contingerent: quocirca varias morarum cauſas nectendo tempus differre; nil hoſtile moliri; ita ut Gallus, illius voluntate perſpecta, conſilium de invadendo Belgio immutaret, maritimiſque amborum claſſibus Hiſpanias aggrediendi conſilium aperiret. Quapropter cum Henricus Batovienſem Epiſcopum in Galliam miſiſſet, qui Regi ſuaderet, ut auctis viribus, ac copiis, cuncti conatus in Italicam expeditionem, reliquis prætermiſſis, intenderentur, nil de pace inter Belgas, Gallos, atque Anglos immutatum eſt; cum præſertim illud conſilium, Lautrechio Neapolim oppugnante, placeret; neque a Veneto Senatu improbaretur, qui confici bellum Italicum ſummopere cupiebat; ac ne Reges alio intenti ſtudium quo in illud incubuerant, aliqua ex parte remitterent, pertimeſcebat. Nam Cæſar, ut rebus ſuis in Italia laben-

*Franciſcus Galliæ Rex Anglos contra Belgas incendit.*

*Gallorum incurſiones in Belgas.*

*Margareta Cæſaris ſoror Belgii Præſes.*

*Batovienſis Epiſcopus ab Anglia rege in Galliam miſſus.*

1528 tibus opem ferret, ac fœderatorum vires a Neapolitana expeditione averteret, mittere in Italiam Henricum Ducem Brunsuicensem decreverat, ut, cum Antonio Leva conjunctis copiis, distineret hostes, atque in Gallia Cisalpina impetum faceret.

*Rumor de Germanicis apparatibus.*

Ea re summopere Senatus Venetus commovebatur, quod omni conatu suos fines Cæsareanos aggressuros cerneret, quotidieque perferretur, Oeniponte decem millium militum delectum haberi; Tridenti frumenta comparari; bellica tormenta, atque omnia, quæ ad oppugnandas urbes spectant, cogi; Fiessæ, quæ trium dierum spatio ab Oeniponte distat, decem Suevorum millia expectari; ad hæc mille ac quingentos equites: quocirca nihil prætermittendum Patres ducebant, ut hostium impetum sustinere, urbes, atque agros ab illorum injuriis tueri possent. Primum duodecim millium peditum delectum haberi jussere; & quoniam assiduos bellorum motus, quibus Italia agitabatur, rerum omnium, & præcipue annonæ caritas subsequuta erat; neque milites stipendio, quod quibusque triginta sex diebus persolvebatur, quæ illis necessaria forent, comparare poterant, Senatus decreto ad tres nummos aureos publica pecunia aucta, singulis centenis militibus honoraria quindecim adjecta stipendiorum summæ, quæ fortioribus, atque præstantioribus militibus impertirentur. Plurimi præterea delecti a Senatu ductores, ac militum Præfecti, quibus, ut celerrime milites deligerent, injunctum; in his Antonius Ripa, cui, ut quadringentos pedites Transpadanos cogeret, mandatum est: Hector Manfredus Faventinus, ut totidem ex Lamonii valle colligeret: Bellus Bellus Foroliviensis trecentos; Hieronymus Patavinus centum conflaret, atque cum iis ad lacum Benacum custodiendum proficisceretur: Comes Hieronymus Giacius ducentos seligeret; Sicardo Rhætorum Præfecto, ut trecentos illius gentis pedites per tres menses ære publico pugnaturos, in Cisalpinam Galliam duceret; quatuor præterea Helvetiorum millia, missa in eas regiones pecunia, evocandos censuit; Oratorique apud Gallorum Regem jussum est, ut statim illum adiret, ac de hostium apparatu certiorem faceret, atque obnixe hortaretur, ut tria Germanorum peditum millia transgredi Alpes juberet, totidemque Reipublicæ sumptibus adjicerentur, atque

*Venetorum militum delectus.*

*Veneti stipendia militibus augent.*

*Præfecti militum a Senatu delecti.*

*Veneti pecuniam in Helvetios mittunt ad milites conscribendos.*

acrius

1528

acrius rebus urgentibus, cum summam auctoritatem apud Helvetiam gentem habeat, ut tria millia, si opus fuerit, Venetorum ære militaturos, ab ea Republica mittantur, agat: in Græciam præterea, & Dalmatiam missi, qui leviorum equitum magnum numerum in Italiam adveherent. E Piceno Urbinas Venetarum copiarum Imperator in Galliam Cisalpinam venire jussus, ut statim arces, atque urbes inviseret; præsidiis firmaret; & quæcumque ad Venetam ditionem servandam necessaria forent, sedulo perficeret. Patriciæ quoque gentis a Senatu, ut præcipuarum urbium custodiæ præessent, designati sunt; octo Veronam missi, Zacharias Aurius, Philippus Cornelius, Alexander Donatus, Ambrosius Contarenus, Hermolaus Barbarus, Augustinus Canalius, Laurentius Sanutus, Joseph Baduarius; singulis vigintiquinque milites attributi, quibus, & portas, & plateam, atque alia loca tuerentur. Petrus Sagredus, ac Hieronymus Diedus, ambo a prima juventa terrestri militiæ assueti, qui magna apud cives virtutis opinione florebant, alter Patavium cum centum & quinquaginta peditibus; Tarvisium alter cum totidem destinati sunt. Missus præterea in Galliam Andreas Rubeus, ut Regem de præsenti rerum statu moneret, atque ad Italicam expeditionem accenderet; ut Germani quamcellerrime progrederentur, Helvetiorum militum delectus haberetur, pecunia a Rege submitteretur, omni studio laboraret. A Florentinis quoque, ut Galliæ Cisalpinæ, quibuscumque rebus possent, suppetias ferrent, petitum; in qua si hostibus obsisteretur, Neapolitanum bellum prospere confectum iri, eorumque Rempublicam nullis hostium incursibus objiciendam fore.

*Græcorum & Dalmatarum equitii delectus a Senatu habiti.*

*Urbinas in Cisalpinam Galliam vocatur.*

*Patricii Veneti ad custodiam urbium missi.*

*Andreas Rubeus in Galliam proficiscitur.*

*Veneti a Florentinis subsidia postulant.*

Nunciis de Cisalpinæ Galliæ discrimine ad Regem perlatis, cum magnum Reipublicæ, haud exiguum cunctis fœderatis certamen imminere existimaret, paulo attentius, qua ratione propelli hostes possent, disquiri cœptum; cum vereretur, ne Lautrechio Neapolim obsidenti, conjunctis copiis, victoriam e manibus eriperent; aut, nisi validioribus præsidiis Gallia Cisalpina firmaretur, a Neapolitana expeditione nostri averterentur. Itaque statim decem Germanorum peditum millia, quo numero continebantur illi quos pridem Respublica petierat; duo præterea Gallorum millia, quingentos cataphractos hastatos equites

S 4 in

1528 in Italiam mittere decrevit. Franciscum Sancti Pauli Comitem; Borbonia gente clarum, ac propriis virtutibus magnum apud omnes nomen adeptum, exercitus imperatorem declaravit. Verum Brunsuicensis Tridento movens per Agriensem vallem usque ad Veronensium fines pervenerat, statimque ad Inclusæ locum nuncium cum literis miserat, qui exercitui copiam transeundi postulavit, & a nostris Veronam, deinde Venetias est missus: is cum bellum Ducis nomine Reipublicæ denunciasset, statim absque responso est dimissus. Hostes Inclusam, atque Crociaram transgressi, ad Athesim fluvium pervenere, agrumque Veronensem ingressi direptionibus, incendiis vastavere; Pischeriam, Rivoltam, & alia nonnulla Benaci lacus oppida deditione accepere: hisque prosperis rerum eventibus elati castra se ad aliquam ex Reipublicæ urbibus oppugnandam admoturos præseferebant. Constabat Brunsuicensis exercitus duodecim circiter Germanorum millibus, annona, tormentis, ceterisque militaribus rebus instructus, ut diu sub signis tuto contineri posse videretur. Verum Galli fama magis, quam re ipsa præsentibus rebus opem ferebant; cum hostis jam in Reipublicæ finibus adesset, ac brevi sua consilia, & conatus explicaturus esset. In Urbinate omnis rerum summa sita erat: is cum aliquantisper Veronæ, hostium itinera accurate observando, moratus esset; mox Brixiam profectus, validiorique præsidio urbe firmata, inde Bergomum, cujus oppugnandi consilia agitare hostes certum erat, se contulit; ac præter milites magnam agrestium copiam, qui in vicinis convallibus degunt, fidelissimique semper Veneto nomini fuere, in civitatem induxit; illam aggere, ac vallo cinxit, brevique ad hostium impetus excipiendos instruxit: atque ut eos distineret, itineraque moraretur ab oppidanis aut de facienda deditione, aut de pecuniæ mulctis persolvendis agi jubebat, ut interim præcipuas Venetorum urbes muniret, ac firmaret; cum interea leviores equites, qui in præsidiis illarum erant, improviso exeuntes assiduis incursionibus Germanos solicitarent, neque parvis molestiis, commeatuum aversione, atque aliis incommodis afficerent. Eluxit inter hos Hieronymi Canalis virtus, ac fortitudo, qui cum quingentis Epirotarum equitibus, quos nuper e Dalmatia deduxerat, multa, eaque egregia facinora edidit.

*Franciscus Gallorum Rex Franciscum Borbonium in Italiã mittere decernit.*

*Brunsuicēsis Dux ad Inclusam, Bellum in Venetos denunciat.*

*Brunsuicēsis Pischeriam, & Rivoltam occupat.*

*Hieronymi Canalis virtus.*

Ve-

Verum Brunſuicenſi votis minime ſucceſſus pares fuere; nam vel commeatuum inopia, qui a noſtris intercipiebantur, vel haud juſto copiarum numero, qui ad oppugnandas urbes mœnium circuitu, militum cuſtodia ad quoſcumque hoſtium impetus excipiendos ſatis validas, neceſſarius fuiſſet, ſpe dejectus alio conſilia vertere coactus fuit, nullaque in re, niſi vaſtationibus, incendiis ſuſceptam expeditionem poſterorum memoriæ commendavit. Nam Mintio trajecto, per Brixianum, ac Bergomatem agrum, ponte ad Trevium ab Antonio Leva ſtrato, trans Abduam amnem exercitum duxit, ubi ab illo exceptus ſimul ad Laudem obſidendam copias admovere: cum prius Inſubrum Dux de hoſtium adventu a Gabriele Venerio certior factus, Brixiam profectus eſſet. Veneti milites, qui Laude erant, ac Joanni Paulo Sfortiæ notho fratri Ducis parebant, fortiter urbem tutati, cum irruentes hoſtes ſæpius non ſine ingenti cæde repuliſſent, tandem per vim illius potiundæ ſpem deſerere coegere, ita ut obſidione preſſam, fame domitum iri arbitrarentur; nondum enim collectis frugibus, ingens annonæ caritas civitatem oppreſſerat. Verum cum peſtifera lues inter Germanos graſſari, cunctarumque rerum inopia laborare exercitus cœpiſſet, quamplures per Helvetios, ac Rhætos in patriam ſe ſubducebant; denuoque urbem aggredi Ducibus ſtatuentibus, tumultu oborto, mille Comum verſus iter arripuere; reliqui tormenta a Laude amovere, duobuſque tantum Germanorum millibus exceptis, ceteri Como in Germaniam profecti ſunt. Dux Brunſuicenſis cum nihil momenti in Gallia Ciſalpina geſſiſſet; neque alicui adjumento Cæſareanis, qui in Neapolitano regno erant, fuiſſet; palantes milites, pecuniam abſumptam, ſpes omnes acciſas cerneret, per lacum Comenſem, trajectis Alpibus, unde exierat, in Germaniam ſe contulit. Illum in itinere Calatiæ Comes, ac Mercurius Bua Bergomo exeuntes inſequuti, extremam agminis partem aggreſſi, haud exiguum detrimentum intulere; cum interea quam plures Germani, qui caſtra deſeruerant, ab incolis exuti, & contrucidati fuiſſent.

1528

*Brūſuicenſis ab Antonio Leva exceptus ad Laudis obſidionē proficiſcitur.*

*Franciſcus Sfortia Brixiam ſe confert.*

*Joannes Paulus Sfortia Laudem tuetur.*

*Brunſuicenſis in Germaniam regreditur.*

Germanorum expeditionis hic finis fuit, quo plurimum eorum, qui pro tuendo Neapolitano regno laborabant, atque illorum in primis, qui Neapoli obſidione premebantur, ani-

mis

1528 mis terroris injectum est; cum nullum terra aliunde sibi subsidium parari optime nossent; Puteolisque, atque aliis circumadjacentibus oppidis in Lautrechii potestatem redactis, nil prorsus annonæ in urbem importaretur; Philippinusque Auria cum octo Genuensium triremibus infesta maria redderet, ac sæpius commeatus, qui navigiis invehebantur, interciperet, brevique Veneta classis adfutura esset; inde circumseptos undequaque mari, terraque fame ad deditionem compulsum iri. Imminentium itaque periculorum molem animo versantes, antevertere hostem, atque ante adventum Venetæ classis confligere cum Auria decreverunt. Quamobrem Ugo Moncata, Prorex Neapolitanus, præter sex triremes, biremes quatuor, duas celoces ad prælium instrui jussit, hisque aggredi Aurianas triremes parat, vel militum virtute, ac robore, vel navigiorum numero, quo superior erat, victoriam se adepturum ratus; qua spe multi ex proceribus inflati, veluti certam manu victoriam tenentes, triremes conscendere: in primis Moncata, deinde Vastius Marchio, Princeps Salernitanus, Ascanius Columna, Joannes Gevara, atque alii, quos prælii spectandi haud incuriosa voluptas ceperat. Universæ classi præerat Sanctacrucius cum nongentis tormentariis militibus. Portu itaque provecti, prandio primum ad Capreas, insulam, hilariter sumpto, instructa acie ad hostem invadendum profecti sunt, qui cum suis triremibus in Amalphi litore prope promontorium, quod Ursum vocant, detinebatur. Auria neque inopinato hostium adventu motus, quippe qui jam ab exploratoribus omnia noverat, neque impetu perterritus, maritimarum rerum experientia, atque usu excellens, prælium minime detrectare, sed strenue hostes excipere statuit. Ipse cum quinque triremibus ultro adversus hostes progressus Lomellinum admonuit, ut, tribus aliis triremibus longe in altum specie fugæ deductis, dum cum hoste confligeret, inardescente pugna, a latere, ac tergo omni conatu invaderet. Consilio vel virtus, vel fortuna favit; nam Philippinus obviam hostibus factus, ingentique tormento, quod *Basiliscum* vocant, e sua triremi disploso, Moncatæ triremis perculsa est, ac momento quadraginta milites, in quibus triremis Præfectus, absumpti sunt: reliquis deinde minoribus tormentis excussis, ingentem stra-

*Sanctacrucius Hispanica classis imperator Philippinum Auriam aggreditur.*

ſtragem edidit. Contra vero ab hoſtium tormentis Præfectus Auriæ interfectus, navarchus vulneratus; cumque propius acceſſiſſent, ſclopettis, atque aliis armis res agebatur, Genuenſibus hoſtium ictus celeritate, ac dexteritate eludentibus. Dum acerrime utrinque pugnatur, tres, quæ cum Lomellino erant, triremes ſupervenere, impreſſioneque facta, victoria Auriæ aſpirare cœpit: nam Moncata vulneribus confoſſus, lapidibus, atque ignibus, qui e malis triremium jaciebantur, obrutus, dimicans occubuit. Quatuor triremes hoſtium demerſæ, biremes captæ, duæ tantum, victoriam penes hoſtem eſſe, cum animadverterent, vix fuga ſaluti conſuluere. Vaſtius Marchio, atque Aſcanius Columna, Princeps Salernitanus, Sanctacrucius, Camillus Columna, atque alii nobilitate, & virtute clari in poteſtatem Auriæ venere: occiſorum numerus ſupra mille fuit, quamvis non ſine Gallorum clade. 1528

*Fœderatorũ contra Hiſpanos victoria. Ugonis Mõcatæ obitus.*

*Cæſareani Duces a fœderatis capti.*

Devictis maritimo prælio hoſtibus, Lautrechius ſpe Neapoli potiundi erectus, certum victoriæ appropinquantis fructum prope tenere videbatur, atque eo magis, quod Petrus Landus Venetæ claſſis imperator cum viginti triremium numero ſupervenerat; qui prius in Apuliam profectus, cum in Maſſenſem ſinum ſe recepiſſet, omnia oppida, quæ ex fœdere Venetis contigerant, adeptus fuerat, nempe Tranium, Molam, Polinianum, Monopolim, Iapigium, atque Brunduſium, cujus urbis tantum arces a Cæſareanis tenebantur; Auguſtinoque Amulio Legato totius oræ, atque urbium cuſtodiam mandaverat. Ipſe Neapolitana litora legens, ſex triremibus Cajetæ, totidem Cumis ad propugnandam oram poſitis, cum reliquis maria urbi proxima præterlabens, adeo clauſerat, ut nil commeatuum ad hoſtes importari poſſet; atque iis, qui ad animalia abigenda nonnunquam exire conſueverant, itinera adeo intercluſerat, ut ceteris aditibus vel ablatis, vel aquarum illuvie præpeditis, cum aliquantiſper excurrere loca mari proxima coacti eſſent, tormentorum, quæ ex triremibus Venetis diſplodebantur, metu intra mœnia ſe continerent. Molas quoque nonnullas frumentarias occupavere, quibus ad molenda frumenta Cæſareani utebantur, ut iis ademptis, cum facultas ex tritico farinas conficiendi non adeſſet, coquere illa, atque militibus diſtribuere cogerentur. Laboranti vero multarum rerum

*Petri Landi ad Neapolim adventus.*

*Hiſpanorũ inopia.*

1528 rum inopia Lautrechii exercitui subveniebatur, omnia ea, quæ ad victum necessaria essent, Venetorum classe suppeditante. Cum vero Barbesium cum pecunia in stipendia militum eroganda e Gallia missum fuisse hostibus allatum esset, Ferdinandus Gonzaga cum turma equitum, & sclopettariorum manu urbe egressus est, si quamcelerrime illos invaderet, antequam subsidia a Lautrechio mitti possent, ratus pecuniam se erepturum. Venetus Imperator, militibus e triremibus in terram expositis, Gallisque sociatis, strenue hostium impetum sustinuit, donec Valerio Ursino, Ugoneque Pepulo supervenientibus, quorum alter Venetos, alter Florentinos ductabat, hostes repulsi sunt; licet Ugo nimium fugientes insequutus captus a Cæsareanis fuerit. His fiebat, ut fœderatorum confirmatis animis, hostibus maximis rerum angustiis oppressis, spes tandem feliciorum eventuum objiceretur; ac nil magis victoriæ cursum remorari, quam illorum in omnem eventum durata constantia videretur. Commeatuum invehendorum ingens inopia, ac difficultas; pestifera lues in vulgus, & milites grassabatur; Germanorum nutans disciplina, quorum sæpe nonnulli ad Gallos transibant: neque alia re magis quam Principis Arausionensis, qui, Ugone Moncata defuncto, Proregis munus susceperat, auctoritate, & gratia continebantur.

*Cæsareanorum constãtia in Neapoli tuenda.*

Verum quod ingenti sumptu, summo labore, ac studio copiarum maritimarum, & terrestrium ad Neapolim expugnandam comparatum fuerat, nullis hostium vel fractum, vel debilitatum viribus, sensim sua sponte consenescere, ac labare, & veluti quodam fato concidere, ac ruere cœpit: gravissimis, & lethalibus morbis exercitum invadentibus, qui ex uliginosis locis multarum aquarum copia obsitis, paulatim ortum duxerant, & ingravescente autumno incrementa susceperant. Inde neque opera ad civitatem oppugnandam perfici, miles tabe confectus segnius munera obire; inde difficultas annonæ sensim invadere; ægritudinibus, atque interitu cuncta impleri, ut non tantum ad infimos, atque gregarios milites, sed etiam ad insigniores, Ducesque ipsos ea labes pertingeret. His rebus Lautrechius mirum in modum angebatur, quocumque se verteret, quidquid decrevisset, horridæ, atque funestæ rerum facies ante oculos obversabantur. Pergeretne ob-

*Morbi lethales in fœderatorũ exercitu.*

firmato animo in urbe obsidenda? internecio pene totius exercitus, innumera incommoda, ac pericula, quibus tot objectare milites, & duces ad desperatum prope rei eventum necesse erat, remorabantur. Laxaretne obsidionem, atque copias subduceret? victoriam, qua paulo ante illius animus exultabat, perpetuo dedecore hostibus relinquere sibi videbatur, collectamque tot laboribus gloriam sua sponte corrumpere. Omnium fere ducum ea erat sententia, ut, per proxima oppida militibus distributis, ægrotos reficeret, ac morbi sævitiem, qui contactu in dies majores sumebat vires, quoad fieri posset, lenire niteretur. E licet tot undique circumstantium malorum vi nullus fere locus aliter consulendi esset: attamen Lautrechius præclaram sibi elabi rerum agendarum gloriam minime pati poterat. Remissa quippe oppugnatione, copiisque remotis ab urbe, noverat hostes, qui equitatu pollebant, non amplius mœnibus se coerceri passos, aditum sibi ad suas copias, qua possent, invadendas facturos: semel amoto exercitu, propinqua hyeme haud facile amplissimam urbem denuo arcta circumcingi obsidione posse. Solicitabant animum nuncii, quibus quæ in reliquis regni provinciis prospera acciderant, perferebantur; Simeonem Romanum, quem in Brutios miserat, deditione omnem fere regionem Gallorum nomini mirifice addictam in potestatem recepisse; oppida, & Apuliæ portus Venetis accessisse; Aprutianos Gallis parere; prope Hispanam gentem Neapolitano regno ejectam: tot, ac tanta victorum præmia, tot labores uno hoc facto aut delendos, aut perficiendos esse; cum primum omnia huc consilia, atque conatus versi fuerint, ut Neapoli expugnata, bellis, atque ærumnis finis tandem imponeretur. Attamen tutiora consilia incertis forsan, ac dubiis antelata essent, nisi Lautrechii mens, vel fatum obstitisset: nam ille natura nimium sibi arrogans, neque audire, neque aliorum opinionem sequi assuetus, quæve semel probasset, ægre improbare solitus, nullis aut suasionibus, aut rationibus ad amovenda castra impelli potuit, licet quotidianis funeribus exercitus absumeretur, cum Pontificis Nuntius, Aloysius Pisanus legatus, ac Petrus Pesareus obiissent, & plerique exitialibus correpti morbis Cajetam, atque ad vici-

1528

*Simeonis Romani in Brutios progressus.*

*Lautrechii in castris non amovendis pertinacia.*

*Aloysii Pisani, & Petri Pesarei obitus.*

1528 vicina oppida, ut deferrentur, curarent; atque haud pauci signa deserere cogerentur.

*Andreæ Auriæ a Gallis alienatio.*

His, veluti cumulus, accessit, quod Andreas Auria Gallorum pertæsus ad Cæsaris partes transiverat: cujus consilii quamquam non exigua argumenta antea præsetulerat; Gallis tamen vel neglecta, vel levioribus, quam oportuerat, remediis tentata fuerant. Nam Auria cum minora suis virtutibus, ac pro Gallorum Rege gestis rebus, præmia ferre sibi videretur, pollicitationibus, divitiarumque, & honorum spe a Carolo illectus, avertere animum a Gallis cœperat, magnam sibi injuriam inferri arbitratus, quod in maritimi imperatoris dignitate, *Admirallum* Galli vocant, Barbesius illi antelatus fuisset; quod viginti aureorum millia in annuum stipendium ad classem instruendam tributa minime persolverentur; sibique obnixe sæpius a Rege petenti, ut quod jus Genuenses in Savona civitate habebant, patriæ restitueretur, id pernegatum fuisset. His, atque aliis agitatus stimulis flectere animum ad Cæsareanos cœpit, altiore forsitan consilio, ut, Genua libertati restituta, ingens sibi ob pietatem in patriam nomen apud cunctos mortales compararet, suæque dignitatis fastigium firmioribus fundamentis innixum confirmaret, ac stabiliret. Hæc per Vastium Marchionem cum Cæsare agebat, immemor inveterati in Hispanos odii, quod ob direptam, ac vastatam superioribus annis patriam altæ repositum menti retinuerat. Quæ sane omnia non ita contegi poterant, quin aliquis futuræ defectionis index appareret; & Pontifex, ad quem Auriæ cogitationes nuntiatæ fuerant, Gallo significaverat, cum Auria mitius agendum esse, nihilque prætermittendum, quod ad hominem in fide erga socios retinendum spectaret, ne suam auctoritatem, qua plurimum apud Genuenses pollebat, atque haud exiguas vires ad hostes transferret. Rex, qui nihil hujusmodi verebatur, primum contemnere; mox malo remedia adhibere conatus, cum vires invaluissent, nequivit: Pontificemque hortabatur, ut Auriam ad majora spirantem Ecclesiastico stipendio, ac dignitate in suam militiam adscitum decoraret. Ille hanc in rem se propensum ajebat; verum, ne quid, quod Cæsari molestum esset, efficeret, voluntati vires deesse affirmando, moras nectebat. At ne quid Rex prætermit-

*Clemens Auriæ tractationes Gallis significat.*

1528

*Petrus Frãciscus Regis Galliæ mãdato nititur in ejus stipendiis Auriam cõfirmare.*

mitteret, Petrum Franciscum Nuceriam ad Auriam misit, ut denuo regio stipendio cum Savona oblato, viginti aureorum millibus, quæ jam meruerat, solvendis, totidem pro lytro Arausionensis Principis, quem dum captivum teneret, Rex Madriti, inita cum Carolo pace, libertate donaverat, permulceret. Sed inclinatum jam Auriæ, ac prope devinctum Cæsareanis animum, flectere, ac dimovere non potuit. Itaque tandem his ad Cæsarem conditionibus accessit; ut *primum, omnibus, quæ adversus Hispanum nomen gesserat, oblivione deletis, duodecim triremibus Cæsari militaret; sexaginta aureorum millia in singulos annos persolverentur; Genua sub Caroli patrocinio libertate frueretur, Savonaque civitas eidem subjiceretur.*

*Andreæ Auriæ ad Cæsareanos accessio.*

Ex hac Andreæ Auriæ ad Cæsarem transitione quamplurima fœderatis, eaque gravia accidere, Neapolisque obtinendæ pene spes omnis succisa fuit. Nam Philippinus Auria cum suis triremibus discedens, Venetos ad intermittenda vinearum opera, in quæ remigum turmæ sedulo incumbebant, coegerat, ut maritimæ custodiæ operam navarent; Barbesiusque maris præfectus, qui cum sexdecim triremibus e Massiliensi portu solverat, Savonæ tempus terebat, duobus fere peditum millibus, quibus subveniendum Lautrechio erat, ad Genuam in hoc rerum discrimine tutandam missis. Et licet Neapolitani regni proceres, qui Gallis favebant, Gravinæ nempe, & Castri Duces, ut Lautrechio suppetias ferrent, delectu militum habito, augere illius copias niterentur, parum adjumenti ad belli exitum afferre poterant. Cunctis rebus in pejus quotidie ruentibus; cum, neque subsidia e Gallia advenirent, nec militum delectus, qui in Neapolitano regno habebantur, tanti essent, ut instaurando exercitui, ac muneribus militaribus obeundis sufficerent; in castris omnium rerum egestas, hostium equitatu quæ importabantur sæpius avertente; aqua laborari cœptum, aquæductibus ab hoste fractis; inde tot malorum cumulus ingruerat, ut passim militum cohortes contage, ac labe morbi tabescerent; restinctus militum vigor; torpor obortus; generosus mentis impetus socordia, & abjectione corruptus, vix sustinere arma, quibus se tegerent, vel hostem oppugnarent: immo nonnunquam illis abjectis, disciplinam,

*Barbesius subveniendi Lautrechio mandata non exequitur.*

*Gallici exercitus consternatio.*

1528 nam, ac militaria studia negligere; nullus ordo; non parere ducibus; summa omnium rerum desperatione ingens victoriæ spes commutata; quamplures castra deserere; duces, ut saluti consulerent, ab exercitu discedere; reliqui in castris morbo correpti nihil ad præsentem rerum statum, fortunamque sublevandam moliri. Tandem Lautrechius curarum ingenti mole pressus decubuit; cum undique circumstantia pericula cerneret, seraque pœnitentia actus, quod magis sibi ipsi fidere, quam aliis credere voluisset. Igitur morbi vi intrepidam mentem, vividamque animi aciem consternante, neque quidquam agere, neque consilia capere valebat: reliqui duces nimia illius severitate deterriti cautius, ac segnius res gerebant. Ipse aliquantisper morbo levatus, nonnihilque pristini vigoris assumpto, lapsa restituere, reluctantes præceptis milites pœnis coercere, augere copias nitebatur; nonnullis Epirotarum equitum turmis Surrento Venetis militantibus evocatis; Florentinos urgendo, ut duo millia peditum in supplementum exercitus mitterent. Verum nulla vi, nullo conatu impendenti jam fortunæ obsisti poterat: quantum enim fœderatis copiis animorum ademptum, tantum hostibus auctum fuerat, qui quotidie mœnibus egressi usque ad Gallorum castra excurrebant; impedimenta, calones, & lixas abducendo, itinera infesta reddendo, regionem circumquaque vastando, ac ne a Veneta classe aliquid in castra inveheretur, prohibendo. At Lautrechius denuo multis laboribus, & solicitudinibus confectus, graviori morbo correptus xvij. kal. septembris excessit.

*Lautrechii morbus.*

*Hispanorũ excursiones.*

*Lautrechii obitus.*

In Salassiorum Marchionem ob illius obitum omnium rerum pondus inclinabat. Is, reliquis ducibus in consilium vocatis, castra movere decrevit; cum præcipue Capua in potestatem Cæsareanorum concessisset: qua ex re non parum incommodi exercitui accesserat, ac sese quoque recipiendi difficultas addita fuerat. Itaque copiis tria in agmina distributis, silentio, ut hostibus insequendi facultas eriperetur, iij. kal. septembris, oriente sole, iter Aversam arripuere. Neque vero Cæsareanos fœderatorum discessus ita latere potuit, quin extremam aciem adorti, quam Palissius, & Camillus Triultius ductabant, magno Gallis detrimento fuerint; quamplurimis fugatis, atque inter-

*Salassiorum Marchionis in Lautrechii locum successio.*

*Capua ad partes Cæsaris accedit.*

*Gallorum exercitus Aversam petit.*

1528

*Hispani extremam Gallorum aciem aggrediuntur & fundunt. Petrus Navarrus a Cæsareanis captus Salassius Comes & Guido Rangonius Aversam Cæsareanis tradunt.*

interfectis, ac paulo post peditatu Hispano aucti ulterius celerrime progressi, cum ad mediam pervenissent aciem, cui Navarrus præerat, turbatis ordinibus, captivum egere ducem. Salassianus, & Guido Rangonius, qui cum prima acie castris exierant, incolumes Aversam pervenere; quos statim, Cæsareanis insequentibus, obsessa urbe, & ad summum periculum redacta, sponte se victoribus Galli dedere, magno mortalium rerum vicissitudinis documento; cum ingentes copiæ numero militum, ac robore insignes, quæ Hispanis exitium portendebant, brevi intervallo disjectæ, & dissipatæ fuerint; victoriæque monumenta Gallorum extiterint sepulcra. Inde fœderis existimatio nedum imminuta, verum etiam collapsa; & Veneti, qui omni bellico apparatu instructam classem, copias quoque terrestres, & cives insignes in eam expeditionem contulerant, summo dolore perculsi, non modo ex intercepto tot laborum fructu, sed etiam, quod ægre oppida atque urbes in suam potestatem receptas, deleto Gallorum exercitu, defendi posse animadverterent.

*Andreas Auria Genuam occupat. Theodorus Triultius in Arcem Genuensem receptus subsidia postulat.*

His malis accessit, quod Genua pestilentia vexata, atque fere cunctis civibus mortis metu urbe egressis, Andreas Auria opportunitatem nactus, inopinato cum triremibus, favore populi subnixus. qui plausibili libertatis nomine captus fuerat, urbem ingressus, immutata Reipublicæ forma, Genuenses in clientelam Cæsaris se recipere coegit. Neque huic malo obviam ire Theodorus Triultius potuit, militibus pestilentiæ lue ad summam paucitatem redactis; cumque ægre in arcem se recepisset, a fœderatorum ducibus, qui in Gallia Cisalpina erant, subsidia mitti flagitabat, quibus amissam urbem denuo se occupaturum pollicebatur. Tria millia peditum Germanæ, & Helvetiæ gentis Genuam versus mittere decrevere, ex iis, qui Alexandriæ Gallis in Italiam venientibus jungendi erant. Interea dum ea, quæ diximus, Neapoli agerentur, Franciscus Borbonius Lutetia discedens, Lugduni, quæ in Italicam expeditionem necessaria erant, comparabat, atque a Senatu, ut quam celerrime Alpes transgrederetur, impellebatur, quo Antonii Levæ vires, & conatus

*Franciscus Contarenus legatus ad Eporediam ut Borbonium exciperet.*

præcideret: ac Franciscum Contarenum Legatum Eporediam in Subalpinis, ut Comitem Sancti Pauli exciperet, & stipendii partem, quæ Reipublicæ obvenerat, quinque Germanorum millibus persolveret, miserat; Legatoque Mauro scribenti Germanos

1528

*Mandata Senatus Joanni Mauro legato. Venetorum copia in Gallia Cisalpina.*

manos pedites ducentos, qui hostibus militabant, ad nostros transire velle, hac in re Senatus sententiam exquirenti, injunctum, ut non modo istos, sed quotquot ad exercitum accedere vellent, exciperet. Aderant Reipublicæ ea tempestate, novis delectibus auctis copiis, in Gallia Cisalpina decem & septem peditum millia, partim in urbium subsidiis disposita, partim patentibus campis ad prælium cum hostibus conferendum instructa. Bergomi, quod finibus hostium proximum erat, tria millia quingenta; Veronæ duo millia; totidem fere Brixiæ; quatuor Italorum millia sub imperatoris signis continebantur, præter Epirotas. Crema, Asolum, Ponsvici, Vicetia, & aliæ arces, atque oppida, quod ad summam reliquum erat, absumebant: ad hæc mille quingenti leviores equites, octingenti cataphracti; stipendia iis menstrua nonagintaquinque aureorum millia persolvebantur. At Brunsuicense Duce, ut diximus, in Germaniam profecto; cum propediem Sancti Pauli Comes Alpes cum exercitu trajecturus esset, universis collectis copiis, ad Insubres penitus obtinendos, Hispanosque ex ea regione pellendos aditus patefieri videbatur; Urbinate de totius belli administratione ita statuente, ut Laus opportuno loco sita, vel ad Mediolanum oppugnandum, vel ad Bergomum, & Cremam Reipublicæ urbes propugnandas validioribus præsidiis firmaretur: ipse, cum primum Galli iter in Italiam arripuissent, Pado trajecto, Venetorum copiis Gallicis junctis, hostes opprimere conaretur: quod ut quamprimum fieret, Galeatius Vicecomes a Rege orator Venetias missus fuerat, qui Senatum ad copias cum Comitis Sancti Pauli exercitu conjungendas hortaretur, atque ut subsidia quamprimum Genuam mitterentur, urgeret.

*Galeatius Vicecomes Regis Galliæ legatus ad Venetos. Francisci Borbonii in Italiam adventus. Urbinatis cum Borbonio ad Monticulum colloquium.*

Jam prope julii mensis finis aderat, cum Borbonius in plana Cisalpinæ Galliæ descendit; quinque peditum millia, quingentos cataphractos Gallicos, totidem leviores equites ducabat. Urbinas Senatus jussu, ut coram de communibus rebus cum illo verba faceret, Monticulum oppidum ad ripam Padi positum se contulit. Ibi diversis sententiis actum: Urbinatis ea erat, collectis viribus, bello in Insubribus incumbendum, Antonio Leva Mediolano ejecto, cuncta in Italia prospera futura: non enim hostes, unde copias supplerent, ex Germania evocatis militibus, habituros; neque facile ex aliis regioni-

bus

1528

bus tantam commeatuum copiam, quanta in dies ex uberrimo Insubriæ solo exercitui suppeditabatur, adfuturam: hinc debilitatis, ac fractis hostium viribus, nihil magnum ausuros. Comes Sancti Pauli contra, Neapolitanam expeditionem deseri e re communi non esse censebat, ne hoc metu soluti hostes Antonio Levæ subsidia mitterent, quique nunc nostris ad obsistendum minime pares forent, novo aucti auxilio, atque subnixi augerent spiritus, & æquo nobiscum certamine congredi auderent. Inter hæc discrepantium Ducum consilia media quædam inita est ratio, qua non prorsus Neapolitanæ res destitui viderentur; sed tota belli vis in Galliam Cisalpinam effunderetur. Itaque Apuliæ urbes nomini Veneto addictas firmare; copias instaurare; novum aliquod facinus aggredi decretum est; Senatusque Augustino Amulio legato, ut classem ad litora Apuliæ appelleret, mandavit, instauratisque oppidorum, atque urbium, quæ Gallo, & Veneto parebant, præsidiis, Brundusii arces oppugnando adoriretur; & Rentio Ceriti, Amalphitanoque Principi, qui post captivitatem Gallis accesserat, in eas oras ex Hetruria cum quinque peditum millibus, ac trecentis equitibus profecturis, octo triremes, atque alia navigia transmissa, ut Anconæ in Apuliam tuto trajicere possent. Classem augeri, atque instaurari jussum, tum ad hostes variis in locis distinendos, tum ut validioribus viribus impetus in Neapolitanos fieret. Gallorum Reg, ob Andreæ Auriæ ad partes Cæsaris accessionem, classem Gallicam numero, ac viribus augere cupienti, & a Senatu duodecim triremes petenti, quas Massiliæ, ac Genuæ ad bellandum instrui in animo habebat, satis ultro factum est: & post Neapolitanum casum, ut quo acerbior sese fortunæ facies, tot undique circumfluentibus malis, ostendisset, eo altius regium animum erigeret, inexaustasque potentissimi Regni vires vehementiori nixu exercere niteretur, Senatus suadebat. Florentinos præterea, ac Ferrariensem, ne adversis humanæ sortis ictibus frangerentur; sed, ut ad bellum in Apulia instaurandum, quascumque possent opes conferrent, hortabatur. Qui nulla in re publicis defuturos commodis præseferebant; illi Hetruriam; iste Mutinam in omnem eventum novis militum delectibus firmaturus.

*Auxilia ad firmandas Apuliæ urbes a fœderatis decreta.*

*Triremes Regi Galliæ a Venetis tributæ.*

Interim cum jam Gallorum copiis Venetæ se adjunxissent, Mediolanum versus movere castra, & ad Landrianum perve-

1528 nere; sed urbe exercitu, ac commeatu ab Antonio Leva firmata, oppugnationem in aliud tempus differre Duces decreverunt, Ticinumque aggredi statuunt, infirmo militum præsidio, quod pedites mille non excesserat, urbe se cito potiri posse rati. Igitur quamcelerrime, ne consilii hostes certiores facti aliquid in nostros molirentur, Ticino universis copiis circumsepto, magno impetu mœnia quatere tormentis cœpere, quæ nuper e Venetorum oppidis huc, Urbinatis cura, adverso Ticini flumine invecta fuerant; brevique strata magna murorum parte, ingressum experiri in urbem statuunt. Ut priores Venetorum copiæ aditum aperirent, sorte obvenit; ac dum omnia ad dimicationem conferendam comparantur, Helvetii reluctari visi. Id cum ab Urbinate animadversum esset, dextra vulnere uni ex illorum ducibus inflicto, qui, se excepto, nemini parituros suos milites dixerat, atque eodem momento tormentis in illos verti jussis, insolentiam, ac temeritatem fregit. Itaque magno ardore animi, qua disturbata, soloque æquata mœnia erant, pugna cœpta. Urbini Dux inter primas acies, turba suorum septus, ubi hostes conferti majore nixu ab ingressu arcere nostros nitebantur, fortiter dimicans, summi ducis, strenuique militis laudem eo die tulit; atque inter militum ductores non vulgaris Calaciæ Comitis, & Antonii Tiphernatis virtus emicuit. Ticinum captum, direptum, milites fere omnes præsidiarii cæsi; arce postmodum a Galeatio Birago, qui cum iis, qui cædi superfuerant, in illam se receperat, deditione recepta, vitæ incolumitate pacta, Germanisque Mediolanum, Italis ad domos cuique suas commeatu permisso. Victoriam Patres Senatus literis Francisco Borbonio Gallorum Duci gratulati sunt, atque illi pro egregie navata opera gratiæ actæ. Ex illius sane urbis expugnatione fœderatorum res spiritus denuo sumere, præsentique beneficio & apud cunctos opinione incrementa accepturæ videbantur, cum Novaria, vicinaque oppida in nostrorum potestatem concessissent, eo majore hostium detrimento, quod ex iis locis quamplurima ad illos inopia sublevandos Mediolanum antea importarentur.

*Ticinum fœderati aggrediuntur.*

*Urbinas, Helvetiorum duce confecto, alios obtemperantes reddit. Urbinatis virtus.*

*Ticinum captum & direptum.*

*Novaria & alia oppida a Borbonio capta.*

Verum iis, quæ felicibus adeo auspiciis cœpta in Insubribus gerebantur, Genuensium res obstabant. Cum enim Franciscus Rex ingentem ex urbis illius defectione animo molestiam percepisset;

fet; quippe qui ex ea, & loci fitu, & maritima, qua plurimum Genuenfes pollent, difciplina, haud exigua commoda in Italicis præfertim expeditionibus accepiffet, nihil non moliri decreverat, ut amiffa civitas denuo in illius poteftatem concederet. Itaque Francifco Borbonio mandaverat, ceteris prætermiffis, id unum curaret, ut detrectantes Genuenfes, dicto regio obtemperantes redderet. Tria peditum millia antea, ut diximus, quo Genuæ rebus fubveniret, miffa fuerant: ii ob ftipendia ftatutis temporibus minime perfoluta, iter ingredi abnuerant: inde Theodorus Triultius, qui arce detinebatur, multis undique difficultatibus circumfeptus diutius fe fuftinere non poffe, deditionemque facturum, ni cito fubfidia acciperet, fignificabat. Borbonius totus in eo erat, ut Genuæ quamprimum opem ferret, afpirantifque fortunæ auram negligens, omnia de Mediolano expugnando confilia abjecerat, atque ab Urbinate fummopere flagitabat, ut, cum Venetorum copiis itinere arrepto, quo tutius res ad exitum perduceretur, eodem contenderet: neque vero quem ex Ticini expugnatione, ex incommodis hoftium, & Mediolanenfium defperatione, qui a Cæfareanis omnia acerba, atque intoleranda patiebantur, fructum amitteret, difpiciebat. Sed hæc Borbonii confilia Senatui minime probabantur, tum quod victoriæ fpes, quæ jam præ manibus habebatur, hac confiliorum immutatione defereretur; tum quod minime fuis rebus conducere arbitraretur, univerfas fere copias trans Apenninum mittere, Bergomumque & Cremam in finibus hoftium fatis haud dubiis periculis objectare; ac Francifco Sfortiæ aviti recuperandi imperii opportunitatem, quæ affulfiffe videbatur, eripere. Ea de re ad Francifcum Borbonium Senatus fcripferat, hortatus, ne feliciter cœptam Infubrum expeditionem defereret: Mediolano occupato, cuncta profpere ceffura; quacumque fe fœderati exercitus converterint, nullas obfiftentium vires experturos. Adeo Borbonii fixa erat menti concepta femel de Genua tentanda fententia, ut cum neque ratione, neque adhortationibus ab ea dimoveri poffet, univerfis Gallorum copiis, trajecto ad portum Stellam Pado, iter per Hetruriam Genuam verfus facturus proficifceretur. Venetorum copiæ ad Ticinum, tum ad hoftes coercendos, tum ut Genuenfibus rebus quatenus fieri poffet,

1528

*Mandata Gallorum ad Borbonium, ut Genuam adoriatur.*

*Theodorus Triultius per nuncios, fe ad extrema redactū fignificat. Francifci Borbonii cõ. filium de Mediolanēfi expugnatione relinquenda.*

*Venetorum literæ, ut Borbonium ab expeditione Genuenfi demoveant.*

*Francifcus Borbonius in Genuenfes proficifcitur.*

1528 faverent, substitere; cum ad novas oppidorum oppugnationes impares essent, vehementer imminuto numero militum, qui præliorum, & certaminum spe, direptionum, & prædarum cupiditate, sub signis continebantur. Huc accesserat, quod complures spe illecti, Gallis juncti Genuam contenderant: quapropter novos delectus haberi, ac tria militum millia in supplementum reliquis copiis addi Senatus jussit. Hostes de Borbonii itinere certiores facti, Genuam valido militum præsidio firmaverant, omnibusque iis rebus, quæ ad sustinendum hostium impetum necessaria essent, muniverant. Borbonius, qui jam cum copiis iter emensus haud longe ab urbe substiterat, cum vires ad facinus aggrediendum pares non haberet, spe illius potiundæ dejectus, regredi in Insubres statuit, stationem Alexandriæ habiturus; ac ibi duo Germanorum militum millia, qui Lugduno in Italiam iter habebant, præstolaturus: pecunia laboranti cum a Senatu octo aureorum millia commodari sibi petiisset, ultro missa sunt. Per eos dies Petrus Franciscus Pontremoli ortus e Galliis cum pecunia supervenit; atque inde Borbonius animo confirmatus augere exercitum, ac decem peditum millium delectum habere decrevit; cum interim Urbinas, Sfortiæ militibus ad præsidium Ticini relictis, cum reliquis copiis ad Abduæ fluminis ripas consedisset, nihilque, quod ad augendum, atque instaurandum exercitum pertineret, prætermitteret, quo denuo firmiori consilio duplici exercitu Mediolanum aggredi possent: ita enim Franciscus Borbonius, atque Urbinas Venetarum copiarum imperator statuerant, cum, ut de omni re consulerent, ad divi Nazarii oppidum convenissent.

*Genua a Cæsareanis munita. Franciscus Borbonius, Genua relicta, Alexandriam se confert.*

*Franciscus Borbonius copias auget.*

*Urbinatis & Borbonii ad Divi Nazarii colloquium. Theodorus Triultius arcem Genuensibus tradit.*

Theodorus Triultius de Borbonii discessu certior factus, omni subsidii spe destitutus, dedere arcem Genuensibus coactus fuit, quam populus furore correptus, ac nomine libertatis concitatus statim diruere, & disturbare cœpit, donec solo penitus æquaretur. Eadem facilitate Savonæ civitas in Genuensium potestatem concessit, insperatæque libertatis auctorem Andream Auriam summis extulere laudibus, publicisque monumentis ære, ac marmore incisis illius memoriam ob singulare beneficium celebrem ad posteros transmiserunt. Rempublicam diversis civium factionibus laborantem ad meliorem formam redigere; popularem libertatem, vel potius libidinem coercere conati;

*Genuenses reformatores eligunt, ut partam libertatem firment.*

nati; id ut maturo consilio consequerentur, duodecim cives, quos Reipublicæ *Reformatores* vocarunt, creavere; atque ut tum primum nascentem libertatem foverent, ac firmarent, summo cunctos Principes studio, & observantia se prosequi vulgaverant; neque his, neque illis favere; in neutram partem propendere. Ad Franciscum Sfortiam Oratorem e Saulia familia Reformatorum nomine miserant, qui quo loco suæ res essent; partam libertatem; quo animo in Principes futuri, nunciaret. decreverat is Venetias accedere; sed de Senatus mente ambigens literas publicas miserat: mox Federicus Grimaldius, ac Georgius Ventus, qui negotiorum causa Venetiis degebant, suæ Reipublicæ nomine, ut ad Collegium aditus illis pateret, petiere. Introducti, Arausionense Episcopo Regis legato præsente: eorum oratio demissa admodum, officiorum, atque observantiæ in Venetam Rempublicam plurimis argumentis referta: partam Andreæ Auriæ ope libertatem ut conservarent, Senatum æquo animo ferret, rogarunt; a qua se minime aversum esse superioribus temporibus non obscure ostendisset; cum, urbe illorum obsessa, petentibus, ne a Veneta classe naves, quæ ad illius inopiam sublevandam frumenta invehebant, molestia afficerentur, Senatus decreto minime negatum fuerat: si Cæsareanos, atque Antonium Adurnum illis faventem urbe ejecissent, atque se in libertatem vendicassent, nulla re defuturum: id illorum mentibus insidere, atque haud exiguam spem concipere, libertati, ad quam adipiscendam cohortati fuerant, Rempublicam non adversam fore. Responsum a Senatu est: quæ Genuæ acciderint, summa animi molestia Rempublicam accepisse; immutatas temporum conditiones, ut ab indigna Cæsareanorum servitute eriperentur enixam fuisse; modo cum in Regis clientela conquiescerent, atque illius patrocinio fulti tutæ libertatis fructus perciperent; quid indignius efficere potuisse, quam Andream Auriam, qui nuper in Regem omnia hostilitatis signa ediderat, in urbem recipere; Gallorum copias arcere; classi regiæ damna inferre? hæc nisi ægre, ac summa cum indignatione intelligi non posse: jure magnanimi Regis arma in se ipsos lacessisse; fœderato, ac socio tam justa causa nulla in re Rempublicam defuturam. Audito Senatus decreto, nil ultra addidere, nisi se omni opera, & studio gra-

1528

*Genuenses oratorē ad Sfortiam*

*Federicus Grimaldius & Georgius Ventus Venetum collegium adeunt.*

1528 tiam Regis, mentem illius mitigando, imploraturos. Adjectum a Patribus Collegii est, nulla id ratione, nisi præclaris, ac recentibus in Regem meritis assequuturos.

Quod vero Geuuenses a rege se exemissent, Imperatorique accessissent, ut moleste Senatus ferret, non una aderat causa; præcipua vero, quod civitatem, e qua aditus ad Italiam patebat, satius Regi amico parere, quam Hispanis ducebat, ne quam per tot annos terrestribus copiis afflixerant provinciam, classe in Ligusticos portus, atque oras immissa, mari quoque vexarent; cum præsertim per omnium ora vulgatum esset, Cæsarem ipsum in Italiam cito venturum. Itaque Veneti nonnunquam Genuenses hortari, ut Francisco potentissimo Regi denuo adhærerent, in quo vires ad suam tuendam libertatem experturos; nec propensam in ipsos voluntatem desideraturos affirmarent: nonnunquam denuo Genuæ oppugnationem instaurandam censebant, ut conceptas in Regis animo querelas delerent, quod suis copiis Theodoro Triultio subsidia non misissent: verum, neque anni tempus, cum media hyems esset, nec copiarum imminutus numerus id patiebantur. Iisdem de causis nihil adversus Mediolanum moliri, licet urbs annonæ inopia pressa, Antonii Levæ ægritudo, hostium vires labefactatæ mirum in modum allicere ad fortunæ aleam subeundam viderentur, crebrisque literis Senatus Urbinatem hortaretur, ne bene gerendarum rerum occasionem labi pateretur. Verum ille parum viribus militum fidens, hyemis asperitatem veritus, nil tentari absque periculo posse arbitrabatur. Itaque fœderatorum duces in hyberna deducere exercitus decrevere: Urbinas cum copiis Abduam trajecit, tutoque, & commodo loco castra posuit; Galli Alexandriam petiere, ut redintegratis viribus, appetente vere, prout rerum eventus exposcerent, consilia caperent. In Neapolitano regno, Lautrechio defuncto; Salassiorum Marchione capto; exercitu fere deleto, adhuc Apuliæ urbes, Tranium, Monopolis, Pulinianum, atque alia oppida Reipublicæ parebant, eaque omni studio retinere Senatus decreverat: Barulum sub Gallorum potestate erat; ne urbs illa in manus hostium, rebus omnibus in præceps ruentibus, concederet, Joannis Viturii legati Veneti virtus, ac diligentia effecerat; qui cum in Manfredonia expugnanda niteretur,

tur, de iis, quæ Neapoli acciderant, certior factus, triremibus magna militum manu imposita, subsidia ad loca maritima miserat; datis ad magistratus literis, quibus illos ad constantiam hortabatur. Tranium Camillus Ursinus cum copiis, Manfredonia relicta, ingressus fuerat; Monopolim Joannes Corradus Ursinus, Julius Montebellius, Horatius Carpenas: Rentius vero Ceres, cui Gallus vices suas obire mandaverat, Barulum præsidio tenebat, quo Simeon Romanus cum suis levioribus equitibus accesserat. Verum cum parvas nostrorum copias in ea esse provincia, neque eo numero, ut defendere urbes, hostibusque obsistere possent, nuntium Ursinus Senatui misisset, qui præsentem rerum in Apulia statum significaret, atque ut copiæ augerentur, suaderet: a Senatu Viturio legato mandatum, ut copias Reipublicæ ad tria peditum millia augeret; Camillus Ursinus omnium copiarum ductor est creatus, mille aureis publicum stipendium auctum; ad eundem datæ literæ, ut Ceritem totius expeditionis principem, & caput ipse cum aliis ducibus, & militibus observarent. In eandem sententiam Joanni Viturio scriptum, adjectumque est, si aliquod aggredi facinus communibus viribus vellent, nunquam præsidia ex Reipublicæ urbibus, aut tormenta, aut munitiones amoveri sineret; idque unum præ ceteris spectaret, ut easdem incolumes, & tutas præstaret. Decem peditum millia in ea provincia fœderatorum erant; tria millia Venetis militabant; quinque ex Hetruria Ceres advexerat; duo millia Florentini, ac nobiles ex Ursina familia viri coegerant: equitatus septingentis constabat; quadringenti Venetorum, trecenti Rentii erant. In Aprutianis Joannes Jacobus Francus Amatricem, Camillus Ursinus Aquilam, regionis caput occupaverant, Gallorumque vexilla erexerant, cunctorum populorum animis in Gallicum nomen mirifice propensis; quo fiebat, ut invisi illis ob imperii acerbitatem, intolerandasque exactiones Cæsareani forent; quorum quingentos equites in iis regionibus turmatim adorti contrucidaverant. Veneti majori spe rei bene gerendæ erecti, quæ ad tenendas urbes necessaria in Apulia essent, importari jussere: sexcentos pedites ad præsidia urbium augenda e Dalmatia navi una longa, ac duabus triremibus misere; quæ asperrima hyeme cum navigarent, oborta

1528

*Mandata Senatus ad Viturium, ut copias in Apulia augeat. Rentius Ceres supremus in Apulia Dux.*

1528 ta tempestate, Apuliæ litoribus illisæ sunt: qui in navi longa, & Baduaria triremi erant, e naufragio in litus evasere; ii, quos altera triremis (Capellam vocabant) vehebat, omnes fere undis absorpti periere. Augustinus Amulius legatus, qui sexdecim triremibus universam Apuliæ oram tuebatur, oppidanosque in fide continebat, a Senatu Corcyram proficisci ad classem instaurandam, atque augendam jussus, quatuor triremes ad excurrenda proxima urbibus maria reliquit; Corcyramque profectus omni studio instaurare classem milite, ac remige nitebatur.

*Veneta navis & triremes ad Apuliæ litora illisæ. Augustinus Amulius Corcyram ad classem instaurandam proficiscitur.*

Nam hoc tempore nulla major Patrum solicitudo angebat animos, quam ut classis, & navigiorum numero, & militum robore, qua Cæsareanæ obsisti posset, pararetur; cum & nuntiis, & literis Imperatorem quoque ingentem Barchinone in Hispania classem moliri afferretur, ut appetente vere in Italiam navigaret, cum fœderatis mari dimicaturus. Hæc omnia per oratorem Regi significantur; petitur, ut quamprimum adornari triremes, & naves actuarias, in quibus magna ad debellandos hostes vis esset, instrui juberet; nihilque prætermittebatur, ut anni insequentis initio & triremium numerus, & remigum, militumque robur quam maxime fieri posset, augeretur, atque Alexandro Pesareo legato nuper designato in mandatis datum, ut kal. januarii triremes in promptu haberet omnibus rebus ad profectionem instructas, atque adornatas. Idem Vincentio Justiniano notharum triremium Præfecto mandatum, quas ad decem numerum augeri Senatus decreverat. Per eos dies cum Urbini Dux copiarum terrestrium Imperator a Senatu, ut ad invisendas ditiones suas se conferre posset, impetrasset, prius Venetias venit. Coram Patribus de ratione belli gerendi consultum est: interfuere Galli Regis orator, ac Francisci Borbonii nuntius Venetias missus. Regis legatus non tempus terere; non desidia labare militum animos oportere; præclarum aliquod facinus aggredi; in Insubrum caput, Mediolani civitatem omnia consilia, ac vires vertendas esse ajebat. Urbinas, qui militari fortitudini singularem prudentiæ laudem adjunxerat, non periculis objectare media hyeme copias, summopere imminutas, satius esse ducebat; difficillimum fore hoc anni tempore, aquarum illuvie undique exundan-

*Rumor de Cæsaris in Italiam adventu. Veneti classem augent.*

*Alexander Pesareus legatus.*

*Vincentius Justinianus notharum Præfectus.*

*Urbinatis Venetias adventus.*

dan-

dante, Mediolani expugnationem ad exitum perducere; quod satis per se tutum, hac quoque accessione validius esset. Urbinatis consilium Senatus est amplexus, expeditioque in proximum ver dilata, quo terrestribus, ac maritimis fœderatorum viribus, majori conatu, ac nixu certandum fore videbatur. 1528

Cum Gallorum Rex Neapolitanam victoriam sibi præreptam æquo animo pati non posset, præteritorumque eventuum infelicitate ad acrius instaurandum bellum veluti quibusdam stimulis incitaretur: Anglus vero, cui prosperæ res Cæsaris invisæ erant, idem se facturum polliceretur: neque Florentini ulla in re deessent; id unum, in quod summopere fœderati incubuerant, adhuc desiderari videbatur; nempe ut Clemens tandem fœderi accederet; quod hucusque distulerat, cum a Venetis Ravennam, ac Cerviam urbes, ab Alphonso Ferrariæ Duce Regium, ac Mutinam reddi sibi peteret: id ut consequi posset, a Gallo, atque Anglo postulaverat, ut auctoritate, atque officiis Venetos ad tradendas urbes hortarentur; quocirca Turrenæ Vicecomes a Francisco Rege, ut Pontifici gratificaretur, qui ob Renatam Regis affinem Herculi Ducis Ferrariensis filio ab eo connubio junctam nonnihil molestiæ percepisset, orator ad Rempublicam missus fuit. Petebat is Regis nomine, ut a Senatu urbes restituerentur; hoc tantum remorari Pontificem, ne fœderi sese adjungeret; quo amoto impedimento, si fœderatis accessisset, haud dubium fore, quin non exiguas vires adsumerent; id si Senatui non placeret, saltem illas in potestate Regis relinqueret, ut commodiori tempore de jure illarum disceptaretur. Senatus neque urbes tradere, neque se illarum possessione exuere æquum ducebat; cum, vel ad bellum prosequendum, vel ad pacem ineundam non exigua ab eis commoda accipere posset. Attamen ut Regi satisfaceret, & Clementem aliqua spe demulceret, ut aliqua ratio rei conficiendæ ex amborum principum sententia inveniretur, haud quaquam alienum esse profitebatur; idque Vicecomiti, Arausionensi Episcopo ordinarii oratoris munere fungenti, atque Henrici Angliæ regis oratori, decreto Senatus responsum est. Sed cum votis, ac postulatis Senatusconsultum minime respondere animadverterent, rem dissimularunt. Senatus quo magis res Flaminiæ firmaret, Cæsarem Fulgosium

*Renata cū Hercule Estensi nuptiæ.*

*Turrenæ Vicecomes a Galliæ Rege ad Venetos missus.*

*Cæsar Fulgosius a Senatu missus cum imperio in Flaminiam.*

1528 sium in eam provinciam summa cum auctoritate misit, quem centum cataphractorum equitum ductorem belli, & pacis tempore creavit; ea conditione, ut Venetorum bello turbatis rebus, quinquaginta cataphractos, & pro aliis quinquaginta, centum leviores equites duceret, annuo mille aureorum stipendio; injunctumque, ut statim in Flaminiam proficisceretur. Aloysius Barbarus Aloysii Foscari loco Legatus Ravennam missus est. Neque interea Clemens quidquam pristini ardoris remittebat, quo semper Flaminiæ urbes a Republica petierat, atque in dies exacerbari illius animum Gaspar Contareno orator significabat: ideo illum aliqua ratione delinitum iri Senatus optabat. Itaque diversæ sententiæ in Senatu dictæ; nonnullis pecuniæ quandam summam erogari Pontifici placebat, ut urbes, illo non repugnante, retinerentur: aliis Reipublicæ jura exponi; mox ut cum Cardinali Montio, qui summa erat apud Pontificem auctoritate, de concordia ineunda ageretur: alii totam eam rem oratori permitti debere arbitrabantur, qui vel annuo censu, vel annua ratione Clementi satisfaceret; cum Rempublicam a possessione Flaminiæ urbium non recessuram sibi constaret. Vicit Leonardi Haimi Consiliarii sententia, qui nihil præcipue de urbibus agendum cum Pontifice censuit; tantum hortari, ac suadere, ut omne studium, atque operam in Christianorum principum conciliandis animis, ac pace firmanda poneret; si id acciderit, tunc Reipublicæ erga sanctissimam Sedem pietatem, atque obsequium non desideraturum. Ut hoc Senatusconsultum fieret, rumores, qui de pace percrebruerant, in causa fuere; cum Cæsar iterum a pacis consiliis minime abhorrere nunciaretur; an quod fœderatorum conatus remoraretur; an potius quod Turcæ bellum Pannoniis minitarentur, incertum. Illud constabat, quæ ad illius profectionem in Italiam attinerent, omnia sedulo comparari; nonnunquam omnem impetum belli in Rempublicam effusurum; terra, marique Venetorum imperium invasurum, jactitare; nonnunquam pacis, & concordiæ conditiones objicere. Ea quorsum tenderent, ambigebatur; ac ne in Galli animo suspicionem aliquam gignerent, oratori injunctum, ut optimam Reipublicæ mentem testaretur; nullo unquam casu, nullo unquam tempore ab eo recessuram. Is rerum status erat, evo-

*Aloysius Barbarus ad Ravennam legatus.*

*Diversæ de Flaminiæ urbibus in Senatu sententiæ.*

*Senatus decretum.*

evoluto jam anno M. D. XXVIII. quo exeunte, Calatiæ Comes, Ruberti Severinatis nepos, copiarum pedestrium præfectus, mille quingentorum aureorum stipendio adjecto, creatus est. Antonio Castellio omnium tormentorum bellicorum præfectura tributa, sexcentis in singulos annos aureis nummis assignatis. 1528 *Calatia Comes pedestrium Venetarum, Antonius Castellius tormentorũ bellicorum præfectus*

## M. D. XXVIIII.

1529 *Principum ad pacem propensio.*

Dubias belli, pacisque spes, atque inter fluctuantes Principum animos incerta consilia annus M. D. XXVIIII. excepit. Assiduis cedibus, ac præliis jactata Italia; exhaustæ vires; amissi duces; absumpti thesauri; pacem si non volentibus elicere, invitis saltem extorquere posse videbantur. Nam Gallorum in Neapolitano regno exercitu fere deleto, adhuc reliquiæ supererant, quas, victoria licet elati Cæsaris Duces, minime extinguere potuerant; atque in Insubribus copiis in hyberna deductis, Venetorum Imperatore in suas ditiones profecto, tumultus quiescebant. Cæsar quamvis intra varias latebras sensus animi abdere solitus, pacem haud aspernari videbatur, a rebus Italiæ componendis minime alienus; idcirco Franciscanæ familiæ Antesignanum, ut aliqua inter ipsos concordiæ ratio iniretur, ad Pontificem miserat. Gallus vero, cujus animus filiorum desiderio æstuabat, non minus in id propensus videbatur. Anglus & in Gallia cum Rege, & in Italia cum Pontifice per suos oratores, ut principum mentes conciliaret, nihil omittebat. Senatus Venetus, ut tandem post triginta annorum spatium, quo Respublica variis hinc inde fortunis agitata fuerat, pacem, modo per illam Italiæ libertati, atque incolumitati prospiceretur, optabat. Ad eam rem Angli suasu, suo ad Pontificem oratori ad pacem conficiendam Gallus mandata dederat. Eadem ab Imperatore Franciscano, qui nuper cardinalatus dignitatem, Sanctæ Crucis titulo insignitus, susceperat; tributa facultas fuerat. Quæ cum Senatus intellexisset, Gaspari Contareno, ut Reipublicæ nomine paci inter cunctos Christianos Principes subscriberet, injunxit, rebus ex communi Galliæ, atque Angliæ oratorum, aliorumque fœderatorum sententia confectis: eidemque oratori man-

*Franciscanus Antesignanus a Cæsare ad Pontificem missus.*

*Mandata Senatus de pace ad Gasparem Contarenũ oratorem.*

1529 mandaverat, ut enixe Pontificem ad firmandam inter omnes concordiam adhortaretur, quo tandem ex tot ærumnis, & calamitatibus Christiana emersa Respublica in optatum tranquillitatis portum se reciperet: id ejus muneris, quo in terris fungitur, esse; hoc uno perpetuam sui nominis famam ad posteros transmissurum.

*Classis instructio ad Cæsarem in Italiam advehendum. Senatus ad Galliæ Regem suasio, ut exercitum instauret.*

Hæc quamvis a Venetis agerentur, plurima tamen adhuc suspicionum semina serebantur, ex quibus haud facile erat, quo loco tandem res evasuræ forent, conjicere. Nam Cæsar se in Italiam venturum vulgaverat, atque ad illud iter conficiendum classem summo studio instrui jusserat. Ferdinandus frater Oeniponte magnum militum delectum habebat, conventibusque per Germaniam vocatis, subsidia impetraverat; quæ licet, ut Turcarum Imperatori, qui Pannoniis imminebat, obsisteret, cogi rumor erat; tamen ea conditione illa obtinuisse ferebatur, ut etiam, si opus foret, in Italiam mitteret. Quocirca Senatus sæpius Francisci Gallorum Regis animum ad instaurandum exercitum inflammare, suas copias augere, novos præfectos, ac duces deligere, classem in promptu habere; tum, ut si hostis in Italiam Cæsar accederet, illius adventus prohiberi posset; tum, ut transacta hyeme Mediolanum communi consilio oppugnaretur. Interim cum in dies rumor de Cæsaris in Italiam adventu magis augeretur, Ferdinandumque in Venetorum fines moturum haud vulgaris opinio esset, quæcumque ad Reipublicæ fines tuendos, atque ad oppugnandos hostes necessaria erant, sedulo parabantur. Cæsar Fulgosius levioris armaturæ equitatus præfectus a Senatu deligitur, stipendio ad mille ducentorum aureorum numerum adaucto. Annibal Fulgosius, qui nuper, cum ab Hispanis Ticini captus fuisset, sese ex servitute redemerat, atque omnem suspicionis notam a se coram Senatu repulerat, pedestris præfecturæ honore insignitus, atque ut quingentos Corsicæ gentis Reipublicæ stipendiis militaribus adjiceret, injunctum. Farfarellus item Ravennas, Aventinus Friapanes Veronensis leviorum equitum præfecti declarati; illi, ut centum quinquaginta; huic ut centum equites compararet, mandatum. Ad hæc, cum jam tempus, quo Urbini Dux Reipublicæ stipendia merebat, confectum esset, denuo Imperator terrestrium copia-

*Venetorum bellici apparatus.*

*Urbinas in imperio Venetarum copiarum confirmatur.*

copiarum a Senatu creatus est, decem millium aureorum stipendio ad quadraginta millia in singulos annos addito, ea conditione, ut trecentos cataphractos, ducentos leviores equites semper paratos haberet. Guidoni Ubaldo ejus filio septuaginta quinque cataphractorum Præfectura tributa; aut, si magis ei liberet, centum quinquaginta equitum levioris armaturæ, mille aureorum honorario adjecto. Nicolaus Teupolus ad Urbinatem Orator missus est, ut Senatus primum exhibito decreto, ab illo, ut quamcelerrime in Cisalpinam se Galliam conferret, flagitaret: nihil enim non Venetorum modo; sed fœderatorum omnium rebus præstabilius esse, quam ut copiis Imperator auctoritate, atque rerum militarium usu edoctus præesset, hoc præcipue tempore, quo de ratione belli administrandi agendum erat, frigorisque vi remittente, educi e castris milites oportebat: & ne illo absente, detrimenti aliquid oppida ejusdem paterentur, Senatui placere, ut Reipublicæ sumptibus tria millia peditum conficeret; iis, quem sibi libuisset, præfectum daret, ut tranquillo animo, rebus suis in tuto collocatis, ad exercitum proficisci posset; in id etiam pecunia transmissa. Præterea Francisco Insubrum Duci bellorum angustiis ad summam omnium rerum inopiam redacto, ut suas copias alere posset, decem aureorum millia mutuo data a Senatu sunt. Insuper Joanni Fulgosio suprema secundum Urbinatem cura copiarum demandata est, ut, Urbinate absente, qui tum ad res suas invisendas Senatus permissu profectus fuerat, exercitui Dux auctoritate, reique militaris experientia clarus non deesset; atque Antonius Albertus, *Sapiens*, quem vocamus, *ordinum* delectus, qui ad illum tunc Brixiæ commorantem contenderet, ad exercitumque deduceret. Ad Nanium legatum pecuniæ ad augendas copias missæ. Neque interea quæ ad vires maritimas augendas spectabant, omittebantur, Hieronymo Pesareo imperatore declarato, atque Alexandro Pesareo Legato, Vincentioque Justiniano notharum præfecto quamprimum ab urbe discedere jussis: decem triremium trierarchi designati, cum ea mens Senatus esset, ut classis triremium quinquaginta numerum excederet; ex quibus cum sexdecim ex fœdere deberentur, quatuor præterea sunt adjectæ, ut ceteris fœderatis jungerentur; his Hieronymus Contarenus

1529

*Guidoni Ubaldo Urbinatis filio cataphractorum præfectura tributa.*

*Nicolaus Teupolus ad Urbinatem orator.*

*Joanni Fulgosio, absente Urbinate, copiarum imperium a Venetis delatum.*

*Antonius Albertus ad Urbinatem missus.*

*Hieronymus Pesareus classis Imperator.*

*Alexander Pesareus classis Legatus.*

*Hieronymus Contarenus triremibus cum fœderatis jungendis præficitur.*

1529 nus præficitur: ac Francifco Borbonio, cui ad inftaurandas, atque augendas copias pecunia minime fuppetebat, duodecim aureorum millia mutuo tributa funt, ut fœderatorum auctis viribus, Mediolani rurfus oppugnatio tentaretur. Summa copiarum Reipublicæ octo peditum millia, Borbonii totidem, Sfortiæ tria millia erant. Galliæ Rex duorum millium Germanorum militum fupplementum, atque octoginta aureorum millia fe Borbonio miffurum pollicebatur.

Hoc exercitu adoriri Infubrum caput placebat; eo expugnato, ad Genuam oppugnandam proficifci. Triremes viginti, quas diximus, Senatus Regi fpondebat in Tyrrhenum mare navigaturas, ut Gallica adjuncta claffe, Imperatori in Italiam proficifcenti obfifti poffet: qua ex re totius belli eventus pendere haud dubie videbatur. Nam Carolo magnis terreftribus, ac maritimis viribus, ut rumor erat, in Italiam advenienti impares ad fuftinendum belli impetum fœderatorum vires erant: illius præfentia Italorum Principum animos procul dubio fpe illectos, aut timore deterritos, communi omnium falute neglecta, fuis rebus confulturos. Quapropter illud præfertim hoc tempore providendum videbatur, ut fi fieri poffet, Cæfaris in Italiam iter vel remorarentur, vel impedirent.

*Francifci Regis propofito ad Hifpanias invadendas.*

Neque ab ea fententia Francifci Regis animus abhorrebat; immo fumma invadendæ Hifpaniæ cupido inceflerat præpotenti exercitu, cui ipfe imperator præeffet, ad Pyreneos montes deducto; jamque fex Germanorum millia evocari jufferat, in fpem erectus, fore, ut Carolus ne hoftibus aditum in Hifpanias præberet, confilia expeditionis Italicæ prætermitteret. Verum hæc Regis fententia gravioribus difficultatibus involuta videbatur; averfis quippe Gallorum ab Italia viribus, haud exiguis periculis objectari res Italicæ cernebantur, quæ hactenus illorum fubfidiis innixæ fteterant. A concepta opinione Regem avocare, ardoremque animo conceptum adverfus Hifpanos reftinguere, tutum minime effe nonnulli rebantur; immo potius ftimulos addendos, ut quo generofo quodam mentis impetu ferebatur, in id enixius incumberet: Contra aliis tutius effe videbatur, fi in Italiam, in qua fedes belli erat, omnes conatus, ac fpiritus impenderet: debellatis in ea hoftibus; cuncta profpere, atque ad vota ceffura. Inciderat in id tem-

tempus Andreæ Naugerii designati ad Regem oratoris profectio. Itaque quid potissimum in re summi momenti statuendum esset', quærebatur; irruptionemne in Hispaniam Galliæ Rex moliretur, an eas vires, quibus aggredi Hispanias statuerat, in Italiam verteret, Aloysio Mocenico, qui tum consilii Sapiens erat, consilia de Hispania invadenda ut probarentur, Senatui suadente; quem, dum ea de re consilium capiendum esset, in hanc fere sententiam loquutum ferunt.

1529 *Andreas Naugerius ad Galliæ Regem orator.*

*Eo loco res hac tempestate sunt, Patres optimi, ut si ullo unquam tempore virtute, ac prudentia vestra Respublica, cujus clavum tenetis, indiguerit, hoc summopere egeat; cum, per tot annos attritis Italorum principum viribus, Respublica immensis exhausta sumptibus, impar fere ad imminentium rerum molem sustinendam videatur. Exantlanda denuo nobis ingentia pericula proponuntur; nova se rerum facies ostentat animo; majores bellorum turbines ante oculos obversantur, quæ armati adventus in Italiam Cæsaris nobis proculdubio portendit; exercitibus Italia replenda, Italæ non modo gentes, sed externæ quoque, illuvie barbarorum huc immissa, nobis inspiciendæ sunt. Si Rex, ut Imperatori obsistat, Alpes transgressus in Italiam descendat, nonne renovari præteritas calamitates, campos, ac flumina exundantia sanguine cernimus? Jam æstus ille deferbuerat, quo superioribus annis bellorum incendiis passim depopulari, atque ardere urbes, & oppida nobilissimæ provinciæ inspeximus: restinctus ille impetus, atque ardor visus, quo sæpius acie certatum, tentatæ acerrimis oppugnationibus urbes fuere. Modo si ambo hi Principes in Italiam venerint, ingentibus stipati copiis, Germanis, Hispanis, Gallisque comitantibus, quem bellorum exitum, quem calamitatum, atque ærumnarum finem inveniemus? Acrius acuenda ferri acies, obstinatioribus animis, vehementioribus viribus depugnandum erit. In acie media ingentia victoriæ præmia sita: a quonam victos, ac prostratos hostes mavultis? Incerti præliorum exitus sunt; ludit mortales fortuna; modo ab imo tollere; modo e vertice dejicere sueta: sæpe magnos exercitus parva manu fusos & legimus ipsi, & audivimus; nihil incertius, aut fluxum magis certamine, ac pugna. Cæsare, qui haud mediocres copias in Italia,*

*Oratio Aloysii Mocenici.*

1529 *veteranosque milites habet, novosque acervare paratus est, victoria potito, quis non undique insolenti dominandi libidine cuncta Cæsareanos ausuros, neque Divinis, neque humanis parcituros, neque inexhaustam sitim expleturos, ni omnia sibi subjecerint, animadvertat? At vincente Francisco Gallorum Rege, omnia secus eventura, integra Italis Principibus cuncta relicturum, haud dubium multis videtur. Quæso, Patres optimi, quisnam rerum humanarum sciens id sibi suadere, ac certo polliceri potest? Ingentem in mortalium mentibus, cui resisti non potest, regnandi, atque imperandi cupiditas vim habet; & apud Reges præsertim, qui dum urbes, ac provincias subjiciant, gentes premant, nil sancti, aut pensi habent: adeo fulgido hoc, ac splendido regii diadematis decore mentis acies perstringitur, &, ut ita dicam, obcæcatur. Nonne Galli Neapolitanum regnum, Insubrumque imperium justis titulis ad se spectare affirmant? Inde sæpius ab iis transmissæ Alpes, exercitibus in Italiam traductis, Italis Principibus fœderibus sibi devinctis; ac nisi ea spes nunc quoque illorum animos solicitaret, post tot acceptas clades, deletosque exercitus, quis iterum eandem aleam periclitaturos crederet? Quid igitur, dicet aliquis, faciendum est? quod filum, ut ex tot ambagibus incolumes evadamus, tenere, ac sequi oportet? Illud sane, ut ego existimo, quod nos ratio docet, fortuna objicit; nempe ut, si fieri potest, bellorum imminentes turbines procul a nostris finibus amoveantur, quodque per tot annos incendium misere perpessi sumus, in remotas a nobis oras amandetur: id futurum esse, si recte conjectura assequor, videtur, si Hispania bello petatur; si exercitum viribus, ac numero præpotentem Gallorum Rex in Hispaniæ fines ducat, per Pyreneos montes impetum in penitiores illius regiones faciat. Id si eveniet, minime ambigendum est, Cæsarem ab Hispania non discessurum; sed illius omnes copias coacturum, ne deserta subsidiis regio in hostium potestatem concedat, ac dum ipse incerto conatu incrementum imperii, ac dominationem Italiæ aucupatur, avitum regnum, & proprias sedes in discrimen adducat. Quis enim putet in viscera Hispaniæ adactum Gallorum mucronem non repulsurum, aut Hispania incensa, undique æstuantibus flammis, non restinctum domi incendium Ca-*

*Cæsarem malle, quam faces in alienas terras immittere? Itaque bellum illud, quo per tot annos Italia exarsit, alio transmittetur, nosque tandem ex actoribus, ut ita dicam, spectatores erimus. Cur igitur Regem ultro in illud propensum non adhortamur, non accendimus, Sebastianoque Justiniano, qui nunc in Galliis apud Regem est, & Andreæ Naugerio in ejus locum proficiscenti Senatus decreto non mandamus, ut ad Hispanicam expeditionem properantem Regis animum incitent, atque impellant, præsertim cum ipse jam mente victoriam intueri sibi videatur; neque ambigat huc universam Galliam confluxuram? Non enim lustranda maria; non per longinquas regiones ductandus exercitus; sed domi, atque in vestibulo ipsius regni pugnandum est: facillime copiæ cogi, ali, instrui poterunt; belli sonitu audito, finitimæ gentes Hispanorum nomini infensæ mira celeritate, incredibili alacritate sub signis coibunt; ac brevi Pyreneis transgressis montibus, Imperatorem eo omnes vires, atque conatus intendere adigent. Hoc pacto Italis principibus, ac nobis præsertim consultum erit, qui tot aureorum myriadas, tot milites, ac cives in hac assidua rerum omnium jactatione absumpsimus. Non semper totis viribus pugnando, atque certando bella finiuntur; verum hostes avocando, domi lacessendo, plurima, & magna bella confecta sunt; ac veluti impetu quodam ex præruptis, atque altissimis montibus, amne fluente, cum sustinendo aggeres non sufficiunt, sæpius alio flectimus, ac divertimus. Ita in bellis evenire compertum est, ut quibus ad obsistendum nonnunquam hostibus impares sumus, ii alio lacessiti, in alias partes averso bello, vincantur. Sedes hactenus certaminis Italia fuit, nobis dimicantibus summis laboribus, ac vigiliis contritis, dum nulla quietis spes effulgeret, reliquæ provinciæ per otium pacis fructus percepere. Immutanda est ratio, si forte alio converso tot malorum cumulo, expectatus aliquis jamdiu honestæ concordiæ, & honorificæ pacis fructus suboriatur.* 1529

Aloysio Mocenico major Collegii Patrum pars adhæserat. At contra Joannes Delphinus, ac Marcus Antonius Cornelius, Continentis Sapientes, minime imminuendas Italiæ vires; verum a Rege, prætermissa Hispanica expeditione, novas submitti in Italiam copias, satius esse ducebant. Ex his

1529 Cornelius, vir eloquentiæ laude ea tempestate insignis, ita loquutus dicitur.

*Marci Antonii Cornelii oratio.*

*Cuperem profecto, Senatores optimi, ut quæ ab Aloysio Mocenico præstantissimo viro summa vi, atque eloquentia disceptata sunt, & cito aggredi, & facillime consequi liceret. Quis enim omnibus votis non exoptaret, quibus per tot annos premimur, varios bellorum casus a nobis repellere, atque in alias regiones ablegare? Sed summopere vereor, ne dum inani spe commovemur, remotisque, ac longinquis auxiliis nitimur, præsentia, & proxima omittamus, seraque tandem pœnitentia nostrorum consiliorum pœnas luamus. Quisnam (nisi se ipsum sponte decipere velit) adeo est nostrarum rerum, statusque Italiæ ignarus, qui nesciat, quantum post Neapolitanam cladem Cæsaris vires excreverint, quantum Regis imminutæ sint? Apulia excepta, cujus nonnulla oppida in nostra potestate sunt, pauca Galli retinent; cetera omnia Cæsari parent. Mediolanum sæpius incassum petitum; adhuc veterani milites, Antonii Levæ ductu, Carolo militant; qui in Germaniæ finitimis locis delectus a Ferdinando habeantur, ad nos sæpius allatum est. Jam vulgatus apud omnes Cæsaris in Italiam adventus; comparata classis; in promptu milites; hanc Italiæ, & præsertim nostræ Reipublicæ imminentem exercituum, & classium molem, qui copiis vel nostris, vel fœderatorum se excipere, ac sustinere posse putat; aut Rege in Hispanias movente, avertere; is mihi videtur, non satis res nostras metiri, atque plus æquo aliorum viribus, & consilio confidere. Quibus enim viribus ad obsistendum Cæsaris conatibus, nisi Galliæ Rex subsidia miserit, parati sumus; Francisci Borbonii exercitu ad quinque tantum millia peditum redacto, nostris copiis, licet in iis instaurandis, atque augendis omnis opera impendatur, non eo numero, ac robore, ut ad ingruentem belli impetum ferendum, aut repellendum pares sint? cum Antonio Leva hinc, atque inde variante fortuna pugnatum: accedenti in Italiam Cæsari majoribus, ac firmioribus viribus obviam eundum est: id ni fiat, quam facile illi omnia ad votum eventura putatis? quanta incrementa auctoritatem, atque potentiam illius acceptu-*

*ram*

*ram arbitramini? Insubrum certe regionem, pro qua tot annos dimicatum est, quamque semper mirifice concupivit, brevi in potestate habebit; atque illum, qui ut avitum imperium Francisco Sfortiæ restitueret, neque suasionibus, neque bellis flecti potuit, putamus, eo adepto, ullo unquam tempore redditurum? qui hæc sibi persuadet, quam altas in Regum animis potentiæ, ac regni cupido radices agat, non animadvertit. Novit optime Cæsar, magnum sibi gradum ad summam amplitudinem sterni, si in Italia dominetur, quam nobilitate, viribus, auctoritate cunctis præcellere regionibus non ignorat. Idcirco nullum non movit lapidem, ut quantam maximam illius partem posset, suo adjiceret imperio: sæpius duces exercitus misit, decertavit, urbes atque oppida oppugnavit, in acie conflixit. Modo cum non adeo dejectas fœderatorum vires expertus esset, ut certam sibi victoriam polliceri posset, adventum ipse in Italiam parat; hoc uno arbitratus, illud, quod per duces perficere adhuc non potuit, se consequuturum, Italorumque principum animos sua præsentia dejectum, ac consternatum iri; cunctaque ad objectam ipsius fortunæ speciem casura sibi persuadet. Quid enim de Pontifice dicamus? qui post tot ærumnas, atque contumelias ab Hispanis acceptas, hactenus, ut fœderi se adjungeret, nunquam adduci potuit: verum aut spe erigitur, aut timore detinetur. De Florentinisne loquar, qui cum suis cervicibus jam imminere præpotentem exercitum sentiant, neque consilio, neque viribus pollent? Ferrariensemne, an Mantuanum commemorem, qui majorum principum sententiam, ac nutus observare coguntur? Quid igitur superest? Una Veneta Respublica quæ tot fluctibus, veluti inconcussa moles, objicitur, servitutis impatiens, libertatis acerrima propugnatrix: hanc torvis oculis aspicit Cæsar, scit ab illa Italicarum rerum fortunam pendere, atque, ut sæpius audistis, suis illam viribus adoriri, illius virtutem experiri se velle aperte dictitat; an illius potentiæ vim, atque impetum sustinere possit, periculum facturus. Hæc cum ita sint, perpendite, quæso, utrum de Hispania oppugnanda, an de defendenda Italia agendum vobis sit: cordi laboranti, cum tabifica lues invaserit, non externis, atque longinquis remediis subveniendum, sed intimis opitulandum est: propulsanda ab Italia insita* 1529

1529 *hæc per tot annos tabes; in visceribus coalitum virus arcendum est; mox illo penitus ejecto, aut saltem lenito, salubriori, ac tutiori consilio exterioribus animum applicabimus. Sed contra disseritur, Hispania oppugnari cœpta, Cæsarem illuc omnes nervos intenturum; res Italicas abjecturum. Quid porro id suadet? an iste undique conquisitus rerum omnium in Italicam expeditionem apparatus? an mens Cæsaris jamdiu patefacta? an iste, quem exercitibus, ac certaminibus campum, hæc provincia præbuit? Munitissimas arces, fortissima oppida in Hispaniæ faucibus sita sunt, quibus destineri Gallorum exercitus, impetus gentis praeferocis in pugnam, mox languentis; pristinumque ardorem remittentis, frangi poterunt. Interea intra Pyreneos montes Gallo bella miscente, quis suppetias Italiæ feret? quis Imperatori resistet? Neque enim credibile est; Gallos in id unum intentos, ut Hispaniam oppugnent, copias in Italiam missuros; immo potius Regem omnia de subveniendo Italis principibus consilia abjecturum. Neque vero facilis adeo, ut nonnulli jactitant, Hispaniæ oppugnandæ ratio est, cum per montium asperrima ducendus sit exercitus, sterili regione, atque infecundo solo, validis, ut diximus, arcibus tuto, quas Hispaniæ quondam Reges objecere, Gallis depugnandum sit: eas; verisimile est, Cæsarem in Italiam proficiscentem & numero, & virtute militum aucturum. Hæc sane tot incommoda vitanda nobis esse, quis non agnoscit? id fiet, ni fallor, si Regis animum ab Hispanicis rebus ad Italas convertere omni studio conabimur; ut in aliud tempus de invadenda Hispania consilia differat, suadebimus: hortabimur, ut quamprimum ingenti conatu, ac viribus, quas potens, atque amplissimum regnum abunde suppeditare potest, transgressis Alpibus, armatus in Italiam descendat; neque cui per tot annos provinciæ auctoritate, ac viribus præsto fuit, Cæsaris arbitrio, & voluntati permittat: hoc uno fœderatos firmari; hostes vinci; filios, quorum desiderio flagrat, ex Cæsareanorum manibus eripi posse: antecapere tempus oportere, priorem se Italiæ, nil aliud cupienti, ostentare; hoc fœderatis incolumitatem; Italiæ dignitatem contineri; sibimet immortalem gloriam parari: illud vero in primis in animum inducere, postquam Cæsar*

*cum*

*cum exercitu , quem instruit , in Italiam venerit , castra locaverit , omnem praeclare gerendarum rerum opportunitatem elapsum , atque amissum iri . Hæc in primis Sebastiano Justiniano , atque Andreæ Naugerio in Galliam proficiscenti Senatus nomine mandanda sunt : ut Rex , Hispaniæ curis solutus , acrius , ac vehementius in Italicam expeditionem incumbat , ubi nostra in primis res agitur , ne , dum in alias regiones Gallorum impetus effunduntur , Reipublicæ ditio Cæsareanis exercitibus pateat .* 1529

Universi fere Patres in hanc ivere sententiam , in quam literæ ex Senatusconsulto ad Justinianum missæ sunt : eadem in mandatis Andreæ Naugerio data . Interea dum his de rebus in Senatu consulitur , Sebastiani Justiniani literæ supervenere , quibus significabat , Regem , maturius re expensa , de invadenda Hispania consilium immutasse , atque in Provincia copias cogere , & eo proficisci decrevisse , ut Cæsari in Italiam eunti iter præpediret , opportuniore in Italiam transeundi loco omnia necessaria compararet : viginti peditum millia Gallicæ gentis , decem Germanorum millia , totidem sponte merentium ducere secum statuisse . His intellectis , Andreæ Naugerio Senatus , ut apud Ludovicam Regis matrem oratorio munere fungeretur , mandavit ; Sebastiano vero Justiniano , ut Regem in Italiam proficiscentem comitaretur . Dum hæc in Gallia agebantur , cum communi ducum consensu primum Mediolanum oppugnare , mox adoriri Genuam statutum fuisset , Abduæ flumini trajiciendo pons conficiebatur ; eo consilio , ut mense aprili exeunte , trajectis Reipublicæ copiis , & cum Francisci Borbonii exercitu conjunctis , Mediolanum aggrederentur : si votis fortuna favisset , illo occupato , Cæsarem ab Italia averti posse rati ; præsertim classis auxilio accedente , quæ a Rege Massiliæ sedulo parabatur , adjunctisque viginti Reipublicæ triremibus , quas quamprimum Contareni ductu Tyrrhenum mare navigare decretum fuerat . Eodem tempore ad retinenda Reipublicæ in Apulia oppida , atque arces militum præsidia submittebantur , quæ in omnem eventum ad Venetorum fines augendos in promptu essent ; tum ut ancipiti Neapolitani regni , ac Galliæ Cisalpinæ bello Cæsareanos distinerent ,

*Senatus decretum.*

*Gallorum apparatus , ut iter Cæsari in Italiam præcludant.*

*Præsidia a Venetis in Apuliam missa.*

V 4 ut .

1529 ut sejunctis viribus imbecilliores essent. Aderant Reipublicæ octingenti cataphracti, leviores equites mille, octo peditum millia. Borbonio sex millium peditum numerus ad quatuor millia imminutus: neque ex Galliis subsidia ad instaurandum exercitum mittebantur; pecuniæ inopia milites a signis passim dilabi; reliqui egestate premi. Borbonius moræ impatiens, indignabundus reditum in Galliam moliebatur; neque cur Regis ardor in dies remitti, ac restingui videretur, conjectari poterat: ac licet Castellioneus cum pecunia ad Borbonium missus fuisset; ea tamen ob paucitatem neque tempori, neque rerum necessitati sufficere poterat. Itaque Senatus Regem per oratores enixe hortabatur, ne communibus rebus deesset, quamprimum exercitum instrueret, profectionem in Italiam maturaret; pecuniæ vim transmitteret: anni tempus poscere, ne otio tempus teratur; quæ mature decreta fuere quamcelerrime perficiantur; ut, si fieri posset, ipse Alpes transgrediens de Mediolani expugnatione, Genuæque invasione certius statueret. Castellioneus ab exercitu discedens Venetias cum venisset, in Apuliam cum pecunia, ad duces, ac milites sustentandos, se transiturum Senatui significaverat, navigiisque ad iter impetratis, varias morarum caussas nectendo, discessum proferebat; quæ res haud parvam de Regis consiliis suspicionem injecerat.

*Castellioneus cũ pecunia ad Borbonium.*

*Castellionei Venetiis in Apuliam cũ pecunia transit.*

His accedebat quod Joannes Joachimus extra ordinem legatus a Rege ad Senatum missus, ad Patrum Collegium una cum Arausionensi ordinario accesserat, Regisque literas dederat, quibus multa de bello administrando, viribusque augendis exarata erant; nihil in iis de adventu illius in Italiam continebatur: quæ res magnum cunctis metum incusserat, ne diversa secum Rex consilia agitaret; ac, si a Cæsare æquas pacis conditiones obtinere potuisset, & filiorum restitutionem, quorum summo flagrabat desiderio, parum rebus Italicis prospiceret: quocirca ut sedulo Regis ea in re animum explorarent, Præconsultorum sententias acri indagine perquirerent, oratoribus mandatum est. Altera ex parte ne otio miles torperet, initiumque belli fieret, cum opportunum ex hybernis educendis copiis tempus adesset, concilio habito, in quo Reipublicæ Legati, Franciscus

*Joannes Joachimus Galliæ ad Senatum orator.*

ſcus Sfortia, Joannes Fulgoſius, atque alii interfuere duces, Galeatius Vicecomes ad Franciſcum Borbonium mittitur, qui tempus Mediolani expugnandi adeſſe nunciet; cunctos in eam ſententiam duces iviſſe; idem Gallorum Regem, qui ſe Alpes tranſgreſſurum pollicebatur, ſentire. Id enixe Borbonio ſuadeat, illiuſque animum egregii facinoris deſiderio incendat; petat, ut quamprimum, Pado trajecto, Mediolanum verſus iter arripiat, Venetorum ſe copiis conjuncturus, quas caſtris educere decreverant, ut, ſociatis viribus, urbem adorirentur, haud exigua ſpe illius potiundæ, inſtaurato, atque aucto exercitu, qui præter equitatum duodecim peditum millibus conſtabat; ex his octo Venetorum, quatuor Sfortiæ erant, hoſtibus & numero imminutis, & commeatu laborantibus. Sed eo res Franciſci Borbonii prolapſæ fuerant; ita imminutæ vires; ad paucitatem redacti milites; omnium rerum, & pecuniæ præſertim inopia preſſi, ut neque caſtris movere copias, neque aliquid aggredi ſe poſſe diceret. Etenim ex peditum decem millibus, quos Rex illi pollicitus fuerat, in quibus duo millia Germanorum erant, quam pauciſſimi ſub ſignis aderant; Germani tantum quadringenti expectabantur. His auditis, Senatus pecuniæ vim Brbonio mittere, hortari, impellere, ut, quo maximo poſſet, militum numero Padum trajiciat: Gabrieli Venerio apud Sfortiam Reipublicæ oratori quinque aureorum millia, quæ Duci ad perſolvenda militum ſtipendia erogaret, tradita: & cum Urbinas Venetarum copiarum Imperator ex Flaminia reverſus, ut deinde ad exercitum proficiſceretur, Venetias perveniſſet, Nanio Legato, ut quamprimum copias trans Abduam duceret, decreto Senatus injunctum eſt. Neque Flaminiæ res prætermittebantur, cum Cæſare Fulgoſio, qui Ravennæ præerat, ad exercitum vocato, Thomas Conſtantius levioris equitatus Præfectus, cum ſexaginta equitibus Ravennam miſſus eſſet, ac Joanni Baptiſtæ a Caſtro Epirotarum equitum ductori, ut cum quinquaginta ſub illius auſpiciis militaret, juſſum eſt: in id Ravennæ Legato literis datis, a quo Senatus decreto in milites, qui nimia licentia, & luxu militarem diſciplinam corruperant, animadverſum. Dum hæc in Inſubribus, atque in Flaminia fierent, res Apuliæ variis eventibus agitabantur. Nea-

1529

*Galeatius Vicecomes a Venetis & Sfortianis ducibus ad Borbonium miſſus.*

*Thomas Cõſtantius equitum, & Joannes Baptiſta a Caſtro Epirotarum præfecti Ravennam miſſi.*

1529 Neapolitani exules haud mediocria Cæsareanis damna inferebant. Rentius Ceres, vir industrius, atque acer, partium vires augere enixus, in omnem occasionem intentus erat, sæpiusque per literas, ac nuntios sibi a Rege pecuniam, ac vires suppeditari flagitaverat; quibus si opportune adjutus fuisset, Venetorum classis, & copiarum auxilio aliquid moliri, & hostes distinere, ac præpedire potuisset. Verum cum nulla ex Galliis subsidia adventarent, quæ jam de Cæsaris adventu pervagata fama fuerat, accolas, ac proceres erexerat; ita ut Arausionensis Princeps in Aprutianos profectus, Aquilam, & Amatricem urbes recuperaret, indigenis pecunia, qua exercitui satisfaceret, mulctatis. In Apulia cum pellicere ad defectionem Baruli oppidanos tentarent, re patefacta, Julius Neapolitanus peditum præfectus, cum nonnullis oppidanis, facinoris auctoribus, ac consciis, capite pœnas luit. Græco Venetorum equitatu in ea provincia aucto, cum is sæpius ex urbibus exiret, agros non modo tuebatur, verum tuta ad commeatus excipiendos itinera reddebat, Pignatello, Borellique Comite equitum Græcorum virtute, ac disciplina ex iis finibus expulsis. At cum Vastium Marchionem Monopolis oppugnationem moliri ad Viturium Legatum perlatum esset, quingentorum peditum Ricciardo Pitilianeo, ac Felice Perusino præfectis, duabus triremibus impositis, Monopolim firmiore præsidio firmavit; oppido cum summa auctoritate Andreas Gritus Venetorum magistratus præerat. Montisbelli, & Carpenæ Comites haud exigua militum manu ibidem erant, qui ut fortiter hostium conatus excipere, ac propulsare possent, summo studio in circuitu cuncta complanare; munire mœnia; civium animos confirmare; necessaria cuncta ad firmandam urbem parare. Interim cum Vastius exercitum admovisset, ipse cum nonnullis e suis prægressus situm urbis intente explorare, qua maxime pateret ad urbem invadendam aditus scrutari. Nec mora, cum suis Petrus Frassina egreditur; pari virtute, ac fortuna utrinque leviori certamine pugnatum. Mox Vastius operibus intentus, ut propius accederet, vineas agebat, glebæ defectu olivarum sarmentis, quibus abundat regio, opera struebat: atque ut triremium subsidia oppidanis averteret, brevi militum industria munitionem vicino

*Aquila & Amatrice ab Arausionensi in Aprutianis occupata*

*Ricciardus Pitilianeus & Felix Perusinus cum præsidio Monopolim missi. Andreas Gritus Monopolis præfectus. Vastius Marchio Monopolim aggreditur.*

cino in litore erexit, quæ ipsarum triremium tormentis summo impetu disjecta est, propugnaculumque ad portum Veneti struxere, quo maris aditus ab hostium injuriis tutus pateret: quæ res ad urbis salutem summo momento fuit. Nam Camillus Ursinus a Tranio cum tribus triremibus subsidio supervenit, secumque Angelum Sanctocorcium, virum strenuum, atque arte elaboratorum ignium inventorem, duxit, cujus ope injectus in vineis hostium ignis, pabulum ad flammas alendas sarmentorum materia suppeditante, omnes fere illius vi absumptæ sunt; ita ut ad illas reficiendas, atque instaurandas multum laboris, ac temporis opus fuerit; assiduis præsertim tormentorum ictibus, quæ e duabus turribus displodebantur, hostibus male habitis, ac perturbatis. Tandem post multos labores cominus mœnia quati cœpta, stratis multis partibus, aditus patefactus: noctu milites, atque oppidani disjecta sarcire aggressi, intercludere hosti vias, dejectam in fossas materiam intus, qua se tuerentur, comportare: magnus civium ardor, incredibilis ad munia militaria obeunda militum solertia: in mulieribus quoque ipsis generosus animi impetus emicabat, quo pro mœnibus milites incitabant, proprioque commeatu juvabant: strata etiam ipsa, ac pulvinaria ad munimenta reparanda impendebant. Vastius milite adoriri urbem non ausus esset; ni moræ pertæsus, multarumque rerum inopia adactus eventum experiri satius, quam re infecta, regredi statuisset. Itaque magno impetu urbem aggredientem intrepide milites excepere, multorumque cæde pulsus inceptum prætermittere coactus fuit; quodque vi minime obtinere potuerat, obsidione consequi posse ratus, undique urbem circumsidere statuit. Verum ex ea bellandi ratione cum multa suis copiis incommoda accederent, lenteque stipendia persolverentur, seditiones, ac tumultus inter milites, & præcipue Italos pedites ortæ, quorum major pars, relictis signis, in oppidum concessere, Venetæque militiæ adscripti, ne obsessis incommodo essent, mari Tranium mittebantur. Dum transveherentur, duæ triremes maris, ac procellarum impetu disjectæ, atque propinquis litoribus illisæ; cujus eventus rumor, cum ad hostium castra pervenisset, Hispanorum manus ad prædam ex naufragio colligendam accur-

1529

*Camillus Ursinus ad subsidium Monopolitanorum.*

*Vastius a Monopolitanis rejectus.*

1529 currit, qua mox a præsidiariis Tranii militibus recepta, haud mediocri Hispanis ea res constitit. Neque adhuc obsidionem hoste relinquente, Legatus Viturius censebat, ut Cæsareanorum oppidum aliquod nostri aggressi, hostes a Monopolitana obsidione revocarent. Verum Ceres satius esse ducebat, ut aucto Monopolis præsidio, improviso milites egressi, hostes nihil hujusmodi opinantes in castris adorirentur, qui Italorum discessione, Germanorum fessis animis, atque corporibus, minus ad obsistendum parati erant. Itaque cum duobus peditum millibus Amalphitanus Princeps in oppidum pervenit, inde obsessis robur, ac vigor accrevit: ante solis exortum oppido erumpentes, magno impetu castra hostium aggrediuntur; ad vallum pugnant; multos interficiunt, quorum loco alii ad propugnanda castra subeunt; sed & loci natura, & vallo muniti, ut castra desererent, minime cogi potuere. Interim Veneti nova subsidia, & commeatus navigiis transmittenda parant. Hujus rei rumor cum ad Vastium pervenisset, spe dejectus, obsidione soluta, Conversam cum se recepisset, inde Neapolim profectus est. Senatus prospero hoc eventu in spem Brundusii iterum potiundi adductus, classis Imperatori, ne Corcyræ amplius cunctando tempus tereret, in Apuliam proficisci jubet, qui a promontorio Iapygio omnem excurrendo maritimam Apuliæ oram infesta maria hostibus reddebat, atque Brundusio per deditionem potitus, ac Joanne Francisco Justiniano Reipublicæ nomine præfecto, arces circumsidet. Camillo Ursino expugnandi onus tribuitur, mœnia quassantur, dejiciuntur; incolæ omnium rerum necessitate premuntur, spe tantum Cæsareanæ classis nixi. Simeon Romanus dum impigre, ac fortiter operam in ea expugnatione navat, fato concessit.

*Amalphitanus Princeps Monopolim cum præsidio ingreditur.*

*Vastius, Monopolis obsidione relicta, Neapolim proficiscitur.*

*Brundusio a Venetis capto Joannes Franciscus Justinianus præficitur. Simeonis Romani obitus.*

Interea Urbinas in castra Venetorum pervenerat, & quamprimum, uti decretum fuerat, Mediolanum versus movere statuit; cum Franciscus Borbonius se eodem itinere ductурum copias significasset; ac ii, qui Sfortiæ militabant, partim Gallo, partim Venetis adjuncti, ut utroque exercitu hostes oppugnarentur, spe haud mediocri erecti essent, non minus Borbonii fortuna, quæ per hos dies illi felix affulserat, quam hostium incommodis, ac necessitate voti se

com-

1529

compotes futuros. Nam multa trans Ticinum oppida deditione Borbonius receperat; neque præter duas arces quidquam Cæsareani in ea regione retinebant, neque eorum militum præsidio, qui ad duo millia ex Hispaniis advenerant, atque a Genuensibus urbem ingredi prohibiti, Mediolanum introierant, hostium vires augebantur; etenim omnium rerum egeni, ac prope seminudi, horrido, squalidoque adspectu, ut fame confecti viderentur, ærumnas, calamitatesque aliorum haud parum auxerant, pecunia, rebusque ad victum necessariis in dies deficientibns. Copiæ ad Divi Martini oppidum, quod quinque millia passuum a Mediolano abest, convenere: ibi de bello administrando consilio habito, statutum est, duplici exercitu urbem circumsidendam, ut amplissima civitas in plures partes distenta facilius in potestatem veniret. Verum lustratis copiis, valde imminutus militum numerus conspiciebatur; Galli Venetos, Veneti Gallos insimulabant, alteri in alteros culpam conferebant: Præfecti, ductoresque animi vim ad tantum facinus aggrediendum necessariam remittebant, bellandi ardore restincto, ut tandem sejungi copias, ac separatim oppugnationem aggredi non sine periculo posse compertum fuerit. Ea res cœptis desistere, atque abducere exercitus imperatores coegit, alia ratione hostes oppugnaturos: nam Borbonius Landriani, Urbinas Modoetiæ castra posuere, Sfortia Ticinum cum suis copiis ingredi statuit, eo consilio, ut qua quisque posset, itinera impediret, regionem vastaret, commeatus interciperet; his victoriam nancisci, ac tandem Mediolanum, & Comum, quæ duæ insignes urbes Cæsari parebant, in suam redacturos potestatem rati: fieri enim non posse, ut Mediolanum ipsum tot calamitatibus oppressum, confectumque, annonæ summis in angustiis, vastatis, ac direptis agris, sævientibus in incolas militibus, nutantibus civium animis, diu sustineretur. At cum Gallus in castra pervenisset, omissamque Mediolanensis oppugnationis occasionem cerneret, Genuam cum suis copiis contendere in animo se habere significavit; ad id in primis a Cæsare Fulgosio impulsus, qui inani spe adductus, omnia celerrime, ac nullo fere negotio confectum iri pollicebatur. Itaque ad castra cito regressurum se dicere, Urbi-

*Franciscus Borbonius Genuam invadendam decernit.*

1529 Urbinatem hortari, ut cum Sfortia in iisdem locis manerent, e quibus hostibus damna inferre possent, neque obsessis ulla quiescendi facultas daretur. Kal. junii Franciscus Borbonius, arrepto Ticinum versus itinere, exercitum movit; impedimenta, & machinas bellicas, primumque suorum agmen jussit incedere, cui Guido Rangonius præerat; ipse medium, postremum Claudius Rangonius ductabat. Hujus rei Antonius Leva per speculatores antea certior factus, urbe egredi, Gallos insequi, ac, si ita ferret occasio, cum hoste acie confligere, nihil hujusmodi opinantem opprimere decrevit. Mediolani ad arma conclamatur, coacti milites, candido amictu superinduti, ut a suis noscerentur, Antonium Levam sequuntur; illum podagra, & articulari morbo membris fere cunctis captum, sella incubantem, quatuor armati gestant; summo silentio, tubarum clangore, tympanorum sonitu omisso, ordine militari incedit. Duo millia passuum hosti proximus, ab exploratoribus edoctus, nondum Landriano abiisse Gallos, citatiore gradu progressus, extremum agmen adoritur, ac priusquam illius adventum persentirent, invadit hostes, qui inopinato Cæsareanorum adventu perterriti, nihil ex ordine agebant; non vires, non animum ostentabant, ut a pedite, & levioris armaturæ equite impetu facto, loco cedere, seque recipere cogerentur. Franciscus Borbonius media in acie subsistit, hostium aggredientium conatus, atque impetus egregie sustinuit. Utrinque pari animo, haud dispari fortuna pugnatur; non minima spes in Germanis erat, quos ad duo millia & quingentos, partim ex hostium transfugis, partim ex Germania evocatis, coegerat. Verum cum Antonius Leva cum reliquis copiis, in quibus veteranus miles Hispanus erat, supervenisset, perculsi Galli, ac Germani loco cedunt. Itali pedites ad duo millia, Hieronymo Castellioneo, & Claudio Rangonio ducibus, labantes reliquos confirmant; præliantur aliquandiu æquis animis; tandem cuncti terga hostibus dantes fuga salutem quæsivere. Borbonius præaltam fossam equo transilire nixus cum Castellioneo, Claudio Rangonio, atque aliis plurimis in potestatem hostium venit; equi, jumenta, vehicula, sarcinæ, machinæque bellicæ hostibus prædæ cessere: qui superfuerant, in diversas partes dispersi,

*Antonius Leva Gallos aggreditur, & fundit.*

*Franciscus Borbonius a Cæsareanis captus.*

quam-

quamplures in ditiones Venetorum excepti afflictis rebus perfugium invenere. Prælii eventus cum ad Urbinatem allatus esset, Modoetia movere, atque ad Cassianum, ubi prius fuerant, castra locare statuit; quinque peditum millia sub signis habebat, quadringentos cataphractos, ac septingentos levioris armaturæ equites : ad hæc sarcinas, atque impedimenta. Præalta erat via, qua iter agendum erat, copias in tres acies sejunxerat tanto intervallo, quantum, ut sibi invicem subvenire possent, satis esset : magna sclopetariorum manu mediam aciem protegebat, sinistra Cæsareanos distinere conatus : levis equitatus regionem undique excurrebat; hostium consilia explorabat, ne qua inopinato impressio fieret. Hac arte incolumem exercitum ad Cassianum perduxit, propinquum Abduæ flumini oppidum, cui pons superinjectus in Abduanam glaream transitum præbebat : hoc veluti munimento exercitum tutari, circumquaque castra aggere, ac fossa munire statuit, una tantum iter ad castra faciente via; inde Laudi, ac Ticino succurri, damno hostes affici, Reipublicæ fines defendi, Genuensi expugnationi magnum momentum afferri poterat. Hoc ducis consilium mirifice probavit Senatus; quamvis Joannes Maria Fulgosius Brixiam ducendas copias, cum impares numero hostibus essent, censeret. Nam Leva recenti victoria elatus, jam animo de fœderatis triumphum ducens, Urbinatem insequutus, ad Vavrium, quod duo millia passuum a Venetis aberat, castrametatus est, cum plerique illum Abduam trajecturum, Brixiensem, ac Bergomatem agros vastaturum, vererentur. Nostri levioris equitatus numero, ac virtute hostibus præstabant; qui circumjacentem regionem lustrabat, ne commeatus hostibus importarentur, impediebat, tantumque terroris injecerat, ut nemo extra vallum egredi auderet. Urbinas & loci opportunitate, & rerum copia milites sustentabat; neque civitatibus, atque oppidis oneri erat; adhuc Fulgosio contradicente, atque alio adduci exercitum suadente. Sæpius hinc, atque inde levioribus præliis dimicatum, pugna male habiti hostes discedere coacti : justum prælium imperatores detrectabant. Antonius Leva, ut aliquo facinore accepta damna sarciret, Cæsarem Neapolitanum trans Abduam ad diripiendos Brixiensium, ac Bergomatum fines mittit.

*1529*

*Urbinas Cassianum se recipit.*

*Antonius Leva ad Vavrium.*

*Cæsar Neapolitanus à Leva trans Abduam missus.*

1529 mittit. Urbinas re per speculatores cognita, Comite Calatiæ in castris relicto, haud parva cum militum manu, qua hostes flumen trajecturi erant, in insidiis se collocat; parte hostium trajecta, inopinato a tergo alios, qui adhuc in ripa substiterant, adoritur, ac ne fuga saluti consulerent, occupare equites, atque intercludere aditus viarum jubet. Hostium præfectus præsenti periculo perculsus, excindi pontem, ne Urbinas, transitu facto, aggrederetur, mandavit; qui cis flumen erant, ad mille & quingenti, aut cæsi, aut captivi in nostrorum potestatem pervenere: in jis Hispanus miles a proceræ staturæ femina, quæ virum ementita inter milites Calatiæ Comitis stipendia merebat, captus est; *Margaritonem* illam vocabant, qua in conspectum Hispani quadam die venire jussa Comes ad Hispanum versus, illum ludificando: *En*, inquit, *miles, qui te captivum fecit*. Tum Hispanus, *in sua calamitate id sibi solatii esse*, inquit, *quod in manus viri strenui, ac fortis pervenisset*. Verum cum feminam illam esse intellexisset, mœrore atque pudore confectus, indignabundus vita excessit.

*Hispanorum milites ab Urbinate cæsi, & capti.*

Urbinas, ne nihil agendo tempus tereret, continuo multa animo agitare; duces, ac præfectos ad consilium vocare; moliri quanam potissimum ratione hostes ad castra deserenda cogeret; tandem universis egredi copiis, atque acie, si occasio tulisset, confligere cum hoste decrevit. Itaque in unum locum machinis bellicis coactis, cum universis copiis castris, ac tribus tormentis egreditur, eo consilio, ut illis a tergo relictis, cum primum ad certamen ventum esset, ipse simulato timore se reciperet, inde hostes, ut tormentis potirentur, insequuturos sperabat. Tum machinis bellicis extemplo displosis, ordines hostium turbare cœpit, ac nihil hujusmodi opinantes disjicere, ac vulnerare interea majori impetu illos turbatos, ac palantes aggressurus. Sed res minime consiliis respondit: nam Calatiæ Comes cito nimium cum peditum manu prægressus, longinquo a castris loco pugna cœpta, cum hostes diutius sustinere non posset, quamvis Ducis muneri non deesset, pedem referre coactus fuit. Urbinas cum periclitantem animadverteret, cum reliquis copiis præsto fuit, tantaque vi, atque impetu hostes invasit, ut Cæsareani milites, qui nostros insequebantur, in fugam conjecti, nullo ordine

ne ad castra redire, Venetorum militibus semper urgentibus, compulsi sint. Mille ac quingenti Antonii Levæ pedites cædem, vel captivitatem perpessi sunt, ut mox neque exire castris milites sineret, neque aliquid aggredi auderet: inter varias curas, ac difficultates suspensus animo hærebat; hinc commeatuum inopia premi, inde movere castra famæ, ac militari virtuti indecorum videbatur; in Venetorum regiones incassum exercitum duci, urbibus, oppidisque & præsidio militum, & annona munitis: in Mediolanensibus diuturnitate belli, militum injuriis suprema prope desperatio inerat; Cæsareanorum jugum excutere, ac Sfortiæ imperio, cujus dominatum experti fuerant, maxime cupientibus. In hoc ancipiti rerum eventu Leva se Mediolanum recepit: illo profecto, Urbinas castra ad Modoetiam urbem propius admovere decreverat. 1529

*Antonius Leva Mediolanum regreditur.*

Ita res Insubrum se habebant, cum Galliæ Rex inter belli, pacisque consilia pendens, modo se quamprimum in Italiam venturum significaret; nonnunquam vel adverso suarum copiarum fato, vel filiorum cupiditate animum ad pacem flecteret: multa per suos oratores Venetiis cum Senatu agebat, & a fœderatis, pecunia loco militum solveretur, petebat; his de rebus oratores ad se mitteret; atque classem in mare Tyrrhenum, & subsidia in Hispanicam, quam moliri se ajebat, expeditionem, subministraret. His Senatus decreto responsum est: quos ex fœdere spopondisset milites præstaturum; nihil esse cur pecunia miles mutaretur; militum virtute belli munera obiri: quamprimum Italiæ appropinquaret, oratores missurum; copias, Reipublicæ Legatos, Imperatorem denique ipsum Regis imperata in bello administrando facturos; Contarenum Legatum cum viginti selectis triremibus quamprimum Massiliam, ut cum regia classe conjungeretur, profecturum; demum quæ conditionibus, pactisque teneretur, moto in Hispaniam bello, collaturum. Sed altera ex parte secreto de ineunda inter Carolum, ac Franciscum pace consilia agitabantur; Margareta Austriaca, Cæsaris amita, quæ Belgio præsidebat, in id enitente, cui ipse facultatem contractandæ, firmandæque pacis dederat. Hæc per nuntios sæpius in Galliam missos Regem ad pacem hortabatur; a qua licet minime averso animo esset, prius tamen, an ad summi momen-

*Margareta Austriaca de pace cum Gallis agitationes.*

1529

*Lelubajardus a Rege in Belgium missus. Ludovica Regis mater ad Cameracum ad pacem sanciẽdam. Franciscus Rex, ut Senatus oratoribus mãdata de pace daret, postulat.*

ti negotium peragendum mandata Cæsaris sufficerent, disquirere voluit; ad eam rem explorandam Lelubajardum cubicularium a secretis in Belgium misit, visaque quam Margaretæ amplissimam facultatem Cæsar dederat, Rex Ludovicam matrem Cameracum misit, ut de pace ageret; iis se, quæ ambæ simul decrevissent, pollicitus assensurum. Rex ea consilia initio tecta, mox oratoribus explicuit, nullas concordiæ conditiones amplexurum testatus, ni prius Senatui, ac reliquis fœderatis expositis, eorum voluntas accederet: interim propensum illius, atque benevolum in Rempublicam animum officii plenis testari verbis; ad pacem hortari; demum petere, ut a Senatu oratoribus ad negotium conficiendum mandata mitterentur. His a Patribus intellectis, quamvis Regis consilia, actionesque suspectas haberent, quippe qui modo in Italiam se venturum, modo ingentia subsidia submissurum cum diu affirmasset, clam de pace cum Cæsare agitaret; attamen ne ab eo, quod ceteri Principes cupere videbantur, alieni se patefacerent, mandata oratoribus, ut paci subscriberent, dedere, modo communi reliquorum fœderatorum consensu esset amplectenda. Illud adjectum est, si Rex ab Italico proposito itinere abstinere velit, saltem copias ad decem millia peditum augeat; duodecim millia præter cataphractos, & leviores equites, tormentaque, Reipublicæ militaturos. Nondum his Senatus literis in Galliam allatis, Andreas Naugerius gravissimo morbo conflictatus Blesis excessit, vir excellenti ingenio, omnibus disciplinis, politioribusque præsertim studiis instructus. A prima juventa Bartholomæi Liviani, terrestrium copiarum Imperatoris, consiliorum particeps, atque itinerum comes; mox accedente ætate, summis negotiis apud summos Reges assuetus, cui ob singularem facundiam, maximarumque rerum usum Decemviri Historiæ Venetæ conscribendæ onus detulere: licet illius fructus acerrimi ingenii censura, ex testamenti tabulis concrematis libris, ad posteros minime pervenerit; ex cujus obitu summus omnium ordinum civitatis mœror fuit. In ea legatione Marcus Minius suffectus est. Sebastiano Justiniano literæ dantur, quibus quo in statu res Italiæ sint, Regem edoceat; octo millia peditum in Hastensem agrum Rempublicam si in Italiam

*Senatus mãdata paci subscribẽdi oratoribus tribuit. Andreæ Naugeri obitus.*

*Marcus Minius orator in Gallia. Veneti per Justinianũ oratorem in Italiam Gallos alliciunt.*

liam venerit, obviam missuram; hunc militum numerum singulari studio augeri; octingentos cataphractos, mille quingentos leviores equites in promptu esse: Sfortiam duo peditum millia habiturum; Florentinos quinque millia, leviores equites sexcentos: si ipse, ut fertur, triginta millia armatorum, adjectis quinque peditum millibus, quorum stipendiis persolvendis vicena in singulos menses aureorum millia Senatus pollicetur, in Italiam adduxerit, amplius quinquaginta militum millibus, præter equitatum, exercitum conflatum iri; atque non modo ad obsistendum hostibus, verum etiam ad confligendum, & vincendum satis futurum: si vero ea Regis menti insidet sententia, minime transgredi Alpes velle, viginti peditum millia, adjecto equitatu, sub claro, militariumque rerum experientia insigni imperatore, in Italiam, mittat; ne Cæsari advenienti nobilissimæ provinciæ excurrendæ liber undique campus pateat. Id tertium superesse, si Cæsar, quod vix credi potest, de sua profectione consilia reliquerit, qua ratione bellum gerendum sit; id si eveniat, duodecim millia peditum ab eodem postulare, Rempublicam totidem habituram, duo Sfortiam, quatuor Florentinos præstaturos, ut triginta millium exercitu confecto, equitibus adjunctis, bellum confici, repelli hostes, ac debellari tandem possint. Ut hæc perficerentur, exercitum numero, ac virtute militum instaurare, atque augere Senatus nitebatur; ob id Præfecti, ac Duces ad delectus peditum, atque equitum habendos designati: Sigismundus Malatesta, Bernardinus Montacutius, Gabriel a Ripa, Hercules Poeta, Pompejus Ramazzottus, Antonius Scolarius, Justus Gualdius, Babo Naldius, Galeottus Malatesta Ariminensis in eo numero, atque alii fuere. Ad hæc cum Germanos per Tridentinos saltus in Cisalpinos exscensuros multis nuntiis perferretur, ne quid ea in parte detrimenti Respublica caperet, Joannes Delphinus legatus a Senatu deligitur, muniendorum aditUum, qui ex Germania in Veronensem agrum patent; ordinariorumque militum recensendorum causa Franciscus Paschalicus legatus creatus est. Inter hæc primum subobscure, dein crescente, ut assolet, fama, vulgari cœptum; Sfortiam clam cum Cæsare de pace agitare. Id licet minime sibi suaderet Senatus, tot

1529

*Præfecti militum ad novos delectus a Senatu designati.*

*Joannes Delphinus legatus trãs Mincium.*

*Franciscus Paschalicus in Veronensibus legatus.*

*Rumor de Sfortia cũ Cæsareanis tractationibus.*

1529 beneficiis Mediolani Ducem devinctum, separatim quidquam acturum: attamen moveri castra, atque tutiori loco locari placebat, ne, si quid inopinato accidisset, ad Bergomo subveniendum aditus intercluderetur: ac primum ad Laudem castrametari; tum ad ducem in fide retinendum, tum oblata occasione ad aliquid adversus hostes moliendum opportunum videbatur. Verum re maturius perpensa, Leva ad Trevium potiundum, ut a Bergomo subsidia averteret, animo adjecto, ac de adventu Germanorum in Veronensium fines rumore increbrescente, intra Reipublicæ fines reducere exercitum decretum est. Urbinas cum copiarum parte Brixiam se recepit, cum reliquis Calatiæ Comes Bergomum se contulit. Joannes Fulgosius summa fide, ac prudentia Venetarum copiarum Præfectus, morbo correptus interiit. Filii a Senatu ob patris in Rempublicam merita honoribus militaribus decorati: Cæsar leviorum equitum præfectura ornatus, Alexander cataphractorum ductor, Annibal peditum major Præfectus creatus est. Interim, urbe Monopolitana obsidione soluta, Amalphis, & Juvenatium Apuliæ oppida a Venetis capta sunt. Inde majora animo classis imperator, ac legati concepere, consilia hostium interturbare agressi, quos cum Arausionensi Principe in Hetruriam exercitum ducturos, Perusiamque oppugnaturos, per exploratores cognitum erat. Ac per eos dies Urbinatis uxor per literas Senatui significaverat, vereri, ne, ut rumor erat, bellum Ducis ditionibus inferretur: itaque ut trium millium peditum jam decreta stipendia ære publico ad protegendas eas regiones persolverentur, a Senatu sancitum est. Imperatori, ac Legatis mandatum, ut terrestribus, maritimisque viribus hostem distinendo, ab Hetruria, ac Flaminia invadenda averterent. Rentio Ceriti Senatus nomine gratiæ actæ, quod consilio, atque ope Reipublicæ res in iis provinciis adjuvisset; mille pedites Viturio legato petenti in Apuliam supplemento copiarum missi.

*Joannis Fulgosii obitus.* *Fulgosii filii a Senatu honoribus militaribus decorati.* *Amalphis, & Juvenatium a Venetis capta.* *Urbinatis uxori litera ad Senatũ.* *Senatus decretum ut stipendia militibus ad Urbinatis ditiones protegendas solverentur.*

Interea Cameraci in Belgio de pace inter Imperatorem, atque Galliæ Regem secreto agebatur; neque Sebastianus Justinianus, qui cum Reginam Cameracum comitatus esset, in oppido Sancti Quintini morabatur, quid in eo conventu ageretur, certo scire poterat: nihil socio, ac fœderato consiliorum Galli com-

communicabant. Hæc Senatui significata solicitos Patres habebant, ne Rex, fœderatis omissis, cum Imperatore paciscеretur, magísque in ejus animo præsens utilitatis species, quam sociorum fides vim esset habitura. Ipse vero vel ut æquiores, atque honestiores pacis conditiones consequeretur, vel ut sociorum suspectas mentes firmaret, extra ordinem oratores ad Senatum miserat, qui de expeditione Italica agerent, in quibus Theodorum Triultium, ac Joannem Joachimum, qui Regis nomine Flaminiæ urbes depositi loco apud illum statui peterent, quousque ad exitum grave illud negotium perduci posset: huic rei si Senatus annuat, fœderi Clementem adjunctum iri; id summi momenti ad res feliciter conficiendas fore. Ad ea Senatus decreto responsum est: Reipublicæ ad pacem constituendam oratori in Galliis facultatem impertitam: in Cameracensi conventu de conditionibus disceptari; inter cetera de hoc quoque agendum; neque vero Senatum, suis rebus tutis, ac reliquis compositis controversiis, a Regis sententia, & voluntate alienum fore. Oratorique in Galliis Senatusconsulto datæ literæ, quibus jura, quæ in Ravennæ, & Cerviæ urbibus obtinebat, summo studio tueretur, injungebatur; ne de hac re per pacis conditiones transigeretur, laboraret; ad extremum, ni aliter fieri posset, urbes Regi ad tempus traderet. Episcopus quoque Tarbellensis per hos dies Venetias venit; is, ut quæ bello necessaria forent, Senatus pararet, postulabat; triginta aureorum millia in singulos menses pro septem millium ac quingentorum peditum stipendiis, ut Regi persolverentur, petebat. Senatus decreto in hanc sententiam Tarbellensi dictum est: cupere magnopere Senatum post tot bellorum clades Cameraci pacem publicam, ac communem inter Christianos Principes, ita Christianæ Reipublicæ afflictis, & perturbatis rebus poscentibus, firmari, regios juvenes in libertatem vindicari; quæ si adversante fortuna obtineri nequeant, quid reliquum esse, nisi ut bello decernatur? Rempublicam pacis semper studiosam, atque appetentem, bellum tum suadere: Regi potentissimo in Italiam trangresso, firmissimis, ac validissimis copiis, omnia prospera eventura: illius adventu fœderatos, auctis animis, nihil non, quod in rem communem esset, præstaturos: Tarbellensem

1529

*Theodorus Triultius & Joannes Joachimus oratores ad Venetos, & eorum officia.*

*Senatus responsio.*

*Mandata Senatus ad oratorem in Gallia.*

*Tarbellensis Galliæ oratoris officia de bellicis apparatibus.*

*Senatus responsio.*

1529 orare, ut Regem hortaretur, atque ad egregium facinus aggrediendum impelleret: ceterum triginta, quæ menstrua peteret, aureorum millia, non Senatus animo, viribus certe imparia esse: satis fuisse, viginti millia ad pecuniam quinque peditum millibus erogandam obtulisse, cum adhuc octo millia peditum octingenti cataphracti, mille ac quingenti leviores equites sumptibus suis alendi forent. Regem summa æquitate vires Venetas metitum, satis sibi factum a Senatu censuisse, nil amplius ob suum in Italiam adventum petiisse: sin Rex atque Cæsar ab Italico itinere abstinerent, tum duodecim peditum millia sub signis, uti Regi pollicita fuerat, Rempublicam habituram. Tarbellensis Senatusconsultum minime sibi placere ajebat; ampliora petere, hærere, sermonibus anceps, hæsitabundus; regias quoque artes non ita satis tegere, ac celare, quin sensus animi latebris quamvis involuti manifeste se promerent, atque patescerent. Quocirca Senatus magis ambigere cœpit, suspecta omnia habere, timere, ne pace devincti Reges aliquid in communem aliorum Principum perniciem molirentur, ac ne Rex prorsus Italiæ rationes abjiceret. Itaque Ludovico Faletro apud Henricum Angliæ Regem oratori mandatur, ut quam maxima possit diligentia, quæ Cameraci de pace agantur, exploret; Regem adeat; Rempublicam summa in illum observantia, ac studio tueatur, roget; neu patiatur quidquam Cameraci, quod illi detrimento foret, agi posse: id enim non citra summum Italiæ periculum, ac Reipublicæ Christianæ damnum eventurum; propensam difficillimis temporibus Angliæ Regum voluntatem, ac studium Senatum expertum fuisse, atque ex eo potentissimos Reges sibi ingentem apud cunctas nationes laudem comparasse, quæ illorum nomina æternitati consecrasset. Neque interim qua mente circa concordiæ pactiones Senatus esset, quin apud Gallum oratori significaret, omittere placuit: in primis Franciscum Sfortiam in avito Insubrum imperio retinendum, Mediolani Ducem declarandum esse, cujus causa tot suscepti labores, tot thesauri impensi, bellatum per tot annos foret. Tum ut Venetæ pacis anni M. D. XXIII. pacta perficerentur, ducentorum aureorum millia, uti ea cautum erat, statutis temporibus Rempublicam persoluturam, si Ferdinandus Imperatoris frater oppida,

*Mandata Senatus ad Ludovicum Faletrum in Anglia oratorem.*

*Consilia Reipublicæ de pace ad Galliæ oratorem transmissa.*

pida, quæ ex Vormacienſi fœdere debebat, reſtitueret: ad hæc octoginta aureorum millia, quæ pro eo, quod superioribus annis Venetæ copiæ Cæsareanis junctæ non fuerant petebantur, ſponte, non ex debito præſtaturam. Deinde, ſi Rex quæ in Neapolitano regno loca obtinet, Imperatori reſtituat, idem de Apuliæ urbibus Rempublicam facturam, modo ii, qui ad illius partes acceſſerant, pœna non mulctarentur. Mox quod ad Flaminiæ urbes ſpectat, ni alia ratione res tranſigi poſſit, in auctoritate Regis futuras; donec jure diſceptatio inter Pontificem, ac Rempublicam dirimatur. Demum Ferdinandus, uti quoque antea in aliis tabulis concordiæ factum fuerat, cunctis aſſenſurum, pacique ſubſcripturum polliceretur. 1529

*Cæsaris ad Genuam adventus.*

Hæc Sebaſtiano Juſtiniano de pace agenda Senatus decreto ſcripta fuere vij. idus julii. Cæſar tandem pridie idus auguſti Genuam cum quinque, ac triginta triremibus, octoginta majoribus navibus pervenit; octo peditum millia, mille equites ex Hiſpaniis ſecum advexerat, Savonæque exponi juſſerat. Quo facilius in Ciſalpinam Galliam iter arriperent, Placentiam proficiſci decreverat, præmiſſis qui copiis neceſſaria compararent; ſtatimque Antonio Leva ad ſe vocato, quem poſt Franciſcum Borbonium captum, & Gallos profligatos, mox in Venetos, qui tum ad Caſſianum caſtrametabantur, irrito conatu exercitum adduxiſſe diximus, de rerum in Inſubribus ſtatu plura egit. Aderant Antonio Levæ hoc tempore duodecim peditum millia: Arauſionenſis Princeps eodem tempore e Neapolitanorum finibus copias Spoletum adduxerat; eodem Pontificis milites advenere, qui, Barchinone clam cum Cæſare fœdere inito, in gratiam redierat. Germani, decem millium peditum exercitu ad Banzanum oppidum luſtrato, per Tridentinos ſaltus in Veronenſem agrum deſcendere cœperant, ita ut Cæſari quadraginta millia peditum adfutura conſtaret; præter equitatum, qui virtute plurimum pollebat, Burgundionibus Germanis adjectis, ſimul ad decem millia. Hoc Cæſaris adventu, quamvis ipſe ad res componendas, ad pacem inter Principes firmandam ſe in Italiam profectum, non obſcuris verbis ſignificaret; attamen omnium Italorum Principum perculſæ mentes, ac ſolicitæ, quonam ingens hic armorum terra, marique apparatus evaſurus eſſet, cum nulla ſpes in Gallorum ſubſi-

*Fœdus inter Pontificem ac Cæſarem Barchinone initum*

*Cæſareani exercitus.*

*Italorum Principum ob Cæſaris adventum cõſternatio.*

 diis

1529 diis foret; jamque Rex abjectis belli consiliis, omnem recuperandorum liberorum spem in pace reposuisset, quam inter ambos Principes Cameraci initam fuisse, incertis rumoribus augente fama, per omnium ora vulgabatur. Magis quam ceteri soliciti Florentini erant, adversus quorum libertatem Clementem cum Cæsare conspirasse ferebatur: reliqui minores Principes quo se fortuna vergeret, spectabant, non in bello, atque armis, sed in deprecationibus apud Cæsarem, & in illius clementia incolumitatem collocantes. Pontifex, qui, libertate impetrata, variis artibus abdita animi texerat, fœderatos spe, ac verbis ludificatus, detectis consiliis, in Cæsaris partes palam transgressus, ex illius nutu, atque auctoritate totus pendebat, Cæsarique Genuam adventanti tres e præcipuis Cardinalibus obviam miserat. Florentina Respublica, cui ingentem tempestatem imminere multa portendebant, quatuor statim oratores ad Cæsarem miserat, ut illius mentem explorarent: quod civitas cum fœderatis adversus ipsum arma sumpsisset, id, Clemente suadente, atque nitente, factum; Cæsari suas res commendare; in illius voluntate, atque auctoritate futuram. Verum cum Pontifici, ac Cæsari maneret immota sententia Reipublicæ Florentinæ immutandæ, nihil obtinere potuerunt. Ferrariensis item oratorem ad Cæsarem miserat. Mantuæ Marchio ad eundem profectus fuerat: ita cuncta pavoris, ac consternationis plena erant. Veneti per tot annos communi omnium consensu Italicæ libertatis, & dignitatis vindices, quamvis armatum Imperatorem in medio Italiæ inspicerent; Pontificem illi adhæsisse cernerent; nutantes Florentinos; reliquos vero magno veluti fulgore correptos, qnid consilii caperent, aut quo se verterent, ignorare, nisi in Cæsare perfugium haberent; a Gallo nulla belli subsidia expectari posse; tamen infracto animo, impavidi ad omnia fortunæ tela excipienda, durato assiduis curis, ac molestiis animo, nihil humile, aut demissum agere decrevere. Partam a majoribus libertatem, & gloriam, ab iisque posteris per manus traditam conservare statuunt; neque insitam majorum Principum animis ambitionem, ac fastum experiri velle; cum sibi suaderent, Cæsarem, qui per tot annos nobilissimæ provinciæ dominationem affectaverat, Pontificem pollicitis oneraverat, reliquos

*Cardinales Genuam a Pontifice ad Cæsarem missi.*

*Oratores Italorum Principum ad Cæsarem.*

*Venetorum constantia.*

quos sibi colla submittere perspexerat, a cupiditate non temperaturum; verum quascumque sibi leges libuisset, Italis impositurum. Itaque cum Leonardus Haimus consilii, ac Hieronymus Pesareus continentis Sapientes de duobus legatis ad Cæsarem designandis ad Senatum retulissent, vigintiduo tantummodo ex Senatoribus assensere. Id omnium animis firmissime hæserat, ut nullis impensis, nullis vigiliis parceretur, quidquid publice, quidquid privatim Veneti possent, id omne pro Reipublicæ incolumitate, ac dignitate impenderetur: inde novos delectus militum haberi; duces, ac præfectos ære publico, & præmiis acciri; urbes munire, quindecim peditum millia Reipublicæ militarent, decretum; neque quidquam, ut perculsos, atque dejectos fœderatos confirmaret, animos erigeret, ne adversæ fortunæ telis cederent Senatus omittebat; quæ maxima a Republica expectari possent subsidia præstaturam, Cæsare e Placentino profecto, copias in Parmensem agrum, vicinaque illi regioni loca missuram, ut Cæsareanos ab Hetruria averteret, ac quacumque ratione posset, amicæ Reipublicæ opitularetur. Marcum Antonium Venerium, qui antea ad Alphonsum Ferrariæ Ducem orator designatus fuerat, proficisci Ferrariam jubet, qui Reipublicæ propensum in illum studium Senatus verbis testaretur, difficillimis temporibus cum principe finitimo, ac socio eandem fortunæ aleam subire, eosdem experiri casus non abnuere; propterea hortari, ut quantam possit militum manum comparet, & Mutinam mittat, ut opportune suppetias Florentinis ferat, quorum salus, atque incolumitas summo in discrimine versetur, neque ruere illi possint, quin eodem motu principum Italiæ res convellantur, labefactentur. Dum hæc aguntur, nuntius de pace Venetias perlatus est, quæ Cameraci inter Imperatorem, & Galliæ Regem inita pridie nonas augusti in majori basilica solemni ritu de more promulgata erat. Summa capitum hæc fuit.

1529

*Decretum de duobus oratoribus ad Cæsarem mittendis a Senatu rejectum.*

*Senatus consilia de novis delectibus habendis.*

*Venetorum ad fœderatos adhortationes.*

*Marcus Antonius Venerius ad Ferrariensem orator.*

*Pax inter Carolum, Cæsarem & Franciscum Galliæ Regem Cameraci inita.*

*Primo. Ut Regis filiis libertas restitueretur, Rex duodena centena aureorum millia pro eorum lytro persolveret; Henrico Angliæ Regi ducenta millia Caroli nomine erogaret.*

*Secundo. Quæ in Insubribus possideret, Carolo concederet. Hastam, quæque in ea urbe jura baberet, relinqueret:* *Ba-*

1529 *Barulum praeterea, & quaecumque in Neapolitano regno possideret.*

*Tertio. Venetos hortaretur, ut ex Coniacensi fœdere Apuliæ loca Imperatoris potestati permitterent; ni id facerent, hostem se illis futurum; Cæsarem triginta aureorum millibus in singulos menses, duodecim triremibus, quatuor navibus, totidem majoribus navigiis adjuvaret.*

*Quarto. Quod e triremibus ad Delphini portum captis superesset, redderet, vel illius loco pecuniam reponeret, iis detractis, quæ Cæsareani recepissent.*

*Quinto. Juri supremo in Belgio, & Artesia renunciaret.*

*Sexto. Acta adversus Carolum Borbonium rescinderet: defuncto, quæ inusta esset ignominiæ nota, deleretur: bona posteris restituerentur; quæque eo bello occupata hinc, inde forent, mutuo subjectis redderentur.*

Inter fœderatos, ac socios Pontifex in primis numerabatur; deinde Allobrogum Dux, ut imperii fiduciarius: de fœderatis vero, qui simul adversus Cæsarem arma sumpserant, nulla habita mentio. Venetis si intra quatuor menses res suas cum Cæsare componerent, ut eodem pacis edicto comprehenderentur, permissum. Firmata itaque pace, qua etiam Angliæ Rex, & Ferdinandus Austriæ Archidux Rex Hungariæ continebantur, atque iis detectis, quæ diu latuerant, consiliis; quanam ratione Cæsari, si adversus Rempublicam arma moveret, obsistendum esset, plurimis, atque assiduis consultationibus Patres disquirebant: ac præter ea, quæ ad continentis curam spectabant, visum est, ut Respublica maritimarum rerum usu, atque experientia insignis, & pollens, in primis omnem præsidii spem in classe poneret. Quamobrem illius imperatori Senatus decreto mandatum, ut si Brundusii arces, quarum expugnationi operam navabat, bidui, vel tridui spatio aut deditione, aut vi in suam potestatem redigere possit, nulli communicato consilio, opus perficiat: deinde coactis cunctis triremibus, Corcyram contendat; inde ad Rhizonicum sinum ad Ascrivii fauces classem ducat, quam omnibus rebus instructam, remiges, milites, tormenta, ac si quid aliud, in promptu habeat; quo ex loco & sinum Adriaticum tueri possit, & maritimas Apuliæ, Neapolitanique regni oras bre-

*Mandata Senatus ad classis Imperatorem de Brundusii arcibus expugnandis.*

vi

1529

*Franciscus Rex a Senatu petit, ut urbes Neapolitani regni Cæsari tradat.*

vi momento adiens excurrere; quod si Cæsareana classis in ea maria se conferat, prælio decerneret. Interea Galliæ Rex, qui, uti diximus, ea, quæ in Neapolitano regno possidebat, conditionibus pacis Cæsari restituere debebat; idemque ut Veneti facerent, enixurum pollicitus fuerat; per suos oratores a Senatu petebat, ut quamprimum oppida, quæ in ea provincia Reipublicæ parebant, quemadmodum Cameraci convenerat, Imperatori traderet. Ea de re præterquam quod Coniacensi fœdere cautum esset, id loco summæ gratiæ ab ea Republica impetraturum, cui ipse, prioresque Reges summa benevolentia difficillimis temporibus adfuerant: nulla alia ratione filios in spem regni enutritos recipere a Cæsare posse.

*Senatus responsum.*

Senatus decreto responsum datur: eadem mente erga Regem Rempublicam esse; nullis fortunæ casibus ab ea se amicitia, quam summo studio majores illius coluerant, avelli passuram; optasse suis rebus quoque Cameracensi pace consultum fuisse, atque cum reliquis principibus concordiæ rationes initas: ceterum quod ad Apuliæ loca attinet, Coniacensibus pactionibus neutiquam cogi, cum illis cautum esset, de pace, Republica non adsentiente, minime agere Regem oportere; quod modo efficere nequeat, pro sua in Regem voluntate magis opportune facturam, cum duorum mensium spatium ad tradendos Regi filios statutum esset: interim sperare aliquas cum Cæsare pacis conditiones iniri posse. Hac re cognita, maris Præfectum in Italiam Rex mittere decrevit, ut ad pacem cum Venetis, aliisque principibus Cæsarem hortaretur; Rentioque

*Urbes Neapolitani regni a Gallis Cæsareanis restitutæ.*

*Veneti cum Sfortia novum fœdus ineunt.*

Ceriti mandaverat, ut quæcumque in Neapolitanorum finibus in potestate Regis Gallorum essent, ex fœdere Cæsari restituerentur; idemque, ut Veneti nagistratus efficerent, niteretur, qui prius de Senatus voluntate certiores facti abnuerant: Patrumque insederat animis, potius omnia experiri, quam ut Insubribus Cæsarem potiri paterentur. Quocirca sociali fœdere soluto, recens cum Francisco Sfortia ineunt, ne sibi desit, hortantur; omnem operam, studium, vires adhibituros; nullis periculis, sumptibusque, ne avito imperio spolietur, parcituros. Interea quo tandem Cæsaris in Italiam adventus, exercitus terra, marique conquisiti tenderent, cuncti non modo Principes, sed etiam populi spectabant: hinc magnum immi-

nere

1529 nere bellum; inde post afflictas diu, ac turbatas Italiæ res pacem effulgere: hæc omnia penes Cæsarem esse, qui validis succinctus copiis, Pontifice amico, ac socio, reliquis Italiæ Principibus timore perterritis, nihil illius adverso nutu audentibus; Gallis pulsis, atque Italicis cunctis rebus ex Cameraci fœdere nuper firmato cedere coactis, belli, ac pacis habenas obtinere videretur; in Venetos tantum onere incumbente.

Attamen Cæsar cum primum Genuam appulisset, pacem se, ac tranquillitatem Italiæ redditurum apertis verbis non modo dixerat, sed vulgandum quoque apud omnes curaverat; quamvis ea, quæ ad bellum necessaria erant, summo studio compararet. Neque Veneti ulla re sibi deerant, ut hostem fortiter terra, marique, munitis urbibus, terrestribus auctis copiis, classe quinquaginta duarum triremium constanter hostium impetus exciperent. Verum plurima ea tempestate contigere, quæ Imperatoris animum, licet Italiæ dominandi cupidum, evocare, atque avertere potuere. Nam Suleimanus Turcarum imperator Byzantio cum ingenti exercitu movens, Pannoniam invaserat, ut Joannem Hungariæ Regem nuper a Ferdinando pulsum in regnum restitueret; Budamque Regum sedem adortus paucis diebus occupaverat; equitatu, ac peditatu uberrimos Pannoniæ agros diripuerat, atque vastaverat; omnemque inferiorem Pannoniam, expugnatis arcibus, ac plerisque munitioribus oppidis, in suam potestatem redegerat; finitimaque Austriæ loca ferro, igne, cæde incredibili mortalium terrore fœdaverat; ac Viennam illius provinciæ caput aggressurum minitatus, magnam commeatuum, bellicarumque machinarum copiam colligi jusserat, ut Danubio amne urbem versus veherentur: quæ magno militum præsidio firmata, nisi Turcæ obstitisset, ad tantos remorandos conatus nullum impedimentum inventurus, aditumque in penitiora Germaniæ loca sibi facturus videbatur. Harum rerum tristes nuntii haud parum Cæsaris mentem commovebant: his accedebant frequentes Ferdinandi fratris literæ, qui rerum suarum statum, potentissimas acerrimi hostis vires, quibus par vel sustinendo non esset, fratri significabat; petebatque, ut nisi funditus Pannonias excindi vellet; nisi triumphantem hostem Viennæ cernere, ingentia subsidia quamprimum mitteret. Ad hæc quotidie hære-

*Suleimanus Pannonias aggreditur.*

*Buda a Suleimano capta.*

ses

ſes in Germania incrementa ſumere nuntiabantur; qui hac peſte infecti erant, novas res moliri, cogere milites, copias parare: his niſi quamprimum obſiſteretur, magnam Germaniæ, atque imperio perniciem, ingentia univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ mala irreptura. Hæ res animum Cæſaris haud mediocriter vexabant, agitantem nulla facti egregii ſpe, nullo tot laborum, ac impenſarum digno facinore Italorum principum animos ſuſpectos teneri: interim potentiſſimum hoſtem, nullo obſiſtente, regiones percurrere; urbes expugnare; provincias in ſuam poteſtatem redigere; acerbiora minari, dum ipſe tempus terendo ſuarum cladium ſpectator eſſet. Itaque cœpit animum ad pacem flectere; niti, ut, compoſitis Italiæ rebus, laboranti Pannoniæ, timentique Germaniæ ſuccurreret, ſæpius de pace loqui, cupere ſe controverſias cum Venetis definire. Idem qui maxima apud illum gratia, atque auctoritate poterant, ſuadebant, inter quos Andreas Auria per Federicum Grimaldum Reipublicæ ſuam operam in agenda pace detulerat, propenſumque in illam Imperatoris animum eſſe ſignificaverat. Senatus, qui pacem cum dignitate ſemper bello antetuliſſet, eundem Grimaldum ad Auriam remiſit, ut pro illius benevolo in Rempublicam animo gratias ageret, paratumque ad pacem cum Cæſare ineundam ſtudium ſignificaret. Clemens quoque cum Marco Cardinali Cornelio de pace colloquutus, eniti ſe magnopere ajebat, ut Cæſaris animum ad pacem cum Republica ineundam impelleret, ad eandem amplectendam vehementer Senatum hortari. Senatus Pontificis erga pacem ſtudium laudibus efferre, ab ea nunquam averſo animo fuiſſe. Venetias quoque per eos dies Sigiſmundus Turrianus Mantuæ Marchionis orator venit, qui Cæſaris optimum in Rempublicam animum teſtatus, ut Mantuæ de concordiæ conditionibus ageretur, Marchionis nomine rogaverat: illuc, qui ſuo nomine agerent, cum mandatis Cæſarem miſſurum, ut pax e Reipublicæ dignitate conficeretur, nihil ſe prætermiſſurum. Marchioni gratiæ actæ, publicumque pacis deſiderium affirmatum.

1529

*Andreas Auria ſuam operam in pace cũ Cæſare ſanciẽda Reipublicæ defert.*

*Clemens per Cornelium Cardinalẽ, & Mantuanus Marchio per oratorem de pace cum Venetis agunt.*

Dum Reſpublica ad concordiam ſolicitatur; ac nihil, quod ad bellandum neceſſarium eſſet, hinc, atque inde prætermittitur, Franciſcus Sfortia, cui gravia poſt Cæſaris in Italiam adventum imminere pericula videbantur, ut cum Cæſare, avi-

1529 avito imperio retento, in gratiam rediret, summopere optabat; nihilque Senatu inconsulto aggredi poterat. Marco Antonio Venerio significavit, cupere se legatum ad Cæsarem mittere, ut illius animum leniret, bellicumque apparatum, quo se petitum iri fama ferebatur, remoraretur: id in primis illum decere, quod Cæsaris beneficiarius, ejusque vicem obtinens in Insubribus esset: eadem ab illius oratore Senatui significata. Neque impellere, neque adhortari Sfortiam placuit: quid sibi magis conducere videretur, id efficeret, permissum; adjectum, certo sibi Senatum suadere; nisi se conscio, & consiliorum participe, cum Imperatore pacem non confecturum.

*Caracciolo & Garziæ e Padilia provincia de Sfortianis rebus cōponendis a Cæsare demandata, & eorum petitiones.*

Negotium illud Caracciolo Protonotario, & Garziæ e Padilia a Cæsare datum erat; qui cum sæpius Sfortiam adiissent, ut Ticinum, atque Alexandriam Cæsari traderet, hortabantur. Renuit Sfortia; neque se hujusmodi postulatis unquam adsensurum constanter affirmavit: eoque responso per oratorem Senatui communicato, ut firmioribus subsidiis urbes firmarentur; bellicæ machinæ mitterentur; pecunia suppeditaretur, petebat. Urbinati Imperatori datæ literæ, quibus Sfortiæ opem ferri, ac veluti de Reipublicæ urbibus ageretur, quæcumque ad eas conservandas opportuna forent, subministraret, jubebatur.

*Mandata Senatus ad Urbinatem, ut Sfortiā juvet.*

Decem præterea aureorum millia Senatus decreto Sfortiæ legatis numerata sunt. Ferrariensis quoque Dux in ancipiti versabatur, ob Regium, ac Mutinam, ad quas uti Pontificiæ ditionis urbes superiores Pontifices, & Clemens ipse adspiraverat. Itaque his Marco Antonio Venerio significatis, nihil, ut hostes arceret, omissurum, disertis verbis, Senatui nunciaret, petiit; præterea sibi a Republica duodecim instructa minora navigia, quibus Padum, ripasque hinc inde tueri posset, darentur. Clodiæ magistratui, ut quamprimum instructa ad Ducem mitteret, præceptum: insuper illius animus in libertatem, ac dignitatem Italicam egregius commendatus: summa inter illum, ac Mediolani Ducem benevolentia, arctaque animorum, & virium conjunctione opus esse: Rempublicam utrisque accessuram; periculis minime cedendum, non abjiciendos animos, sed potius assumendas vires, atque in mutuam defensionem acuendas. Si Cæsar, justis, honestisque pacis conditionibus rejectis, armis lacesseret, & in nostram perniciem hoc

quid-

quidquid eſt copiarum convertere velit; eam Reipublicæ inſidere mentem, quamvis hoſtis in ſinu prope ſit, ſuis viribus nixam nihil de veteri conſtantia remittere; militum ſubſidiis, ac omnibus ad victum neceſſariis munitas urbes hoſtibus objicere; Sfortiam, ne præcipiti conſilio ruat, ſuſtentare, vel generoſo conatu bellum excepturam, vel ad juſtas, atque æquas pacis conditiones Cæſarem coacturam. 1529

*Clemens a Sfortia petit, ut Ticinum & Alexãdriam, ſibi depoſiti loco tradat.*

Cum Ticinum, atque Alexandriam minime a Sfortia impetrare poſſe Cæſar intelligeret, Pontifex per Epiſcopum Vaſonenſem, ut ſibi depoſiti loco traderentur, poſtulabat. In id, quo aditum ad gratiam Caroli comparandam ſibi ſtrueret, propendere Dux videbatur; attamen quid ea in re ſibi ſtatuendum eſſet, per oratorem a Senatu petiit.

*Sfortia Senatus ſententiam poſtulat.*

Is Sfortiæ literas perlegit, quibus non libere Senatus ſententiam exquirere videbatur, ſed veluti jam quid acturus eſſet, decreviſſet, aſſenſum petebat.

*Senatus reſponſio.*

Senatus decreto ita Marco Antonio Venerio oratori ſcriptum: ſumma cum admiratione, ac dolore graviſſima in re, quæ mens illius eſſet, intellexiſſe; cum inde vetus Reipublicæ cum illo fœdus, atque amicitiam in diſcrimen vocari animadverteret: quod vero ad poſtulata Clementis ſpectet, iis, niſi omnino res ſuas peſſundare velit, cum fœderatorum principum, ac univerſæ Italiæ ſumma jactura, minime aſſentiri poſſe; nulla alia in re magis Cæſarem inſudare, quam ut Italos principes ſejungat; divellat; ſemina inter ipſos diſſenſionum ſerat, quo facilius a ſingulis obtineat, quod ægre ab univerſis impetrare valet. Quis porro ignorat, Ticini, atque Alexandriæ reſtituendarum urbium penes ſe, non apud Pontificem facultatem eſſe velle? huic rei ſi Sfortia annuat, quis ambigat Florentinos, & Ferrarienſem, veluti deſperatione adactos, præcipites arbitrio ſe Cæſaris permiſſuros, quaſcumque libuerit ab eo pacis conditiones accepturos? Hæc intentiori ſtudio a Senatu agebantur, ne Sfortia, cui per tot annos præſto fuerat, cunctiſque officiis adjuverat, præpropero conſilio res ſuas fortunæ, & Cæſaris voluntati penitus concrederet, atque ut æquiores concordiæ rationes, ſi eodem tempore cum Duce quoque ageretur, a ſe iniri poſſent.

*Clementis & Cæſaris decretũ Bononiam cõveniendi.*

Dum hæc de pace agitantur, Cæſar, ac Pontifex Bononiam convenire decreverunt, uti Barchinone ſtatutum fuerat, quæque ad iter neceſſaria erant, utrinque paraban-

1529 bantur. Eo in conventu maximis de rebus agendum erat: Italiæ non modo, verum etiam totius Christianæ Reipublicæ status ex consiliis, quæ ibi caperentur, pendebat. Cum vero acrius res urgeret, ac tum Vasonensis Episcopus, qui Placentiæ cum Cæsare morabatur, ut oratores a Senatu ad tractandam pacem mitterentur, peteret; Mantuanique oratores, ut iidem Mantuam eadem ex causa adirent, postularent; hac de re variis, ac dissentientibus sententiis in Senatu actum est; nonnullis, ut quamprimum oratores Mantuam mitterentur, sentientibus; aliis, ut Bononiæ conventus expectaretur, suadentibus. Prioris sententiæ auctor ita loquutus fertur.

*Oratio in Senatu habita de oratoribus Mantuam mittendis.*

*Maximarum rerum opportunitates in proclivi admodum sitæ sunt: iis vel negligentia, vel animo, dum majora sibi pollicetur, spernente, omissis, sæpius ob præteritas, e manibusque lapsas rerum gerendarum egregias occasiones querimur. Neque id miror, cum ea sit mortalium conditio, ut in difficilia, & ardua, quæque vetita sunt, summo nixu contendat; quæ vero in promptu sunt, quæque fortunæ beneficio, ac Dei benignitate nobis sese objiciunt, ac ultro porriguntur, ea negligat, & aspernetur. Id nobis nonnunquam evenisse haud vulgaria exempla testantur, qui superioribus annis, cum controversias, quæ inter Julium Pontificem Maximum, ac Rempublicam intercedebant, cum dignitate dirimere potuissemus, omissa, rejectaque opportunitate, in maximas angustias, bellaque incidimus, in quibus jam viginti annos versamur; quo tempore quæ sequuta sint, commemorandi locus non est, ne adhuc recentia vulnera contrectando, præteritarum cladium memoria animus exhorrescat. Quid enim tam grave excogitari, quid tam dirum fingi potest, quod nobis exhaustum non fuerit? Angulusne in nobili hac, & cunctis sæculis insigni Italiæ provincia inveniri potest, qui exterorum arma, prædas, captivitatem, funera passus non fuerit? An infandas exercituum strages memorem? Quid Italis Abdua, & Eretenus flumina, quid Brixia, Ravennaque constiterint? Quis enim ærumnas, malorumque summam enumerare, aut cogitare queat? Tot calamitatum finis in nostra voluntate situs est, Patres optimi, si illa prudentia uti velimus, quæ Senatus amplissimi menti insita, ac prope ingenita est, quaque difficillimis, ac turbulentis temporibus, frementibus un-*

*undique bellorum fluctibus, incolumem Rempublicam servare* 1529
*potuit. Quid enim a Deo immortali (si nobis optio data fuisset) aut expetendum magis, aut exoptandum videbatur, quam ut hoc rerum statu non ipsi concordiam quærere, sed ultro oblatam acciperemus? Nam postquam Cæsar cum exercitu in Italiam venit, sibique Pontificem adjunxit, Galli spectatores rerum Italicarum existunt; fœdus illud, quod Imperatoris potentiæ, ac cupiditati objiciebatur, abruptum, dissolutumque est. Quid reliquum erat, nisi ut Respublica in se hostium vim, impetumque, Florentinis, Sfortiaque nutantibus, reciperet? Difficillimum porro bellum, quodque longe præterita superet, ni pacem amplectamur, nobis subeundum est, attritis viribus, absumptis thesauris, subditorum fortunis fere accisis, atque ob immensam, quam tanto annorum intervallo molem sustinemus, laxatis, ac defatigatis Reipublicæ nervis: cum contra Imperator prosperis rerum successibus elatus, sociis stipatus, recens collecto exercitu, omnia ad votum sibi eventura polliceri possit. Attamen iniqua hac lance singulis expensis, nos non ii sumus qui pacem petimus; Cæsar concordiæ rationes nobis proponit; amicam sibi fieri Rempublicam optat. Andreæ Auriæ literas, Mantuani Marchionis oratores, qui pacem nobis Cæsaris nomine offerunt, audivimus. Ambigi ne de Cæsaris voluntate potest? an arbitramur his de rebus absque illius consilio nobiscum agi? & adhuc dubitamus? adhuc animum flectere ad pacem nolumus? Parvo, ut dixi, momento rerum præclare gerendarum occasiones labuntur; dum certa facultas adest, dum sinit tempus, obviam eundum est, sinum venienti fortunæ pandere oportet. Quis enim eodem semper animo Cæsarem futurum vobis pollicetur? incertæ hominum voluntates, atque consilia sunt; Regum præsertim, in quorum animis regnandi libido dominatur, cunctaque illi submittunt. An putatis defuturos vestri nominis invidos, atque hostes, qui Cæsari suadeant, ne incassum exercitum in Italiam duxisse videatur, ut bellum potius experiri summa spe victoriæ subnixus, quam de pace agere velit? Id si eveniat, quantis curis involvemur? quot nobis pericula, sumptus denuo exantlandi erunt? Quæ omnia si forte nobis invitis ingruant, non nosmetipsos, at fortunæ maligni-*

1529 *tatem incuſare poterimus, quæ nondum noſtris exſaturata malis, bella bellis, funera funeribus accumulet. Neque Deus Optimus Maximus laboranti, ac pro libertate pugnanti Reipublicæ, quæ præter ceteras laudes, pietatis, ac religionis ſibi gloriam comparavit, deerit. Verum, ſi ſponte in hanc arenam deſcendimus; ſi ultro Rempublicam in has undas, tempeſtateſque conjicimus, quid aliud, quam noſmetipſos culpare poterimus? quod præſenti occaſione minime uti voluerimus; quod incertos humanarum rerum caſus non inſpexerimus; quod bellorum exitus, qui nutu fortunæ reguntur, neglexerimus. Hactenus Reipublicæ virtus, veſtra conſtantia enituit; bella pro Republica, pro Italia ingentia ſuſcepimus; dignitatem, ac libertatem nobiliſſimæ iſtius provinciæ ſuper alias ſuſtulimus; pro iis acriter certavimus; laborum fructus in noſtris prope manibus eſt: neque præſentium, neque poſterorum erit, ut opinor, aliquis, qui ſummis ad cælum laudibus vos non extollat, quod toties pugnaveritis; toties cum potentiſſimis hoſtibus dimicaveritis; quod a fœderatis deſtituti majorem, atque altiorem in defendenda Republica, atque Italia animum oſtenderitis. Sed videte, ne dum hanc laudem aucupari pergitis, prudentiæ fructum amittatis, obfirmatique animi, ac mentis obſtinatæ in reprehenſionem, & notam apud mortales incurratis, præteritamque gloriam, quam adepti eſtis, hoc nimis duro, atque inflexibili conſilio corrumpatis. Oratores igitur a vobis deſignandos, & Mantuam mittendos arbitror, ut ibi de conditionibus pacis agant; ut tandem felici exitu concordiam, ad quam nos Cæſar invitat, amplectamur.*

Cum jam hic peroraſſet, contra in hanc ſententiam alter dicere eſt exorſus.

*Oratio in Senatu habita, ut de oratoribus decretum ad Bononiæ cōventum differatur.*

*Nemo eſt, ut opinor, Patres optimi, qui honeſtam pacem periculoſo bello non anteferat, quique non Italiæ calamitatibus, veſtris ſumptibus, ac laboribus finem imponi, metam ſtatui non ſummopere optet. At illud in primis cavendum arbitror, ne dum in re ſummi momenti omnia ex voluntate, ac deſiderio metimur, præſentem rerum ſtatum obliti egregia facinora, quibus per tot annos Rempublicam, atque Italiam tutati ſumus, non abſque detrimento publicæ incolumitatis, dignitatiſque corrumpamus. Quid enim cauſæ eſt,*

*cur*

*cur, nondum Bononiæ conventu coacto, oratores mittere Mantuam velimus? putatisne hoc intervallo vobis pacem e manibus elapsuram? quasi vero eo loco res Cæsaris sint, ut quæcumque sibi in mentem venerint, ea exequi, ac perficere possit? An illius copias multis incommodis premi ignoramus? commeatu laborare; pecuniæ inopia urgeri; molem tantam ægre sustentari, cito in semet casuram? Qui, si in vestros fines exercitum ducere velit, validissimas urbes, natura, atque arte munitas inveniet, in quibus oppugnandis ingentibus viribus, omnium rerum affluentia, ac tempore præsertim opus est, quod longioribus obsidionibus terendum erit. Ea ut maxime difficilia sunt, ita confici a Cæsare hoc tempore non possunt: bellum enim in Italia moventem Pannoniam deserere, totius Germaniæ oblivisci necesse est; at quo rerum statu? dum Suleimanus Turcarum Imperator, Pannonia vastata, ac direpta, Viennam oppugnat; mœnia concutit; in illius potiundæ spem adductus, Germaniæ exitium parat; dum hæresum pestis per populos grassatur, intestinarumque dissensionum non minus, quam externorum bellorum adventantibus periculis conflictatur; dum anxium, ac solicitum de salute, atque imperio Ferdinandum fratrem aspicit, cui subsidia negare, crudele, atque impium: submittere, id demum est præsenti metu, ac formidine Italorum animos solvere. Nam Cæsaris copiis imminutis, quod amplius aggredi facinus Cæsareani queant? quas vires nobis pertimescendas censetis? qui diu cum Antonio Leva pugnastis, vanosque illius conatus reddidistis. Pacem hanc, quam modo ostentant, qua allicere vestras mentes nituntur, putatisne illorum causa, an vestra peti? vestrane, quos sibi infensos putant, quod toties cum Gallo juncti iis obstitistis; irritos conatus reddidistis; augendi, ac propagandi imperii consilia fregistis? an potius sua? qui cum alio avocentur, neque diu cum exercitu in his regionibus morari possint, Italicas res pacatas, ac tranquillas relinquere cupiunt; id, nisi pace cum Republica constituta, obtinere posse desperant; propterea vos urgent, ac solicitant; & cum sæpe Gallorum in se animum experti sint, verentur, ne, turbatis Italiæ rebus, Imperatore absente, eodem Galli revolvantur; neque magis concordiæ Came-* 1529

1529 *racensis, quam Madriti initæ pacis memores sint. Omnis itaque ex animis vestris, si forte quis insedit, timor pellendus est, omniaque cum dignitate agenda; cum præsertim adhuc in vestra potestate Flaminiæ, atque Apuliæ urbes existant, quas, Cæsare Italia profecto, imminutoque exercitu, non ita facile e manibus vestris eripi patiemini. Modo se vobis pacis conditiones exhibituros credunt, tunc vos petentibus iis, quæ magis e re vestra erunt, adsentiemini. At dicet aliquis, Pontificem recipiendarum urbium desiderio flagrantem Cæsari faces ad bellum additurum. Quasi vero omnia iterum misceri, prioribusque calamitatibus involvi exoptandum illi sit, qui captivitatem, omniaque humana mala perpessus, nunc primum respirare inceperit. Alio Clementis mens, atque consilia spectant; in Florentinos jam spicula furoris contorquet; jam Mediceam familiam pulsam patria, ejectam domo, in priori dignitatis, ac potentiæ gradu collocat; jam Reipublicæ formam immutat. Quanam re illius animum vehementius impelli putamus? an Flaminiæ urbium obtinendarum spe, quas pace potius, quam bello recipere potest? an domandæ civium pervicaciæ, & restituendæ familiæ, ad quam rem conficiendam copiæ in promptu sunt, ad arma conclamatum, in Hetruriæ faucibus Arausionensis Princeps cum Cæsaris exercitu hæret? Neque vero credibile est, Pontificem Rempublicam Venetam dejectam velle, quæ semper Pontificiæ auctoritati faverit, Apostolicæ Sedi laboranti opem tulerit; mutuo collatis viribus libertatem ac decus Italiæ niti non ignorat. Quocirca sperandum est, ni præpropere acerbos adhuc fructus carpere velimus, haud multo post majori cum dignitate, atque utilitate præclara, atque undequaque absoluta laborum nostrorum præmia nos laturos.*

*Andreas Rubeus Mantuam mittitur.*

Inter discrepantes sententias mediam quandam rationem inire placuit. Itaque Andreas Rubeus a secretis Senatus ad Marchionem Mantuanum missus est; mandatumque, ut gratias publico nomine ageret; benevolum in illum, ac gratum Senatus animum testaretur; eadem mente, qua semper fuerit, de pace cum Cæsare ineunda Rempublicam esse; in conventum Bononiensem negotium differre statuisse, quo propediem Pontifex, & Cæsar, ut Reipublicæ Christianæ rebus consu-

le-

lerent, profecturi erant: verum si aliter Cæsari videretur, alibique de pace agendum censeret, quæ illius voluntas sit, libenter audituram. Hæc fundamenta pacis jaciebantur, in quam etsi Cæsaris animus maxime propendere videretur, tamen eodem tempore suspectos adhuc principes tenebat; Antonio præsertim Leva suadente, quod indignum diceret, a Sfortia, ut Ticinum, atque Alexandriam Clementi depositi loco traderet, Cæsarem impetrare non potuisse. Itaque illo permittente, Ticinum magnis viribus oppugnare parat; bellicas machinas, militaria tormenta adducit: cuncta ad oppugnationem necessaria instruit. Annibal Piccnardus urbis præfectus primum, quod dum de pace ageretur, nihil sibi hujusmodi verebatur, contemnere; re acrius urgente, cum commeatus vix in duos menses suppeteret, præsidio imminuto, quod ad sancti Angeli oppidum, quo Leva exercitum ducere simulaverat, magnam militum manum præmisisset, paucique admodum ad urbis præsidium reliqui essent, priusquam illam hostes adorirentur, pacta sui, ac militum incolumitate, non sine avaritiæ, vitæque anteactæ nota, Cæsareanis tradidit. Pontifex Roma iter per Picenum, ac Flaminiam Bononiam versus arripuit, urbem viij. kal. novembris ingressus. Cæsar vij. kal. Placentia profectus, per Regium, ac Mutinam eodem se contulit; a Pontifice solemni ritu, ac more honorifice excipitur; Gasparemque Contarenum, Reipublicæ apud Pontificem oratorem, qui Clementem comitabatur, Imperator alloquitur. Statimque de pace agi cœptum; quo in negotio maximis de rebus agitandum erat; de Flaminiæ, atque Apuliæ urbibus; de firmando rerum Italicarum statu; de Francisco Sfortia in avito imperio retinendo; de veteribus inter Ferdinandum, ac Rempublicam dissidiis componendis. Verum præter cetera Francisci Sfortiæ negotium summis difficultatibus implicitum videbatur; neque enim Cæsar adduci poterat, ut Mediolanum Duci, a quo summis se affectum injuriis prædicabat, libere restitueret. Sfortia, ut, quoquo pacto Insubribus potiretur, nihil sibi omittendum ducebat: quæ nuper Antonius Leva in Ticino occupando adversus illum gesserat, remorabantur: addebat animos propensa Imperatoris in pacem mens: at se penitus Cæsaris fidei committere verebatur. Itaque ancipiti dis-

1529

*Antonius Leva Ticinum aggreditur, & per deditionem occupat.*

*Clemens & Cæsar Bononiæ conveniunt. Agitationes de pace.*

1529 tentus consilio, quidnam sibi agendum esset, Venetos consulit.

*Franciscus Sfortia de rebus suis Venetos cōsulit.*

Summo vero conatu Senatus nitebatur, ut unde bellorum antea origo fuerat, inde pacis initium, Sfortia Mediolano restituto, existeret. In eam rem oratori Bononiam mandata a Senatu data sunt, ut Imperatoris animum ad id suaderet, atque impelleret, & Pontificis, qui benevolo in Sfortiam animo erat, plurimumque apud Cæsarem poterat, auctoritate uteretur. Magnum Cancellarium Granuellanum, ac Pratum concordiæ conditionibus tractandis Cæsar præfecerat. Primo congressui Pontifex adesse voluit; ibi post multa hinc inde agitata, Contarenus Reipublicæ orator, ut Sfortiæ Mediolanum restitueretur, gravi oratione petiit: hoc uno Italiæ pacem, ac tranquillitatem niti, diutiusque conservari posse. Eodem officii genere cum Imperatore usus, ad Sfortiam complectendum, avitasque illi ditiones reddendas, Senatus nomine est hortatus. Cæsaris animum duriorem, quam arbitratus fuerat, expertus, nihil obtinere potuit; cum Sfortiæ in illum facinora commemoraret; arma adversum se sumpta; oppugnatas urbes; cum hostibus juncta fœdera; neque imperatoriam decere dignitatem, ita cum subjecto, ac beneficiario agere. *Quid enim? an ex jure agi Sfortia postulat? Id si velit, nihil est, cur vereatur, aliquid contra fas, ac jus ab eo factum iri. Sin benignitatem implorat, & clementiæ se permittit: cur non ipse Bononiam petere audeat? Id si faciat, benevolum, ac propensum in Pontificem, ac Rempublicam Venetam animum ostensurum.* His intellectis, Senatus Marco Antonio Venerio, ut Sfortiam contendere Bononiam hortetur, mandat, honorisque illi gratia comes itineri adsit. Sfortia, accepto ab Imperatore publicæ fidei diplomate, Bononiam proficiscitur. Ut primum ad Cæsarem accessit, pro re pauca loquutus, benigneque exceptus est. Tandem, ut quid juri consentaneum esset, in Sfortiæ negotio decerneretur, decretum: id magis e re sua esse Dux censuit; tum ne candori, atque innocentiæ suæ diffidere, tum ne Imperatoris justitiæ parum confidere videretur.

*Granuellano & Prato a Cæsare negotium de pace comissum.*

*Senatus hortatu Sfortia Bononiam proficiscitur.*

Deinde de pacis conditionibus cum Venetis agi cœptum, cum prius mandata ad negotium peragendum a Senatu Contarenus accepisset. Multæ hinc inde subortæ difficultates longiorem rei exitum prænuntiabant: propterea ambiguo eventu ani-

ami

mi solicitabantur, veriti, ne studiose moras nectendo, per speciem tractandæ pacis inopinatos invaderent. Suspicio augebatur, quod cum sæpius a Senatu, ut Germani milites ex Brixiensi agro submoverentur, postulatum esset, obtineri nequiverat; at quotidie regionem vastari; prædas agi; incolas detrimentis affici a Germanis perferebatur, qui ad decem millia in Brixiensium finibus consederant. Præterea cum vigintiquinque triremium classis e Centumcellis Neapolim navigasset, inde quatuor auctam triremibus in Apuliæ oras profecturam nuntii attulerant. Quocirca dum de pace ageretur, neque terrestres copiæ, neque classis imminui poterat; assiduis impensis civium vires absumi, publicam pecuniam exhauriri, cuncta inter pacis spem, bellique timorem in incerto esse. Itaque autumno exeunte, cum de triremibus subducendis, classeque minuenda ageretur, vicit Joannis Mariæ Maripetri ordinum Sapientis sententia, qui in aliud tempus rem differri suadebat; plerisque, denuo instauratis viribus, majori conatu bellum renovandum dictitantibus. Nam in Pannonia resedisse bellum videbatur, quod Suleimanus cum Viennæ exercitum admovisset, frustraque in ea oppugnanda laborasset, tandem Byzantium reverti coactus fuerat: qua ex re haud parum Cæsaris dignitati, ac nomini accesserat, ac multos ex iis, qui nunquam ab ejus latere discedebant, fama erat victoriæ stimulis mentem accendere, ac nimis avidum gloriæ, ac potentiæ animum incitare, ne quam tot copiis præclare gerendi opportunitatem fortuna tribuerat, inaniter disceptando contereret; inter quos Antonius Leva majores, atque acriores faces admovebat; cum, Insubribus in potestatem redactis, magnum sibi apud cunctas nationes nomen, ingentes opes adepturum speraret.

1529

*Joannis Mariæ Maripetri sententia de classe non minuenda. Vienna inani eventu a Suleimano oppugnata.*

*Antonius Leva Cæsarem ad bellū Italicum accendit.*

Neque quod agitatum diu cum Pontifice de Flaminiæ urbibus negotium fuerat, ob varia impedimenta adhuc ad exitum perduci potuerat; cum eadem omnibus non probaretur sententia; nonnullis placeret, Cæsari totam rem committere, illiusque sibi animum hoc facto conciliare. Satius aliis esse videbatur, cum eodem Pontifice agere; sperare futurum esse, ut annua aliqua pecuniæ pensione, tanquam beneficiarias urbes Clemens, qui totus in Florentinos intentus esset, Reipublicæ relinqueret. Hæc Senatui cum probaretur sententia, Contarenus orator,

*Diversa Venetorum sententia de Flaminiæ urbium negotio.*

*Senatus decreto negotium Pontifici permittitur.*

1529 tor, quo res, uti Senatui placebat, conficeretur, omnes ingenii, atque eloquentiæ nervos adhibuit; irrito tamen conatu, cum flectere, aut permollire Pontificis mentem haud quaquam potuisset. Qua de re certior factus Senatus, nihilque de pace ad exitum perduci posse animadverteret, Collegii Patres ad Senatum tulere, ut conditionibus pacis inter Imperatorem, ac Rempublicam restitui Pontifici Flaminiæ urbes caveretur, illo adjecto, ut Venetorum jura in iis urbibus reservarentur. Adversus hoc Senatusconsultum Hieronymus Pesarcus continentis Sapiens multa loquutus, Senatum ab urbibus tradendis abducere conatus est, neque quidquam ea in re decernendum esse, ni prius de reliquis pacis conditionibus actum esset; quibus absolutis, tum de Ravenna, ac Cervia restituendis statuendum esse. Hæc Pontifici, & Cæsari significari, insuperque testari placebat; nullo pacto Venetos passuros, ut Christianæ Reipublicæ atque Italiæ incolumitas, ac dignitas, Flaminiæ urbium potiundarum studio impediretur, ac retardaretur. Verum re hinc, atque inde expensa, & discussa, rejecta Pesarei sententia est. Hæc ut Contarenus Pontifici, & Cæsari significaret, mandatum: gratias ambo Senatui egere, illiusque prudentiam, ac pietatem commendarunt.

*Senatus decretum de urbibus Flaminiæ restituẽdis.*

Inde firmioribus pacis jactis fundamentis, ut controversiæ cum Cæsare componerentur, major spes orta est; ac primum de Apuliæ urbibus agitatum, quæ, nisi Cæsari redderentur, nulla concordiæ ratio iniri poterat: ad eas vero tenendas iterum acerrimum cum Carolo ordiri bellum necesse erat. Itaque ut urbes Cæsari traderentur, decretum est: hac tamen conditione, ut illis, qui ad suas partes accessissent, parceretur, præteritaque omnia oblivioni mandarentur; vetera Venetorum in Neapolitano regno privilegia servarentur. Inter cetera vero, ut fœdus percuteretur, Cæsar pro Mediolani propugnatione a Senatu petebat, ac bello Neapolitanis illato, Respublica subsidia mittere deberet. Senatus quod ad Insubres defendendos spectaret, se a pactis, quæ in tabulis pacis anni M. D. XXIII. continebantur, non recessurum affirmabat: quod vero ad Neapolitanum regnum tuendum, si illud Principes Christiani invaderent, quindecim triremibus adfuturum, eo adjecto, ut primum Franciscus Sfortia in avito imperio collocaretur. Hoc Senatusconsultum a Marco Dan-

*Apuliæ urbes a Venetis Cæsari traduntur.*

Dandulo Doctore, & Equite, consilii Sapiente, ac Hieronymo Pesareo, & Francisco Superantio continentis Præconsultoribus improbabatur, quibus nulla ratione Insubribus defendendis Rempublicam obstrictam esse placebat, ni prius in illorum possessione Sfortia esset; neque ullam de Neapolitani regni subsidiis mentionem fieri. Adhuc enim suspecta apud multos consilia Cæsaris erant, pacisque obtentu moras trahi, opes Reipublicæ assiduis impensis labefactari, nil sincerum, ac simplex, omnia tecta, & simulationis plena; cum a Nanio Legato Senatus certior fieret, hostes de Soncini, atque Urceorum novorum oppidis aggrediendis consilia habere, ac Paulum Luzzascum timere, ne in Bergomensem agrum ad prædas agendas se conferrent. Quocirca Nanio injunctum est, ut cum Urbinate de agris custodiendis, ac de hostibus repellendis ageret, cum Germanos Padum transituros, secumque duo millia Hispanorum peditum ducturos, vulgatum esset; attamen, auditis ea de re sententiis, in superiorem Senatusconsultum factum est. 1529

*Cæsaris cōsilia Venetis suspecta.*

Eodem tempore de Francisci Sfortiæ rebus agebatur, totumque negotium Clementi Cæsar permisit. Patres Contareno legato, ut Pontifici enixe Sfortiæ res commendaret, jussere; quamprimumque Mediolanum illi restitueretur, sedulam operam navaret. Quingenta aureorum millia, ut diplomate Insubrum titulos ab Imperatore reciperet; ad hæc trecenta aureorum millia pro belli impensis postulabant: tres præcipuas Insubrum arces cautionis nomine petebant. Sfortia hac de re Senatum consuluit: ex illius decreto Marcus Antonius Venerius ita respondit: minime probare, ut arces Cæsari pro pignore traderentur: hoc enim illius auctoritatem valde imminutum iri; populos bellis, atque calamitatibus attritos ægre passuros, sperato se post tot ærumnas fructu fraudari; nec sine magna difficultate Cæsari pecuniam persoluturos. Sed cum Sfortia id impetrare non posset, ut apud Pontificem deponerentur, flagitabat. Negabat Cæsar, ne si quid humanitus Pontifici accidisset, alterius fidem experiri conaretur. Eo tandem post multa ventum est, ut Sfortia Mediolanensem, ac Novocomensem arces in manus Cæsaris tradere decreverit: intra anni spatium trecentis aureorum

*Cæsar pro Mediolanensi diplomate ingentem pecuniam & tres Insubrum arces petit.*

rum

1529 rum millibus solutis, sibi restituerentur: e quingentis millibus quinquaginta in singulos annos erogarentur.

*Francisci Sfortiae rerum cũ Caesare compositio.*

Rebus cum Sfortia compositis, quae praecipuae belli causae fuerant, nihil fere, quod summi esset momenti ad pacem cum Venetis firmandam reliquum esse videbatur: quapropter cunctorum ora, atque animi in Florentinos conversi, quos maximis undique angustiis premi aegre Senatus ferebat; neque facile videbatur, obfirmatum Pontificis animum a suscepta provincia revocare. Nam ex reliquorum Principum concordia, bello in ceteris Italiae partibus cessante, majora imminere Florentinae Reipublicae pericula videbantur, cunctis eo versis Pontificis, & Caesaris copiis; cum Arausionensis Princeps, ac Vastius Marchio fines Florentinorum cum exercitu ingressi magnum civium animis terrorem incussissent, Perusiaque ab eodem Vastio per deditionem recepta esset: ac si eodem, quo coeperant, impetu bellum prosequuti fuissent, Florentia brevi potiturus Pontifex videbatur. Attamen quod immutare Reipublicae formam, Mediceam familiam restituere, in primis optaret, quam minimo poterat subditorum, ac rerum Florentinarum damno fieri cupiebat. Inde cum Pontificis mandato duces inceptum morarentur, augeri Florentinorum animi, ac vires coepere; refici urbis moenia, strui aggeres, & quidquid ad firmandam urbem necesse esset, summo studio curari. Ita majoris, quam rebatur, belli semina jacta, civium incitatis in Pontificem animis, quorum ardore, atque impetu paucorum consilia, qui tempori, ac necessitati parendum existimabant, abjecta, & restincta sunt; cum plerisque plus apud Caesarem pontificiae auctoritatis, quae semper Imperatoribus infensa fuerat, augendae metus, quam sibi a Florentinis illatas injurias ulciscendi cupiditas, locum habitura videretur. Verum Pontifex acerbiore in dies animo in Florentinos erat, quod illius potestati se Respublica permittere nollet; ac belli motu in Cisalpina Gallia sedato, in spem felicioris exitus majorem erectus, nihil de constantia in suscepto consilio remittebat. Oratores Florentini qui ad Caesarem, ut de pace agerent, profecti fuerant, dimissi; Marchio Vastius Cortona, atque Aretio occupatis, ad Florentinae urbis moenia admovere exercitum a Caesare jussus. Nam quod

*Caesaris exercitus in Hetruriam ingreditur. Perusia a Vastio capta.*

*Oratores Florentini a Caesare rejecti.*

antea

antea in Pontificis gratiam effecerat, id demum sua interesse censebat, ut Respublica quæ Gallorum nomini semper addicta fuerat, ex illius auctoritate pendere in posterum cogeretur: quapropter Alexandro Mediceo Pontificis nepoti Margaretam notham filiam conjugio se se juncturum pollicitus fuerat. Veneti, qui ingruentem in Florentinos fortunæ impetum persenserant, vehementerque illorum periculis commovebantur, quod in dignitate, ac libertate Italiæ retinenda socii fuissent; ut integra libertate, si qua in re possent, Pontifici gratificarentur, adhortati fuerant. At rebus nondum firmatis; novis sumptibus in exercitu, ac classe retinenda erogandis, Republica implicata, subsidia periculis eorum paria submittere non poterat. Id tantum ad Pontificis animum inter dubias pacis, bellique spes, flectendum præstiterat, ut Urbinatem, qui duodecim peditum millia sub signis habebat, se in Parmensem agrum copias ducturum vulgaret, quo Clemens in suspicionem novi belli adductus, benignius cum Florentinis ageret. 1529

Ceterum iis postea, de quibus superius diximus, consequutis, omni cum Florentinis spe pacis accisa, universa belli procella in Hetruriam effusa, pro mœnibus Florentiæ pugnari cœptum est: cum interea pax Bononiæ inita fuisset, qua Pontifex, Imperator, Ferdinandus Rex, Senatusque Venetus convenere: illius hæc summa fuit. *Cum superioribus annis inter Carolum V. Romanorum Imperatorem electum, Regemque Ferdinandum ejus fratrem, & Venetorum Rempublicam, Hadriano VI. Pontifice Maximo suadente, perpetuæ pacis, mutuæque rerum Italicarum defensionis fœdera iij. kal. augusti, anno M.D.XXIII. sancita essent; temporum variante vicissitudine, urgentibus fatis, publica quies variis bellis convulsa, atque exagitata, novis fœderibus, quibus superiora obliterata, ac deleta fuerant, initis, cuncta fœde turbata fuerint; majora, atque acriora bella in singulis fere Italiæ partibus orta, regimina immutata, quampiures quoque urbes tam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam regni Neapolitani dereptæ, atque occupatæ summo totius Reipublicæ Christianæ detrimento: ut tandem tot calamitatibus, ac malis finis imponeretur, Clementem VII. Pontificem Maximum eundem-*

*Pacis inter Clementem, Cæsarem, Ferdinandum Regem, & Rempublicam Venetam conventiones.*

1529 *demque Imperatorem Carolum V. pacis, ac tranquillitatis cupidissimos, ut ad communem concordiam gradum struerent, inter se primo fœdera junxisse: deinde cum Francorum, & Anglorum Regibus æquas pacis conditiones firmasse: demum posteaquam Cæsar in Italiam venisset, nihil magis antiquius illis fuisse, quam ut certo loco de communibus Reipublicæ Christianæ rebus colloquerentur; idque ut citius fieret, Clementem Pontificem Maximum Bononiam se contulisse, atque Imperatorem paterno amore, ut par erat, complexum: cumque ambo id maxime optarent, ut ad pacem cunctos Christicolas allicerent, rebus Insubrum compositis, ac Francisco Sfortiæ Mediolanensi ducatu restituto, ad pacem, & concordiam Venetorum Rempublicam, cujus semper in pacem propensus animus fuisset, tanquam potissimam Italiæ partem, adducere statuisse, ad eam rem Gaspari Contareno oratori facultate a Senatu impertita: quapropter inter Cæsarem, Regem Ferdinandum, Venetorumque Rempublicam ad hæc fœderis pacta deventum fuisse.*

I. *Primum Ravennam, ac Cerviam, Flaminiæ urbes Veneti Pontifici traderent: quæ illis in locis jura obtinerent, reservarentur: a Pontifice illarum civibus, qui partes Reipublicæ sequuti fuissent, parceretur; & ubicumque degere maluissent, bonis suis frui, de illisque, ut libuisset, statuere liceret: patricii, cives, aliique Venetorum subditi, qui in illis urbibus, atque agris res, aut proventus possiderent, libere annuos fructus percipere, & quocumque iis liberet, sine ulla novi vectigalis solutione deferre possent: a Pontificiis magistratibus jus exigere; exactumque redderetur: quæ post pacem jurejurando firmatam quindecim dierum intervallo perficerentur.*

II. *Deinde mense januario Cæsari Tranium, Monopolis, atque alia castra, oppida, agri, quæ in Neapolitano regno Respublica obtinet, restituantur. Contra vero omnia jura, privilegia, immunitates, exemptiones, prærogativas, atque alia Venetis a Regibus Neapolitanis concessa, uti illis ante bellum fruebantur, Cæsar confirmet: domum praeterea in Neapolitana urbe sitam, quæ* Sancti Marci *nuncupatur, restitui jubeat.*

III.

III. *Solutio reliquorum ex aureorum ducentis millibus, quæ* 1529
*ex tertio capite pacis Venetæ anni M. D. XXIII. infra tempus annorum octo Cæsari debetur, hoc pacto fiat; nempe, ut mense januario exeunte, vigintiquinque millia numerentur; hac tamen adjecta conditione, quod intra anni spatium loca ex capite sexto pacis anni M. D. XXIII. Reipublicæ restituantur. Ea in re ut omnes difficultates tollerentur, placuit, ut intra viginti dies utrinque judices arbitri eligerentur, communisque intermedius designaretur, qui controversias dirimerent, atque intra annum sequentem definirent.*

IIII. *Extorribus annua aureorum quinque millia a Venetis persolvantur, pro ut quinto capite fœderis anni M. D. XXIII. cavetur.*

V. *Præterea in Cæsaris gratiam, præter pecuniæ summam, quæ conventis anni M. D. XXIII. continetur, centum millia aureorum erogarent, quinquaginta januario insequenti, totidem omnium Sanctorum festo die anni M. D. XXX.*

VI. *Quoniam vero Vormaciæ pactionibus jura Aquilejensis Patriarchæ illæsa tuenda esse cautum erat, atque ab iis, qui Regis Ferdinandi nomine agunt, res suas turbari Patriarcha conquereretur; totum hoc negotium judicibus arbitris mandatum: ii jura cognoscant; quæ reddenda sint, reddi faciant; atque impedimenta si quæ extiterint, cuncta amoveant.*

VII. *Eadem pace, ac fœdere, uti amicus, & socius, in clientelaque Reipublicæ existens, adsentiente Pontifice, comprehendatur Franciscus Maria Feltrius, Urbini Dux, atque almæ urbis præfectus, cum civitatibus, oppidis, aliisque rebus, quas nunc possidet.*

VIII. *Comiti Brunorio Gambaræ, Cæsaris cubiculario, ejusque fratri omnis contumaciæ culpa, si quam hactenus subiissent, condonaretur; in Cæsaris aula degere iis liceret, patria, bonis, privilegiis frui, omnium præteritarum rerum memoria prorsus deleta.*

IX. Ad hæc invicem convenere, quod *subditi omnes libere, tuto, ac secure possent in cujuslibet eorum ditionibus*

terra,

1529 *terra, marique mercari: benigne, atque humaniter cum illis ageretur, perinde ac si incolæ, & subditi illius Principis essent, cujus civitates, locaque adirent; ne vis, aut injuria ulla de causa inferretur; jus quamprimum administraretur; nulli ex eorum ditionibus, instructis armis, navigiis, nisi prius obsidibus de injuriis non inferendis datis, egredi liceret; terra, marique piratæ, ac prædones grassari in alterius Principis subditos prohiberentur.*

X. *Respublica vero quascumque civitates, agros, castra, oppida, loca, lacus, flumina, actiones, jurisdictiones, jura tunc obtineret, pacifice, quiete, & secure possideret.*

XI. *Quicumque post motum inter Maximilianum Imperatorem, & Venetos bellum usque ad pacem anni M. D. XXIII. Cæsari, aut Ferdinando adhæserant, atque ob id bonis mulctati, aut damnati fuerant, perpetratorum venia daretur; captivi, deportati statim utrinque libertate donarentur.*

Hæc pacis conditionibus continebantur: fœderis hæc summa fuit.

*Quod licet quæ superius exarata fuerant, firma satis viderentur; tamen ea firmioribus fundamentis innixum iri censebant, si arctius vinculum fœderis accederet: propterea Imperator, ac Respublica una cum Ferdinando Rege, ac Francisco Sfortia Mediolani Duce, fœdus invicem percusserunt, quo se ad mutuam defensionem pro ditionibus, quæ in Italia possiderent, perpetuis temporibus adstringerent; se, suaque adversus Reges, Principes, Potestates, Dominos, aliosve cujusvis gradus existerent, quacumque etiam suprema dignitate fulgerent, tutarentur; iis, quæ sequuntur, conditionibus adjectis.*

*Franciscum Sfortiam pro Insubrum defensione quingentos Italicos cataphractos semper in promptu habiturum, Cæsar pollicetur.*

*Si qui Reipublicæ aut Mediolanensi ducatui hostes arma inferrent, copias admoverent, exercitumque in Italia ad eorum ditiones invadendas instructum haberent, cum octingentis cataphractis, quo in numero quingenti, de quibus nuper*

*nuper dictum, comprehenduntur, præsto futurum, ditiones tutaturum, promisso Cæsar obstringitur: ad hæc quingentos levioris armaturæ equites, selectos pedites sex mille, præter bellicorum tormentorum apparatum.* 1529

*Respublica vero pari pacto Ducem, atque Insubrum omnem ditionem tueri, ad omnem eventum adesse, subsidia, quibus indigeret, mittere spopondit; octingentos nempe Italicos cataphractos, quingentos leviores equites, sex peditum Italorum millia, machinarum bellicarum apparatum: his copiis, ac viribus mutuo fines conservarentur, atque tuerentur; ex iis quingenti in pace alerentur.*

*Præterea convenere, ut ingruente in Neapolitanos a quovis Principe Christiano bello, etiamsi is in sublimi dignitatis gradu locatus esset, Respublica illi servando, ac tuendo quindecim triremes armis, ac militibus instructas mitteret.*

*Hac pace, & fœdere utrarumque partium socii comprehendantur: Cæsar, & Ferdinandus frater inter hos adscripsere Respublicas Genuensem, Senensem, ac Lucensem, Sabaudiæ Ducem, Montisferrati, & Mantuæ Marchiones. Jus, ac facultas Reipublicæ ante jurisjurandi tempus declarandi socios tributa: iisdem fœderibus Alphonsus Ferrariæ Dux, si cum Pontifice, & Cæsare concordiam inierit, includatur.*

*Quæ capitibus superioribus continentur, a Cæsare, Venetis, Mediolani Duce intra quindecim dierum terminum a Ferdinando Rege, atque aliis, fœderis habita notitia, intra mensem firmentur; sacramento singuli adigantur, cuncta superius exarata observaturos, atque dolo malo, & fraude amotis, bona fide præstaturos.*

His procuratores Principum nomine assensere, eademque sigillo subsignavere: actaque hæc Bononiæ, in domo Cardinalis Gatinariæ x. kal. januarii anno Servatoris M. D. XXIX. Paci huic firmandæ pro Pontifice interfuere Hieronymus Episcopus Vasonensis, Pontificiæ domus Magister ac Nuntius; pro Cæsare vero Mercurinus Cardinalis, & Marchio Gatinariæ Magnus Cancellarius, Ludovicus a Flandria Pratensis, Nicolaus Perenotus Granvellanus Consiliarii, Franciscus

1529 ciscus Covius supremus Cæsaris a secretis ; pro Ferdinando Caroli fratre Hungariæ Rege Andreas de Burgo Consiliarius, & orator ; pro Veneta Republica Gaspar Contarenus ; ac demum pro Francisco Sfortia Mediolani Duce Georgius Andreusius Protonotarius Apostolicus.

Ita denique post tot bellorum casus, post ærumnas, & calamitates, quibus jactata, ac fere convulsa Italia fuerat, læta pax affulsit ; & Respublica quæ terra, marique vario eventu, modo reluctante, modo afflante fortuna, dimicaverat, pacem cum dignitate, ad quam omnia consilia, atque actiones direxerat, nacta est. Gratum id cunctis civitatis ordinibus fuit ; cum post assidua viginti trium annorum bella, tranquillitatis, ac quietis fructus esset perceptura. Pacis nuntius ix. kal. januarii Venetias perlatus est : supplicationes Senatus decreto Deo Optimo Maximo cælitibusque habitæ, nec non grates actæ ; ac licet Cornelius, & Pisanus Cardinales, Gaspar Contarenus, & Marcus Antonius Venerius oratores, Cæsari Reipublicæ nomine gratulati essent ; hoc tamen officii genus ut denuo præstarent, Senatusconsulto mandatum est. Pontifici ab iisdem publico decreto post gratulationem gratiæ actæ, quod benevolum in Rempublicam animum ostendisset, atque adeo enixe in commune bonum incubuisset. Franciscus Gallorum Rex per Sebastianum Justinianum de pace ejusdem jussu certior factus. Adjectum, Rempublicam potentissimi, & Christianissimi regis exemplum sequutam, ut rebus Italiæ, Christianæque Reipublicæ prospiceret, ad illam firmandam devenisse, qua, ut Apuliæ loca, quod ab eo sæpius flagitatum fuerat, Cæsari restituerentur, cautum erat : inde ad filiorum libertatem tutiorem, ac firmiorem viam munivisse : nullo unquam aut tempore, aut casu a veteri in amplissimum regnum amicitia, atque in eundem Regem observantia, ac benevolentia recessuram, quam per manus traditam, a majoribus acceptam, atque a natura in animis insitam hactenus conservaverat. Eadem Henrico Angliæ Regi significantur.

Ita compositis Italiæ rebus, eo cunctorum animi convertebantur, quod a Suleimano aviditate gloriæ inflato, grave, atque acerbum

bum Christianæ Reipublicæ, & Cæsari præsertim, bellum intentabatur. Nam cum post Viennam irrito conatu oppugnatam Byzantium revertisset; appetente vere, aucto exercitu, acriori vi eandem urbem aggressurum, Germaniamque invasurum apud cunctos mortales fama vulgaverat; qui nominis gloriam aucupatus, Joannem Transilvaniæ Vaivodam Hungariæ Regem declaraverat; neque se dominandi cupidine permotum, sed, ut ejecto, atque sua sede pulso opitularetur, adductum fuisse. Aloysium vero Gritum thesaurarium regni creaverat, qui, episcopatus Agriensis titulo sumpto, apud Joannem Regem consiliarii munere fungebatur. Is Andreæ Ducis filius nothus erat, qui dum privatorum negotiorum causa, adhuc immatura juventa, Byzantium se contulisset, haud vulgare ingenii specimen dederat, magnamque auctoritatem, & gratiam apud Hibrainum, qui tunc supremo apud Turcas magistratu (quem *Visirum* vocant) fungebatur, nactus, turbulentis Reipublicæ temporibus plurimo fuerat adjumento. Omni igitur belli terrore ab Italia amoto, firmata pace, quatuor ex præcipuis Senatoribus a Senatu ad Pontificem delecti, ut illi pacem, ac fœdus nuper initum gratularentur, atque de more id officii genus erga Apostolicam Sedem præstarent, quod superioribus annis, ardente bello, deferri nequiverat: fuere hi Marcus Dandulus, Aloysius Gradonicus, Aloysius Mocenicus, Laurentius Bragadenus. Gaspari Contareno, cui in patriam revertendi facultas data fuerat, Antonius Surianus orator apud Cæsarem suffectus est; Marcus Antonius Venerius, qui ordinariæ legationis munere fungeretur, adjectus. Iis cum reliquis quatuor, ut Bononiam proficiscerentur, injunctum est; qui honorifice a Pontifice, atque Imperatore excepti, praeclare legationis munus obivere.

1529

*Joannes Transilvaniæ Vaivoda a Suleimano Rex Hungariæ declaratus.*

*Aloysius Gritus Hungariæ Thesaurarius assumit titulum episcopatus Agriensis.*

*Oratores Veneti ad Pontificem pacis causa delecti.*

Pacis bono lætis animis insuetisque gaudii argumentis cunctis Italis exultantibus, in communi lætitia Florentina Respublica gravibus undique circumsepta molestiis, & curis videbatur, reliquorumque Principum concordiam in suam perniciem casuram verebatur. Nam Cæsar Clementis suasionibus, ac petitionibus adactus Bononiæ, arma in Florentinos movere, reipublicæ illius statum immutare, Mediceam fa-

1529 miliam in patriam restituere aggressus fuerat; ea conditione, ut Alexandro Mediceo Pontificis nepoti, cui nuper Margaretam, ex non legitimis nuptiis susceptam filiam, in matrimonium collocaverat, principatus traderetur. Itaque quatuor Germanorum millia, Hispanorum duo millia supra quingentos, octingentos Italos pedites, trecentos leviores equites in Hetruriam miserat, adjectis machinis bellicis vigintiquinque, qui auspiciis Arausionensis Principis adversus Florentinos, cum pontificiis copiis conjuncti bellum gererent. Florentini licet ad tantam belli molem sustinendam impares essent; attamen ingenti animo hostium impetum excipere, ac pro libertate usque ad extremum spiritum pugnaturi videbantur; eo miseriori conditione, atque infirmiori spe, quod nullos socios, qui secum belli fortunam subirent, habituri essent; cum nemo pacem tanto studio partam, statim labefactare, & convellere vellet. Veneti, qui ante imminens Florentinæ Reipublicæ bellum providerant, & sæpius illam ad aliquam concordiæ rationem cum Pontifice ineundam fuerant adhortati, ut sua consilia temporibus aptarent, suadebant: generosos, ac minime ea tempestate opportunos spiritus matura prudentia compescerent; pacem, etsi minus fortasse æquam, incerto, & periculoso bello anteferrent. Verum is erat fere omnium civium ardor, ea constantia, ac firmitas, ut quicumque sermones de pace haberent, ii hostes patriæ judicarentur. Bellum itaque intrepide suscipiunt; Malatestam Baleonium, militari scientia clarum, copiarum Ducem eligunt. Acriter utrinque pugnatum est; levioribus præliis, acie dimicatum; oppida capta, & direpta; urbs quassata, & obsessa: utrinque clades illatæ, atque acceptæ. Tandem cum neque fame pervicax constantia civium frangeretur, neque in mortem ruere vererentur, Malatestæ Baleonii, qui cuncta desperatione involvi cerneret, minis potius deterriti, quam suasionibus permoti, inviti extremæ necessitati parere coacti fuere. Itaque iiij. idus augusti cum Ferdinando Gonzaga, qui post Arausionensis cædem, principem in exercitu locum obtinebat, his conditionibus pepigere: nempe, ut Cæsar Rempublicam Florentinam, incolumi libertate, prout sibi vide-


*Veneti Florentinos ad concordiam hortantur.*

*Malatesta Baleonius Florentinarum copiarum supremus Dux.*

*Florentini Baleonii minis deterriti cum Ferdinando Gonzaga pacificantur.*

videretur, ordinaret; captivis libertas, extorribus civitas 1529
redderetur; injuriarum omnium, ac præteritarum rerum memoria oblivione deleretur: octoginta aureorum millia in ſtipendia militum a Florentinis perſolverentur. Ita perdomita reſpublica, præclara quondam, multiſque rebus egregie geſtis inſignis, fuit.

# Finis Libri Tertii.



# EPITOME.

*Veneti Carolum V. Imperatorem per eorum fines in Germaniam redeuntem omni officiorum genere prosecuti sunt. Eo praesertim versa Senatus cura, ne datam Suleimano fidem violasse ipsi viderentur, eumdemque ut ab emittendae classis consilio averterent. Pontifex grassantes haereses bello persecutus fuisset, ni aliter Veneti persuasissent. In sacerdotiorum possessionem minime mittendos antistites, quos Senatus non designaverat, decrevere Patres: in Clementis tamen gratiam paullo post mitti placuit. Ob turcici belli metum, simul & ob infesta latrociniis maria classis aucta. Motus in Insubribus per Jacobum Mediceum, Mussi praefectum, exciti. Reipublicae Florentinae Alexander Mediceus Princeps a Caesare impositus. Bellum pannonicum a Suleimano indictum. Sacerdotibus subsidium ad classis impendia a Senatu imperatum gravissime Pontifex tulit. Veneta classis, Caesareana ac Turcica percurrente maria, utriusque studio vacua Corcyrae potissimum substitit. Novo cum Caesare, & Pontifice obstringi foedere, quamvis illis enixe postulantibus, non e republica visum. Montisferrati ditione dotis nomine Gonzagae potiti. Hieronymus Canalis turcicas triremes, cum piraticas credidisset, aggressus est. Pugna noctu, praelucente luna, commissa, ac prospere pugnata describitur. Catharina Medicea Duci Aurelianensium Henrico nupsit. Chariadenus Aenobarbus, rei maritimae a Suleimano praepositus, universam tyrrheni maris oram caedibus ac latrociniis foedavit: Romae ipsi maximum terrorem injecit. Turcici imperii fines terra, marique prolati. Aloysii filii nothi, qui egregiis animi dotibus, magnaque apud Suleimanum auctoritate suae sibi fortunae faber fuerat, ab inimicis obtruncati caedes Andream Gritum patrem, Venetiarum Ducem, gravissime perculit. Clemente VII. extincto, Paulus III. Farnesius universae Ecclesiae Pontifex datus est. Hic pacis primum studiosus, ob Camertium ducatum, in quem Urbinas tamquam uxori debitum invaserat, parum abfuit, quin novo in Italia bello faces subjiceret. Carolus V. in Africa rem prospere gessit: Guletam vi, Tunetum captivorum christianorum, qui se in libertatem proripuerant, ope expugnavit: regnum Muleassi reddidit: victor Neapolim regressus est. Franciscus Sfortia herede nullo relicto decessit. Galliae Rex vetera in Insubres jura obtendens, eo sibi viam, aliquot subalpinis oppidis expugnatis, aperire conatus: Turcas in Caesarem incendit. Hinc a Caesaris amicitia ut Venetos avocarent, Turcae omni ope annixi. Sed tandem fortuitis quibusdam casibus tota turcici belli moles in Venetos incubuit.*

HI-



# HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI

## LIBER QUARTUS.

M. D. XXX.



Niversa Italia, cunctisque orbis Christiani 1530
provinciis diu communis concordiæ boni expectatione tabescentibus, cum tandem egregia pacis species se obtulisset, vix dici potest, quanta undique omnes, præsertimque Italos lætitia circumfuderit, ut pene præteritarum cladium, ac laborum obliti, Divino quietis munere jam præcipere animis futuræ felicitatis præmia viderentur. Respublica vero Veneta, quæ per triginta atque amplius annos continentibus bellis exercita, varia rerum discrimina, diversosque casus subierat, portum tandem quietis, securæque tranquillitatis stationem invenisse videbatur; eo ut firmiori nexu sibi summos Principes adjungeret, omnium, quas unquam antea

1530 designasset, præstantissimorum civium præclaram, ac perhonorificam legationem, de qua diximus, ad Clementem, & Carolum miserat. Hæc Bononiam anni hujus initio ingressa cunctorum oculos ad se attraxerat; quippe qui Senatus Veneti majestatem in ore, ac vultu præcellentium civium intuerentur, secumque reputarent, quanta infracti animi constantia, quibus egregiæ fortitudinis exemplis patriam e summis ereptam periculis, incolumem servasset, ampliorique gloria illustrem reddidisset: habitus quoque priscam quandam Senatoriam dignitatem præseferebat; erant enim in lato clavo aureo ad talos usque demisso, ad humeros fibulis subnixo, augusta quadam gravitate spectabiles. Pontifex in frequenti Cardinalium, atque aliorum Sacerdotum consessu eos humaniter, ac perhonorifice excepit: triduo post Cæsar amplissima in aula, regali sede subnixus, principibusque viris circumseptus, multis benevolentiæ, atque honoris argumentis suscepit.

*Oratores Veneti a Pontifice & Cæsare excepti.*

*Laurentii Bragadeni oratio.*

Laurentio Bragadeno, cui sapientiæ studia cum eloquentia conjuncta magnam apud omnes virtutis, atque existimationis famam concitaverant, orandi partes, quod natu minor esset, obtigere. Is gravem, splendidam, omnique genere laudis refertam orationem seorsim ad Cæsarem, atque Pontificem habuit. Pontificem summis laudibus extulit, quod excelso spiritu perturbatæ, ac labantis Christianæ Reipublicæ causam suscepisset; afflictis, & prope perditis rebus opem tulisset; nil præclarius, nil sublimius ab eo, qui Christi Optimi Maximi vices in terris gereret, ad uberiorem omnium commodum proficisci potuisse, quam ut aureo pacis vinculo discordes, ac dissilientes Principum mentes vinciret, & conciliaret. Tum Senatus nomine gratias ingentes egit, quod Reipublicæ de Christiana religione optime meritæ studiose favisset; quod illius ope assiduis bellorum curis, ac solicitudinibus libera, præsenti tranquillitate, & pace frueretur, id illi in primis acceptum referre. Cæsari vero, ingenti Rempublicam lætitia affectam fuisse, significat: tempus illud, quod summopere concupiverat advenisse, quo propensum in illum studium arctiori fœdere testaretur; quæ superioribus annis acta fuerint, necessitate temporum accidisse; illorum malignitate ad arma, ad bella descendisse; ægre tempestatum illarum casus Rempublicam tulisse:

ſe: nunc vero, controverſiis undique amputatis, firmata pace, ut illam in dies majoribus præſidiis fultam tueretur, enixuram: nil potius Senatui in votis eſſe, quam ut vetus inter nobiliſſimam Auſtriacam domum, ac Rempublicam amicitia majora incrementa ſumeret. Latine oranti Evangeliſta Taraſconus pro Pontifice, Mercurinus Cardinalis pro Cæſare, eodem ſermonis genere uſi, reſponſum dedere. 1530

His perfuncti officiis legati, etſi egregie munera ſibi a Senatu injuncta obiviſſent; Bononiæ tamen illius juſſu ſubſtitere, ut eum diem, quo Cæſar corona auguſta decorandus erat, ad Reipublicæ in illum ſtudium declarandum, cohoneſtarent. Cæſar enim quamquam antea Romam ad coronam ſumendam proficiſci decreverat, varias ob cauſas conſilio mutato, Bononiæ ad illam ſuſcipiendam commorari ſtatuerat: cum plurima illius in Germaniam profectionem urgerent; quod in ea provincia diſſidiorum ſemina oborta, diſſenſiones, bellaque civilia portenderent; Pannoniciſque rebus occurrendum eſſet, cum Joannem Regem, ingentibus Turcarum præſidiis fretum, vere in Noricum irrupturum nuntiaretur. Itaque vj. kal. martias, divo Matthiæ Apoſtolo dicatus dies, natalis Cæſaris deligitur, quo imperiali diademate inaugurarerur. Id vero tanta mortalium undique confluentium copia, & concurſu, tanta celebritate, ac ſplendore effectum eſt, ut nihil ea tempeſtate, quod vel pompa, vel regio apparatu, vel opibus, atque exquiſitiſſimo cultu ſpectaculum illud ſuperarit, aut exæquarit, viſum fuerit. Quo perfecto, legati Venetias rediere: ante diſceſſum a Cæſare aureis nummis Luſitanis quingentis donati, quorum ſinguli denos aureos Italicos conficiunt. Cæſar, auguſtali corona ſuſcepta, Bononia diſcedens, Mantuam profectus eſt, atque in ea urbe regia hoſpitalitate a Federico Gonzaga Marchione cultus, ut ad illius poſteros perpetua hujuſce rei memoria manaret, Ducis titulo illum decoravit. Inde cum per fines Reipublicæ iter in Germaniam facturus eſſet, Paulo Nanio, & Joanni Delphino continentis legatis, Joanni Mauro Patavii, Petro Grimano Vicetiæ præfectis Senatus mandavit, ut ad Villam Francam, Veronenſium oppidum, Mantuanis finitimum, Cæſari obviam irent, ac Reipublicæ nomine exciperent. Veronæ magiſtratui injunctum ut ſummo ſtudio annonam, quæque neceſſaria forent, conquire-

*Carolus Bononiæ corona Imperii inſignitur.*

*Federicus Gonzaga a Cæſare Ducis titulo auctus.*

*Veneti legati ad Carolum Cæſarẽ in Reipublicæ finibus excipiendum.*

 ret,

1530 ret, ut omnia militibus, Cæsarisque comitatui abunde suppeterent. Cæsari tria millia sestarium ordei, ac quidquid undique vel generosi vini, vel piscium, aut avium, aliarumque rerum hujusmodi excellens inveniri potuit, exhibitum est. Itaque Carolus principibus viris, ac legatis comitantibus, inter quos Nicolaus Theupolus, ordinarius ad illum a Senatu orator designatus est, agro Veronensi emenso, ubique summis honoribus, & effusa omnium gratulatione exceptus, ad Exclusam pervenit. Ibi cum legatis, ac præfectis magnas habere gratias Senatui dixisset, quod in illum tot honoris, humanitatis, & benevolentiæ signa edidisset, eadem memoriæ semper hæsura pollicitus esset, eximium in Rempublicam studium testatus, per Tridentinos saltus in Germaniam se contulit. Statimque tres legatos Venetias misit, qui propensam illius erga Rempublicam voluntatem patefacerent, atque de iis perficiendis agerent, quæ Bononiensis pacis conditionibus continebantur. Multa de extorribus, & definiendis cum Ferdinando Caroli fratre finibus egere. Iis cum a Senatu, uti res poscebant, responsum esset, pateris aureis ad millium aureorum summam singuli donati, dimissi fuere.

*Nicolaus Theupolus ad Cæsarem orator.*

Earum rerum, quæ in Italia gerebantur, fama pervagante, crebri sermones de jungendis adversus præpotentem Turcarum Imperatorem Principum Christianorum armis ferebantur: & cum plerumque eveniat, ut iis, quæ maximopere cupimus, spe blandiente, potiri jam nobismetipsis videamur, cuncti, quonam potissimum arma vertenda forent, disserere: nullas satis ad obsistendum vires hostibus futuras; terrestres copias, maritimasque classes enumerare; debellatum animo subjicere hostem. Bononiæ in aliquot Cardinalium concilio Pontificis jussu, cui legati quoque Principum nonnullorum interfuerant, quo apparatu, quibus viribus bellum adversus Suleimanum inferendum, quave ratione illius in dies crescenti potentiæ obsistendum esset, actum fuerat; cum præsertim hoc anno se Vienna pulsum indigne ferens recentibus, atque majoribus copiis illius excidium minaretur, ruinasque mente designaret. Hæc vero Byzantium ad Suleimanum supra veritatem quoque perlata, haud exiguam illius animo suspicionem injecerant, ne Veneti, qui nuper pacem, & fœdus cum Carolo percusserant, aliquid suis rebus adversum molirentur. His de rebus Senatus ab Aloysio Grito, Joannis Sepusiani Hungariæ Re-

*Sermones de bello Turcis inferendo Byzantium delati.*

Regis legato, qui Suleimanum Byzantium comitatus fuerat, certior factus; ut quamprimum suspicionum semina, quæ aliquando in Reipublicæ perniciem eruptura forent, ex illius mente evelleret, legatum Byzantium mittendum censuit, qui pacem cum Cæsare initam significaret; veterem cum Ottomanis amicitiam colere sibi constitutum esse affirmaret; optantibus Turcis, denuo pacis conditiones firmari, iis subscribere ne detrectaret. Vigebat sane in Suleimano ingens animus, ut omnem fere barbariem exuisse videretur; in Rempublicam mira propensio, quam quidem sæpius haud obscuris argumentis declaraverat. Primum enim Hibrainum oratorem Venetias miserat, ut de iis, quæ in Pannoniis gesserat, Senatum doceret, Joannemque Sepusianum, amicum Reipublicæ, regio titulo decoratum, Hungariæ præfecisse nunciaret; ac paulo post Cussaino nuntio mandaverat, ut Venetias profectus significaret, statuisse Suleimanum quatuor suos filios circumcidere, ut qui iis solemnibus interessent oratores Senatus mitteret. Thomas Mocenicus legatus designatus est; Petro Zeno ordinario legato Franciscus Barbarus suffectus, qui statim itineri se commisere. Cum eodem tempore sacrum in Turcas bellum a Pontifice promulgatum esset, cujus jussu e suggestis concionatores vehementissimis orationibus populorum animos concitabant, ut pecuniam in belli adversus Christianæ religionis hostes sumptibus erogandam affatim, & liberaliter tribuerent: ea res magis suspectos Venetos Suleimano reddiderat, ne, communi cum reliquis Principibus fœdere icto, adversus ipsum conspirarent; præcipue cum ex Bononiensis pacis conditionibus non exiguam pecuniæ vim Cæsari pependissent, neque unquam de concordia ineunda illum certiorem fecissent. Poterant hæc Suleimani animum a Republica alienare, ni legati supervenissent, a quibus veteribus conditionibus pax denuo instaurata, ac firmata fuit. Legati ludis, & spectaculis interfuere, quæ pro initiandis Suleimani filiis maxima pompa, magnificentissimo, ac regio apparatu exhibita fuere; summis honoribus a Rege, atque a purpuratis culti; & multis, iisque pretiosis donis, quæ de more gentis Reipublicæ nomine Turcarum Imperatori dedere, illustriori legatione reddita: inter hæc ingentis pretii, ac pulchritudinis rhinocerotis cornu mirum in modum Regi gratum extitit.

1530

*Hibrainus Suleimani orator ad Venetos.*

*Cussainus Suleimani orator missionem Veneti oratoris postulat.*

*Thomas Mocenicus legatus ad Suleimanū designatus.*

In-

1530 Interea Suleimanus belli non minus laboribus, quam pacis artibus, & ſtudiis intentus, modo bellum Pannonicum moliri, de Vienna invadenda conſilia habere; modo de claſſe ex Helleſponto emittenda, marique a piratis purgando agere. Atque ut Byzantium imperii ſui ſedem, quantum fieri poſſet, florentiſſimum, & opulentiſſimum redderet, animo volutabat, ut aromata, & alia mercimonia, quæ ex India, atque omnibus orientis oris Alexandriam, & ad alios imperii ſui mercatus convehebantur, cuncta Byzantium importarentur: quocirca omnium gentium negotiatoribus, ut a ſericis, atque aromatibus emendis abſtinerent, imperaverat, ingentemque harum rerum vim, ſexcentis aureis millibus in id impenſis, ſuo ære coemerat. His rebus haud parum Veneti commovebantur, incrementa, quibus in dies validior gens Chriſtiano nomini infenſa evaderet, ſuſpecta multum habentes; aliorum Principum, ac regnorum caſibus ſterni ad reliquos acrius oppugnandos iter intuentes, cum Turcis inſitum eſſet, aſſidua bellorum agitatione imperii ſpiritum fovere, atque alere, quod torpore pacis diſſolutum, ac languidum contabeſceret. Itaque Senatus Joanni Sepuſiano, Hungariæ Regi, ſuadebat, ut, concordiæ ratione aliqua cum Ferdinando Archiduce inita, innumera impendentia mala, ingenteſque calamitates a Reipublicæ Chriſtianæ cervicibus propelleret. Poloniæ Regem, qui antea id negotii ſuſceperat, hortabatur, ut vehementius in publicum commodum, auctorem ſe pacis præbendo, incumberet. Eodem tempore, ut ab emittenda claſſe Regis animum averteret, enixe Senatus laborabat, Grito, qui ſumma apud eam gentem auctoritate pollebat, contendente: Venetos nihil prætermittere, quod ad exturbandos piratas ſpectaret; claſſem omni genere navium inſtructam habere; omnia percurrere maria, ut tuto mercatores ultro, citroque commeare poſſent. Ac ne Turcæ, ut in ſinum Adriaticum irrumperent, Melitenſium excurſiones prætenderent, Veneto præfecto injunctum eſt, ut Senatus nomine trierarchis Melitenſibus ſignificaret, ab Adriatico ſinu abſtinerent, neque iis navigiis damna inferrent, quæ Ionio, & Cretico mari navigarent, quod ea loca in Venetorum tutela eſſent: ni id facerent, Melitenſes triremes exarmari juſſit. His conſiliis diuturnam ſervare pacem Senatus, mu-

*Veneti Joannem Sepuſianum ad pacem cum Ferdinando ineundam hortantur.*

*Senatus mandata de Melitẽſibus piraticam exercẽtibus.*

mutuisque officiis Regum, ac Principum amicitias retinere, 1530
& conservare adnitebatur.

Et cum Franciscus Galliarum Rex nuper filios, qui quartum jam annum obsides in Hispania fuerant, e custodia dimissos in suum regnum incolumes recepisset, atque exoptatæ rei nuntium ad Senatum misisset; ut nullum officii genus prætermitteret, quod ad Reipublicæ studium, & observantiam in præpotentem, atque amicum Regem declarandam spectaret; duos oratores ad Regem designavit, Joannem Antonium Venerium, ac Joannem Pisanum divi Marci procuratorem; quorum prior in Sebastiani Justiniani locum suffectus ordinarii legati munere fungeretur; alter vero de filiorum libertate, atque incolumitate, ac de Regis cum Heleonora Cæsaris sorore connubio gratularetur: quo munere a Pisano peracto, simul cum Justiniano in patriam reversus est. At Cæsar cum primum in Germaniam venisset, Principum concilium Augustæ indixerat, in quo de gravissimis rebus disceptatum fuerat; quibus nempe viribus Suleimani conatus arceri, ac Pannoniæ fines defendi possent. Tum de causa religionis actum, cum teterrima pestis, quæ superioribus annis a Martino Luthero illata, tractu temporis adeo invaluisset, ut a priscis ritibus, & ceremoniis miseros, nimiumque credulos mortales abstractos, pravis, atque sæpius inter se dissidentibus erroribus turpissime fœdasset: cui malo sævienti licet obviam ire Cæsar adniteretur; attamen res undique magnis involuta difficultatibus cernebatur. Concilium Novatores petebant, in quo de maximarum rerum controversiis agitaretur; & licet, hac una adhibita ope, sæpius ab Ecclesia hæreses profligatæ, ac penitus eversæ fuissent, præsensque afflictis christianæ reipublicæ rebus remedium videretur; tamen is erat perversorum hominum, qui se capita, atque antesignanos profitebantur, livor; illud in Pontificem odium, ut non ad confirmandam, sed potius ad convellendam religionem concilium postulare viderentur. Quæ res Clementem permovebat, ne tam facile Cæsari Germanorum nomine concilium petenti assentiretur, veritus, ne illo ad labefactandam, ac penitus convellendam pontificiæ majestatis auctoritatem abuterentur. Quocirca nonnunquam moras nectebat: Christianorum Principum dis-

*Joannes Antonius Venerius, & Joannes Pisanus oratores ad Galliæ Regem.*

*Cæsar Germanorũ nomine concilium postulat.*

1530 diſſidia tolli prius oportere; in id ſingulos, odiis, ſimultatibuſque ſemotis, conſpirare, ut procul a ſanctiſſimo religionis negotio animorum perturbatio, humanæque mentis ſubdoli nimium ſenſus abeſſent. Verum quo minus probare concilium Pontifex videbatur, eo magis Germani, qui ſe *Proteſtantes* vocabant, inſtare, ac flagitare: ut Clemens majora in dies incrementa ſuſcipienti malo armis occurrendum eſſe ſibi in animum induceret. Qua de re non modo graviter cum Imperatore egit, pecuniæque vim obtulit; verum ea ſe mente eſſe Reipublicæ oratori ſignificavit, cunctoſque Chriſtianos Principes ad pium pro avita religione bellum ſuſcipiendum impellendos cenſere; quæ graviſſima in re Senatus ſit ſententia exquirere, conſilium ab illius prudentia petere. Senatus, qui a bello, atque armis abſtinendum arbitrabatur, ne jactata diu chriſtiana reſpublica hac tempeſtate in majores procellas, ac turbines incideret, Pontificis egregiam mentem extollebat; in religionem, priſcamque, & per manus traditam majorum diſciplinam, accenſum animum ſummis laudibus efferebat: ceterum ad aleam belli, niſi neceſſitate adactos, deſcendere minime probare: his enim acrius Germanos Principes exaſperandos; conquiſitis undique copiis, atque auxiliis, veluti in rabiem actos, in bellum dirum, atque inextricabile prolapſuros: genus id hominum eſſe, quod ſuis opinionibus addictum, ægre, nec, niſi annuente Deo Optimo Maximo, ad bonam frugem reduci queat: ſacrarum literarum auctoritate, ratione cum illis certandum: reſpiceret quo loco chriſtianæ reipublicæ res eſſent, quot ſuperioribus attritæ caſibus: ut denuo vires aſſumant, quiete in primis, non novis bellorum agitationibus opus eſſe: a quonam Italorum Principum quidquid pecuniæ, quidquid virium erat, præteritæ calamitates non exhauſerint? an vero Germaniæ, licet ampliſſimæ provinciæ, viribus fidendum eſſe? quis autem pro explorato habeat, orto bello, cuinam parti proceres Germani, penes quos eligendi Imperatoris facultas eſt, adhæſuri ſint? liberæ porro civitates, quæ Cæſaris auctoritatem ſequuntur, niſi prius ratione diſceptetur, nunquam ad arma venturas eſſe profitentur: an vero Cæſar, reliquis deſtitutus auxiliis, per ſe ipſe tantas cogere copias poterit, quæ frangere ſeditioſorum hominum ſuper-

*Clementis ſententia de hæreſibus armis evellendis.*

*Senatus officia, ut a bello Pontificem amoveret.*

perbiam, effrenesque illorum turbas, & conatus coercere 1530
queant? quid? quod desperatione præcipites, cæca insania in exitium acti, ad illa subsidia confugere possent, quæ illis non modo, verum toti christianæ reipublicæ perniciosa, atque exitialia futura essent? Hanc itaque Senatus gravissima in re sententiam esse: nihil magis optandum, quam ut, religionis dissidiis amotis, restinctis odiis, prisca, eademque catholica religio retineatur, atque augeatur, quam ab incunabulis Respublica Veneta sanctissime servaverit, atque omni tempore coluerit. Tanta in re vel Senatus auctoritate, vel rationibus permotus Pontifex belli consilia abjecit; cum præsertim ea temporum conditio esset, ut potius in communem hostem arma vertenda, quam in propria viscera sæviendum esset, cum in dies Suleimanum ingentibus copiis in Pannoniam reversurum, Viennam oppugnaturum rumor afferret; neque Cæsar ab iisdem consiliis abhorrebat, potiusque concordiæ rationes inveniri, quam armis decerni cupiebat, in id summopere intentus, ut Ferdinandum fratrem procerum suffragiis Romanorum Regem crearet: quocirca religionis causam in futurum concilium distulit.

Interea vero, quo finium controversiæ a Venetis cum Ferdinando definirentur, ut ex præscripto pacis utrinque arbitri deligerentur, postulabat. Neque dissentiebat Senatus, sed cum in supremum arbitrum minime convenire possent, mora negotium differebatur: nam Ferdinandus Mantuanum Ducem, vel Augustæ Vindelicorum Antistitem, vel Pontificis apud se oratorem huic muneri obeundo præficiendum curabat: Veneti Teatinum Episcopum, Salernitanum Archiepiscopum, & Pontificis apud Rempublicam oratorem dicebant. Tandem cum Senatus Matthæum Avogarum nobilem patricium, doctorem, equestri insignitum dignitate, arbitrum dixisset, adhuc diffidentibus de supremo sententiis, res cunctatione trahebatur. Neque minus Senatum urgebat, quod nondum, anno fere elapso, Mediolanensem arcem, ac Novocomum civitatem Francisco Sfortiæ Cæsar, ut cautum fuerat, restitueret; veritum, ne humani casus fructum pacis prærriperent. Cunctationis caussa dicebatur, quod Franciscus Sfortia eam pecuniam Cæsari solvere non posset, quam se numeraturum prius quam oppida

*Arbitri inter Venetos ac Ferdinandum.*

da

1530 da traderentur, pepigerat. Itaque mutuo illi quinquaginta aureorum millia a Senatu oblata sunt; atque ut eadem opportune restitueret, centum ac quinquaginta millia sestarium salis præbiturum, Ticinum usque missurum pollicebatur; in singulos quartam aurei nummi partem Reipublicæ penderet, majorique pretio Insubrum populis divenditis, quinquaginta aureorum millia mutuo accepta cogeret. Verum Sfortia, ut Cæsari gratificaretur, qui Genuensibus negotiatoribus favebat, salarium vectigal alia ratione comparavit, pactaque pecunia soluta, arcem, & urbem recepit, integraque Mediolanensis imperii possessione est potitus. Atque, ut plerumque accidere solet, quod ii, qui novum principatum adepti fuere, omnes armorum motus perhorrescunt, parvis quoque, ac minimis rebus in ingentes suspiciones adducuntur; verebatur Sfortia, ne Gallus, amissæ in Italia opulentissimæ ditionis impatiens, novos motus cieret. Senatum enixe rogabat, ut cum Rege Galliarum ageret, ne quid hostile in ipsum moliretur, motusque armorum compesceret, quorum famam Alpes transgressam augeri Sfortia in dies affirmabat. Senatus, quamvis iis, quæ ab ipso dicebantur, fidem haud satis haberet, attamen ut Gallorum animis spem omnem eximeret, a Cæsare, & sociis Venetos sejungi posse, Reipublicæ mentem Regi non modo, verum aliis quoque Europæ Principibus significavit: statutum, ac fixum sibi animo esse, præsentem Italiæ statum tueri, neque ullis propositis conditionibus a pace nuper firmata velle discedere. Andreæ Grito Duci injunctum est, ut quotiescumque ea de re cum legatis Principum sermones incidissent, apertis id verbis exprimeret. Cæsar, ut non verbo tantum, sed re ipsa Respublica quod fœdere tenetur, præstaret, flagitabat, milites conscriberet, copias augeret. Ea molesta nimium Senatui erant: si res ita tulissent, exercitum cogere, cuncta ad bellum necessaria comparare, nulla in re fœderi deesse velle, Cæsari significabat: nihil esse quod vanis, atque incertis rumoribus ad ingentes sumptus traheretur, quibus vires Reipublicæ exhaurirentur, ac pro pacis beneficio acerbos belli fructus perciperet. Ita inter recentes nuptias, atque arctæ affinitatis jura, quibus modo Carolus, ac Franciscus devincti fuerant, regni cupidines, aut metus miscebantur; humanæ sitis inex-

*Arx Mediolanensis & Novocomũ a Sfortia recipiũtur.*

inexplebilis exemplo, qua mortalium animi adeo transversi aguntur, ut communis sortis obliti, veluti æternum victuri, dominandi libidini divina, atque humana cuncta subjiciant. 1530

Dum variis hisce curis Principum animi distinentur, Senatus, quod superiori anno negotium cœperat, temporumque conditione intermissum fuerat, de majoribus nempe sacerdotiis eligendis, denuo suscepit; cum nimis grave videretur, ea se auctoritate exui, qua urbium antistites designare, ac Summis Pontificibus confirmandos exhibere majores consueverant; quod priscum Reipublicæ institutum præteritorum bellorum varii casus interverterant. Quapropter a Clemente Senatus enixe petebat, ne antiqua jura Reipublicæ de Apostolica Sede optime meritæ adimeret; idque vel priscis illius, vel recentibus meritis tribueret, quod pro Italiæ dignitate, & libertate retinenda tot, tantisque curis, ac periculis obstinate adeo laboraverat. Clementis vero hac in re durus nimium, atque difficilis animus plerosque Senatores sic affecerat, ut quos ille antistites delegisset, eos in sacerdotiorum possessionem nullo pacto mitti vellent. Atque inter ceteros, Christophoro Marcello, Corcyræ Archiepiscopo, vita functo, in ejus locum Jacobo Cauco suffecto, cum ab eo possessio peteretur, atque Senatusconsultum ea de re ab universo Collegio latum fuisset, rejectum fuerat; neque alii, quam Hieronymo Barbadico, quem Senatus delegerat, sacerdotium id concessuri Senatores videbantur. Qua re commotus Pontifex, indigne ferebat, a se delectos antistites repulsam a Senatu pati; jura Ecclesiæ nunquam lædi, vel imminui passurum se affirmans, præteritarum offensionum memoriam sæpe revocans, & crebris sermonibus usurpans: quo fiebat, ut in diversas sententias Senatores distraherentur. Nonnulli insistendum, & constantem Reipublicæ causam defendendam esse contendebant; si nullo modo flecti se posse Senatus ostenderet, æquis Clementem illius postulatis assensurum; si dissidentes Senatorum sententias persentiret, si nutare, ac labare mentes animadverteret, cui dubium, quin nihil impetrari a Pontifice posset? unanimi Senatus consensu Clementis obstinatam mentem frangi posse; nulla re magis eversas Reipublicæ res pristinæ dignitati, ac de-

*Veneti de Antistitibus designandis negotium denuo suscipiunt.*

*Jacobo Cauco Corcyræ episcopatus possessio a Senatu pernegata.*

1530 decori restitutas fuisse, quam egregia, atque obnixa cunctorum civium voluntate. An vero ea de re nunc agi, quæ nihil momenti vel ad dignitatem, vel ad utilitatem Reipublicæ conferat? exteros homines nonnunquam insigniorum urbium antistites creatos, multa sæpius agere, quæ a Reipublicæ rationibus magnopere sejuncta sint, quod alteri opes suas, atque fortunas, non Senatui, cui maxime oporteret, acceptas referant: ingentibus divitiis, quibus etiam supra vota abundarent, ad eorum gratiam promerendam facile abuti, quorum opera dignitatis aliquam sibi accessionem spondeant: a Senatu non modo cives, in patriam natura propensos, sed sanctissimos viros præterea deligi, vitæ integerrimæ exemplis apud omnes in honore habitos. Quid vero? Reges alios, ac Principes civitatibus suis Sacerdotes omnes majores impertire, Senatum Venetum eo tantum privari, quod continuis temporibus majores obtinuissent? irent nunc, Pontificisque minis a tuendis publicis rationibus deterrerentur: in dies majora, atque acerbiora toleranda. An vero timendum esse, ut rursus bellum hac de causa non exardescat? neminem pacem magis, quam Clementem exoptasse, bellorum pericula maximo cum damno suo expertum, nunquam eodem se revolvi passurum. Contra vero qui altius rem inspiciebant, difficile admodum, atque arduum opus esse, a proposita revocare sententia Clementem arbitrabantur: nec e Republica censebant, simultatum, atque odii semina in illius animo serere, cum ad præsentem Italiæ statum retinendum nihil magis, quam Reipublicæ cum Pontifice amicitiam conducere posse putarent: in tot maximorum, ac præpotentium Principum ambitiosis cogitationibus nihil tutius esse, quam hoc uno, veluti fortissimo munimento, inniti. Neque deerant, quibus non satis probaretur, ecclesiasticarum dignitatum, & opum spe civium mentes ali, qua nonnunquam deliniti & capti, ardorem, atque studium, quo patriam complecti oportuisset, sensim remitterent: moderato victu, ac privatorum divitiis auctam esse Rempublicam, in qua ornanda, & amplificanda omnes perpetuo insudarent, dum cives, quidquid gloriæ, quidquid dignitatum, quidquid opum foret, id omne non sibi, sed commodo publico compararent: retinendos priscorum sapientissimorum hominum mores, non fa-

faces ad ambitionem, ac luxum civibus adhibendas. Hæc, atque alia hujusmodi variis sermonibus jactabantur, cum Senatus in Clementis gratiam, quos antistites delegerat, in possessionem sacerdotiorum misit, leniusque cum eo agere cœpit, ut priscum jus reciperet; licet aliarum rerum, quæ postea consequutæ sunt, eventibus cunctatione longius negotium traheretur. Nam Veneti Turcicarum rerum suspicione permoti, ac de Suleimani incrementis summopere solliciti, augere maritimas vires cogebantur.

1530 *Veneti possessionem sacerdotiorũ Antistitibus concedunt.*

## M. D. XXXI.

1531 *Suleimani in Christianos bellici apparatus.*

Byzantio siquidem afferebatur, Suleimanum, cum belli Persici motus composuisset, terrestribus non modo copiis, verum maritima classe Christianos Principes aggressurum, Germanorumque dissentientibus animis, & religionis dissidiis agitatis, gradum sibi ad eam Pannoniæ partem, quæ Ferdinando obtemperabat, occupandam facturum; cum præfectis, quos Turcæ *Sangiacos* vocant, qui in limitibus erant, præcepisset, ut, iis quæ ad bellum necessaria forent, instructis, ad Strigonium oppugnandum se compararent. Miserat quoque per eos dies Chariadeno Ahenobarbo, piratæ maritimarum rerum peritia, atque ob damna sæpius Christianis illata, apud suos illustri fama notissimo, vexillum, ac quatuor apprime adornatas triremes, adjecto remorum, tormentarii pulveris, & aliarum rerum navalium apparatu; & in summorum præfectorum numerum illum adscripserat: hujusque rei ad Senatum literas dederat, petieratque, ut cum illo non tanquam pirata, sed veluti cum suo duce deinceps ageret. His accesserat, quod hoc anno infesta a prædonibus, ac piratis cuncta maria reddebantur, qui multis navigiis Mediterraneum excurrendo, naves non modo diriperent, verum sæpe, exscensione in terram facta, oppida, ac loca in litoribus posita fœde depopularentur. Ilva namque, insula non procul a Senensium litore sita, Talamonis oppidum in continenti positum, universaque Campaniæ ora direpta, ac vastata fuerat. Quocirca Andreas Auria decem triremes extra ordinem instruxerat, ut maritima Tyrrheni custodiret. Veneti, classe ad quinquaginta triremium numerum aucta, præfecto

*Suleimanus Chariadeno maritimum vexillum mittit.*

*Tyrrheni ora a Piratis direpta..*

*Veneti classem augent.*

1531 mandarunt, ut quantum in se esset, piratas, qui rapinis cuncta maria fœdabant, persequeretur; adversus illos non modo christiani nominis, sed humani totius generis hostes acerrime pugnaret; quos invenisset, nulla tactus miseratione, veluti publicæ quieti ex professo adversantes, cæderet, atque obtruncaret. Plura illorum navigia capta; multi interfecti meritas immanium scelerum pœnas luere.

*Ferdinandus, Rex Romanorũ declaratus, Aquisgrani coronam suscipit. Ferdinandi Regis orator ad Italorum Principum auxilium contra Turcas implorandum.*

Ceterum Ferdinandus, cum Romanorum Rex declaratus de more Aquisgrani corona inauguratus fuisset, quam illi amplissimam dignitatem Senatus officii plenis literis gratulatus fuerat, in eo totus erat, ut Suleimano, quem in Pannoniam cum ingenti exercitu venturum crebri rumores afferebant, haud impari conatu obsisteret, undique copias cogeret, pecuniam pararet, cunctos Principes exoraret, ut communi Christianæ Reipublicæ periculo communibus viribus obviam irent. Proinde oratorem ad Italiæ nonnullos Principes miserat, qui ab iis postularet, ut sacrum bellum adversus Turcas pro republica christiana susceptum, in eorum ditionibus promulgari sinerent; quod in præcipuis Italiæ urbibus, supplicationibus habitis, maximo populorum concursu effectum est; cum Pontificis jussu viri religiosi cunctos concionabundi vehementissimis orationibus ad stipem conferendam impellerent. Senatus veritus, ne si intra suos fines sacrum indiceretur bellum, Suleimanus in Rempublicam incitaretur, atque ea pax labefactari posset, quam eo tempore maximopere rebus suis conducere arbitraretur, cum Pontifice egit, ut Reipublicæ statum sibi ante oculos proponeret; neve potentissimum hostem sacro edicto adversus illam lacesseret; eximium suum in religionem studium satis perspectum, quo majores incensi ingentibus se periculis pro illa tuenda, atque augenda objecissent. His permotus Clemens, a bello in Venetis ditionibus adversus infideles indicendo abstinuit. Verum fama, quæ de Turcarum apparatu percrebuerat, hoc anno impares eventibus rumores habuit: nam Suleimanus Hadrianopoli egressus, venationum studiis intentus, segnius, quæ ad tantam belli molem comparandam requiri videbantur, obibat; a summis curis animum avocando tempus terebat, ut tandem in posterum annum Hungaricum bellum distulerit, magnaque cura, ac metu Christianos

nos

nos solverit. Hæc variis consiliis hoc anno de bello Turcico agitata fuere. 1531

In Italia, quæ jam pacis fructu lætari cœperat, nonnulla belli semina exorta; eaque ni statim a Venetis repressa fuissent, ingentes motus ciere poterant. Nam Jacobus Mediceus, qui Mussii arcem, ac Leucum, Insubrum ditionis loca, occupaverat, anni initio Leonem Arigonium ad Sfortiam Ducem miserat, qui illum a concordiæ ratione cum eo ineunda minime abhorrere significaret; Venetos, si ita Duci videretur, arbitros adhiberet. Senatus Sfortiam ad pacem hortabatur, quæ cum ob multas difficultates ad exitum perduci non posset, Mussii præfectus Hispanos pedites, qui Mediolanensi arce, ac Novocomo nuper Sfortiæ restitutis exierant, suo ære militari sacramento obstrinxerat. Duo millia atque amplius gregariorum militum numerum coegerat; his adjectis nonnullis equitibus, ex improviso in Volturenam vallem impressione facta, Morbenii oppidum, sex ab illius ingressu passuum millibus situm, cepit, fossoribusque vocatis, ut ad hostium impetus sustinendos validius foret, munire inceperat; atque ut Rhætos magis perterrefaceret, ea se, Venetis ac Sfortia consentientibus, moliri vulgaverat. Quæ cum ad Senatum delata essent, ut, si qua in animis oborta suspicio foret, statim tolleretur, edicto cavit; ne quis eorum, qui Venetis parerent, præfecto Mussiano militaret; qui in eam expeditionem profecti fuissent, statim domum reverterentur; quibus prædæ aliqua pars obtigisset, magistratui exhiberent, eorum dominis reddendam; qui secus facerent, exilio, ac bonorum publicatione mulctarentur. Idem edictum in suis ditionibus Sfortia promulgari jusserat. Rhæti improvisa re perculsi, cuncta tentanda rati, ne opima, ac prædivite suæ ditionis parte exuerentur, officiis, atque armis agendum censent; Helvetiorum fœderatorum auxilium implorant; exquirere ea in re Senatus mentem nituntur, opem petunt. Georgius Goldus, Tiguri præfectus, Pagorum Helvetiorum nomine, primum literas, mox nuntios ad Senatum misit. Quærit, probetne, quæ a Mussiano præfecto adversus Rhætos acta sint? de Republica semper optime meritam gentem hostile nihil ab ea expectare. Ad hæc Senatus decreto responsum est: Rempublicam semper in Helvetios, ac Rhætos fortissimas gentes propen-

*Morbenium a Mediceo Mussii præfecto captū.*

*Helvetii literas & nuntios ad Venetos mittunt.*

*Senatus responsio.*

1531 sa fuisse voluntate, non vulgaribus causis eo adductam; præcipue vero haud dissimili regiminis forma, quod maximam ad conciliandos animos vim habet, allici: Mussianum præfectum non minus ejus gentis, quam publicæ pacis hostem esse; subsidia commeatuum, ac militum petentem minime auditum; Bergomati, ac Brixiensi magistratibus injunctum, ne Reipublicæ subditos opem ferre, neu annona subvenire Mussiano paterentur: Rhætis contra quæ victui necessaria forent, importari a nostris sinerent. Ad hunc Mussiani belli tumultum Rhæti duodecim circiter aureorum millia cum ex suis, tum ex Helvetiis coegere, quibus Morbenio recuperato, præfecti fines ingressi, cuncta direptionibus, incendiis, depopulationibus vastarunt. Mediceus intra Mussianam arcem se recepit: illi obsidione Mussium circumcingunt, atque fame perdomitum ad deditionem compellere statuunt. Sfortia inde opportunitatem Leuci, quod ad ripas Novocomensis lacus situm est, occupandi nactus, prius Joannem Baptistam Specianum, mox Angelum Ricium, qui illi a secretis erat, Venetias miserat, ut a Senatu auxilia ad Leucum obsidendum, milites, aut pecuniam, nec non tormentarii pulveris subsidia impetraret. Senatus, ne parvis initiis publica quies, ac pax turbaretur, a suscepta sententia amovere Sfortiam contendit: non tempora exigere; non rerum conditiones exposcere, ut armis iterum in Italia decertetur: si porro milites conscriberentur; si subsidia ad bellum subministrarentur, quid Itali Principes, ac reliqui de Republica sentirent? nisi ab ea, quæ semper studium, amoremque pacis prætulerat, alimenta modo ad belli incendium parari, atque exhiberi, dum christiana respublica, vel importunis dissidiis divulsa, vel gravissimis bellis conflictata, miscetur undique, atque jactatur? Sfortia Senatus consiliis acquiescere solitus, certam pacem dubio eventui belli antetulit. Rhætis Mussii arcis obsidio irrito conatu cessit, & cum præfecto compositis rebus, abiere. Mox oppida, quæ Sfortia bello minime aggressus fuerat, ea, pecuniæ certo numero Mediceo præfecto persoluto, tandem Insubrum ditioni adjecit.

*Morbenium a Rhætis receptum.*

*Joannes Baptista Specianus & Angelus Ricius Sfortiani oratores ad Venetos.*

*Mussiani Præfecti rerum compositio.*

Inter hæc Cæsar, qui Gandavi in inferiori Germania erat, de Mutina, atque Regio controversias inter Clementem, & Alphonsum Ferrariæ Ducem diremit; in Ferrariensis jura Mutina, ac Regium concederent; is urbium loco centum au-

aureorum millia Pontifici persolveret, quorum dimidia pars, statim iis receptis; altera vero, sex post exactis mensibus, penderetur. Quod ad Ferrariam spectaret, cum antea centum cataphractis equitibus Ecclesiæ, uti beneficiarius, si occasio, ac tempora tulissent, præsto esse Ferrariensis deberet; subsidium illud annua septem aureorum millium pensione commutatum est; ea conditione, ut Ferrariensis ducatus privilegia Duci Alphonso a Pontifice præstarentur: vades solutionis, fide publica interposita, adsentiente Senatu, undecim e patritia nobilitate cives Clementi præbuit. Eodem ferme tempore magnificæ, & celsæ ædes in urbe, publicæ liberalitatis argumentum, suis majoribus concessæ, Duci restitutæ fuere. Cæsar quoque, Florentinæ Reipublicæ forma immutata, specioso, ac plausibili libertatis nomine tantum relicto, eandem unius imperio subjecit. Nam magistratus eosdem, qui, Mediceis rerum potientibus, in Republica erant, regiminis eodem genere permanente, creari voluit. Alexandrum vero Mediceum, generum, ac Pontificis nepotem, principem Reipublicæ atque caput, cui posteri succederent, instituit. Is, Ducis titulo assumpto, Joannem Bandinum Venetias misit, ut de nuper accepta dignitate Senatum doceret; qui principatum illi officiosis literis est congratulatus. 1531

*Joannes Bandinus Alexandri Medicei orator ad Venetos.*

## M. D. XXXII.

1532 INter belli Turcici suspiciones, & pacis consilia annus M. D. XXXII. vertebatur; cum Petrus Zenus, ac Franciscus Bernardus, qui nuper e Costantinopolitana legatione reversi fuerant, ingentes Suleimani apparatus retulissent, classem numero, ac viribus præpotentem vere novo Hellesponto emissurum nuntiassent; quæ res cunctis Christianis Principibus magnas solicitudines, & curas injecerant; ac Venetis præsertim, qui annuatim multis triremibus classem augendo, magnis sumptibus publicas, privatasque opes profundere cogebantur. Verum in hac belli suspicione pacis quoque spes aliqua objici videbatur: quamvis enim Joannes Sepusianus, Hungariæ Rex, Suleimani auxiliis, atque opibus fretus, ad certaminis aleam subeundam Ferdinando ne-

1532 nequaquam inferior esset; attamen a pace minime abhorrebat; atque ea de causa Hieronymum Lascum oratorem ad Cæsarem, & Ferdinandum miserat. Is cum de eorum voluntate certi nihil percipere potuisset, & conventus in Spira civitate indictus, in aliud tempus rejectus fuisset, ad Germanos Principes proficisci statuerat. At fidei publicæ a Ferdinando impetratæ, qua tutus illi in Germaniam ingressus patuerat, præfinito tempore elapso, regredi in Pannoniam est coactus; literis prius ad Germaniæ proceres, ad Galliarum Regem, ac Pontificem missis, quibus propensum ad pacem Joannis Regis studium significavit; Senatumque rogavit, Clementem, & Franciscum Regem de tota re edoctos, ut publicæ pacis bonum procurarent, adhortaretur. Joannes vero Rex, quo Germanorum in Ferdinandum studia tepescerent, in conciliis, quæ passim per Germaniam habebantur, vulgandum curaverat, hostium loco, qui Joanni adversarentur, Suleimanum habiturum. Venetias quoque oratorem misit, qui enixe a Venetis postularet, auctoritate, qua plurimum possent, cum Cæsare, ac Pontifice agerent, ut concordia potius, quam bello rem decerni vellent. Senatus illius causam amplexus, quænam Regis mens erga pacem esset, Pontifici significat, ut ad tantam rem conficiendam animum adjiciat, suadet: quantum inde emolumenti ad Christianam Rempublicam Principe multis virtutibus ornato, qui parte amplissimi regni potiatur, a Turcicorum auxiliorum illecebris abstracto, & cum reliquis Christianis Principibus arctiori, ac firmiori concordiæ nexu conjuncto, accessurum sit, docet; quem satis constaret, extrema quæque subiturum prius, quam Pannoniæ regno exui se permitteret. Cæsaris quoque legato, quæ sint Joannis Hungariæ Regis consilia, quæ cogitationes, significatur.

Verum Pontifici bellum magis, quam pax probabatur, vel quod pace religionis dissidia majoribus incrementis augeri posse vereretur, vel quod cunctos Europæ Principes adversus Turcas acrioribus conatibus, spe quadam victoriæ animo usurpata, impellere, & concitare cuperet. Nam Veronensem Episcopum per eos dies Venetias miserat, ut Senatum ad fœdus adversus Turcas ineundum hortaretur. XI. kal. februarii

*Matthaeus Gibertus a Clemente Venetias missus.*

egit

egit ea de re graviter, multisque argumentis, vi, ac dicendi copia, quæ permagna in eo viro fuit, ut Senatum in Suleimanum concitaret. Quibus incrementis exiguo annorum intervallo se Ottomanorum imperium extulisset, vehementi oratione explicavit; barbaram gentem Principum Christianorum dissidiis, ac negligentia, non propria virtute suffultam tantum ausam fuisse; tot provincias in miserrimam servitutem redegisse: cui exitiali malo si initio obviam itum foret, nullo negotio depelli, atque extingui potuisse; at cum singuli magis proprium commodum, quam commune bonum spectarent, alitam hanc pestem, longe, lateque diffusam jam nostris finibus minari. 1532

*An igitur*, dicebat, *æternum hoc sopore Christiani Principes, ac veterno correpti erunt? nunquamne ad tantum armorum strepitum expergiscentur? Quæ hoc anno in bellum Pannonicum Turcæ parant, non incertis rumoribus Byzantio allata sunt; nec, ut antea Turcæ consueverant, terrestres tantum copias adhibent; numero, & viribus præpotentes classes emittunt; maria omnia, maritimasque oras, nullo obsistente, legunt? Quæ omnia cum oculis Clemens pro munere sibi divinitus delato subjicit; vicem reipublicæ christianæ miseratur; perditam horum temporum conditionem deplorat; discerpi, ac misere lacerari christianum nomen conqueritur; quantum in se est, cunctos Principes ad bellum adversus teterrimos hostes suscipiendum suadet, hortatur, monet. Inter quos cum Reipublicæ opes, ac quantum maritimis in rebus possit, secum ipse reputat, spe magna evehitur, si in commune hoc fœdus descendat, fore, ut terra, marique petitus, atque conflictatus hostis, nonnihil de superbia, ac fastu, quo nimium intumescit, remittat; ac Deo juvante, qui hactenus præteritis victoriis insolens, ac jactabundus incedit, adversæ fortunæ tela quoque experiatur. Quod si intentius majorum vestrorum exempla intueor, nonne ea vobis maximos spiritus, his sociis, ad arma sumenda addere videntur? Continentia illi, ac magna bella cum hac gente gessere; neque pro patria, pro libertate, pro religione ulla pericula formidarunt; nullos, quamvis ingentes, labores perhorruere; de illa quandoque victricia spolia retulere. Fateor auctas esse immanium hostium vires; inficiari non possum etiam ad vos clades, ac* Oratio Matthæi Giberti.

1532 *damna non pervenisse ; sed si efferri altius hostem patimini , quando vobis aut tempus , aut opportunitas , aut voluntas illum contundendi , atque obterendi aderit ?*

His , atque aliis varie agitare , & commovere Patrum mentes Matthæus Gibertus nitebatur , ut vel ad societatem jungendam impelleret , vel saltem ut ad sententiam planius aperiendam , aut si qua posset auxilia tribuenda , Rempublicam adigeret . Verum in gravissima re varie Senatorum mentes afficiebantur : Suleimani communis christiani nominis hostis vires , ac potentiam , ni obsisteretur , in immensum augeri , cunctisque brevi formidolosam fore providebant : nunquam dominandi libidini aut modum , aut frena injecturum ; victoriis non ad otium , & quietem , sed ad nova bella veluti gradus sternere : religionis amor , publicæ libertatis , ac dignitatis decus stimulabant animos . At contra potentissimæ gentis vires ingenti equitum , ac peditum numero instructi exercitus , validæ classes objiciebantur . Respublica quadraginta fere annis bellorum fluctibus , ac procellis jactata se se offerebat ; quantos sumptus subiisset ; quantum subditorum , ac civium amisisset ; bella cum Turcis suscepta memorabantur , quibus Veneti soli ferocissimæ gentis impetum sustinere coacti fuerant . His elati , ardentesque comprimi , ac tepescere spiritus videbantur , & vigor languescere , ut plerique prorsus rejiciendam societatem , ac fœdus censerent : inter quos Gaspar Contarenus , summi nominis vir , qui magnam rerum omnium scientiam cum singulari pietate , & probato rerum usu conjunxerat , atque ea tempestate supremi ordinis Sapientis locum sustinebat . Aliis , ut Lucæ Trono ejusdem ordinis , Joanni Delphino continentis Sapientibus , Senatus decreto ad paciscendas cum hoste inducias Clementem adhortari placebat , ut , sedatis tumultibus , quibus respublica christiana , ac præsertim Germania ea tempestate fervebat , unanimi conatu , & communibus viribus in opportuniora tempora consilia de bello Turcis indicendo rejicerentur . Sed in hac difficili , ac perplexa consilii expediendi ratione neque omnino amplecti , neque prorsus negligere fœderis oblatam facultatem e Republica Collegii Patribus esse videbatur : ne altero decreto statim

tim in graviſſimi belli diſcrimen adducerentur; altero autem 1532
Clemens optime in rem chriſtianam animatus a ſuſcepta ſententia deterreretur.

Itaque Senatuſconſulto, pro quo Marcus Antonius Cornelius diſerte, ac copioſe diſſeruit, ita reſponſum eſt. *Quo animo Reſpublica in rem chriſtianam ſit, ſi quis vel majorum, vel præſentium geſta inſpexerit, facile intelligi poſſe: eandem vigere mentem, haud diſſimilem in commune bonum propenſionem in Senatu eſſe: angi vehementer ea eſſe tempora, hujuſmodi rerum conditiones, ut quod ſummopere cuperet, quo nil antiquius in votis haberet, id re ipſa præſtare non poſſet: acerrimis diſſidiis diſtentos Chriſtianos Principes; Reipublicæ vires præteritis bellis attritas non eo ſtatu eſſe, ut potentiſſimi hoſtis impetum excipere, vel certa rei bene gerendæ ſpe in illius ditiones arma inferre poſſint. Vicies centena millia paſſuum ab Hiſtriæ ora uſque ad Cyprum inſulam numerari; hoc ampliſſimo maris, terrarumque tractu fines Venetos cum Ottomanis protendi; bello exorto, eodem momento univerſos hoſtibus objectum iri: ad hæc in Syria, Aegypto, Byzantii multos mercatores Venetos reperiri, qui minima quavis belli ſuſpicione in vincula conjicerentur, ut ingenti illorum pecunia, ac mercimoniis hoſtes potirentur, eorumque potentia augeri, vires Reipublicæ debilitari, ac imminui haud parum poſſent: ea omnia ſummi adeo momenti eſſe, ut minime Senatus vereatur, ne a Pontifice illius conſilia neceſſitate potius temporum, quam voluntate animorum expreſſa, probentur.* Hoc Senatuſconſulto x. kalen. februarii Veronenſi Epiſcopo reſponſum eſt.

*Senatus reſponſum.*

Neque interea, ut Ferdinandum ad concordiam cum Joanne Sepuſiano ineundam hortaretur, aliquid omittebat. Verum ille ad ampliſſimam dignitatem elatus, conventuum, quos in Germania habuerat, auxiliis fultus, ſpe Caroli fratris virium adductus, decernere potius armis, quam pacis conditionibus obſtringi ſtatuerat. Quocirca cuncta in bellum verſa videbantur; nam Byzantio afferebatur, Suleimanum ingentes copias comparare, claſſem centum ac ſexaginta triremium, quamplura alius generis navigia emiſſurum: cum ſexaginta millium peditum, ac duodecim millium equitum exercitu in Pannoniam venturum. Interim Aloyſium Gritum ad Joannem Regem profe-

*Ferdinandus Rex bellum in Turcas decernit.*

*Aloyſius Gritus in Pannoniam a Suleimano pro pace miſſus.*

1532 fectum, ut de pace cum Ferdinando ageret; quæ nisi ad exitum perduceretur, limitaneis præfectis Suleimanus imperaverat, ut statim in fines Ferdinandi procurrerent; Mœsis vero, ac Tartaris, ut iter in Pannoniam arriperent, & classis illius præfecto, quæ in Danubii fluminis faucibus detinebatur, ut quamprimum in Austriam contenderet, mandaverat.

Rumoribus his de ingenti Suleimani apparatu adductus Senatus, ut maritima loca ab omni injuria tuta essent, in id maxime incumbebat, ut classem triremium numero magis auctam, validamque redderet. Cum vero superioribus casibus pecunia ad tot sumptus conficiendos nequaquam suppeteret, intentiore solicitudine, ut quantam posset auri vim undique colligeret, curabat; privatorumque civium opibus nimiis oneribus, decumis, ac tributis exhaustis, æquum videbatur, ut qui in Venetis ditionibus opulentissima sacerdotia possiderent, nonnihil ad sublevandam ærarii inopiam conferrent. Itaque Senatus decreto xj. kalen. martii Ecclesiasticis viris *subsidium* (sic enim appellabatur) quod certo tempore restitueretur, impositum est. Ea re commotus Clemens vehementer excanduit: sua jura a Senatu læsa esse; imponere decumas, ac subsidia imperare iis non posse, in quos ipse summum jus obtineret; non permissurum quidquam de Pontificiis rationibus detrahi. Senatus Pontificis iratum animum ægre ferebat; sedare ardentes spiritus, placatioremque in Rempublicam reddere nitebatur: necessitate compulsum decretum illud tulisse; æquum censere, omnes, qui Venetorum ditionibus continerentur, ad Reipublicæ libertatem, imperiumque servandum, & retinendum conspirare; jam assiduis bellis debilitatas, ac fractas civium vires, impares ad onera publica subeunda esse. An qui tot divitiis, atque opibus affluerent, otiosi spectatores sumptus, ac laboris aliorum essent? an piaculum committere, si laboranti patriæ opitularentur? an hoc pietatem in Rempublicam & humanitatis jura exposcere? ut ne mutuo quidem ad publicas impensas sublevandas pecuniæ nonnihil persolvant? ab illius sanctissimæ Sedis incolumitate, ac dignitate, a religione ipsa Venetæ Reipublicæ salutem sejunctam esse non posse. His, atque aliis mentem Pontificis flectere Patres conniruntur, qui neque rationibus, neque precibus locum dabat. Susceptæ senten-

*Veneti subsidium Ecclesiasticis imponunt.*

*Clementis perturbatio ob subsidii Ecclesiasticis impositi decretum.*

tentiæ insistere, antesignanis religionum præcipere non cessabat, ne quidquam in subsidium pecuniæ erogarent; quo fiebat, ut Clementis acerbitatem, durumque nimis in Rempublicam animum conquererentur. Sed nihil ob id Senatus animo frangebatur; quinimmo majori sedulitate, quæ ad sumptus necessaria forent, comparabat, ne ulla in re populis, provinciisque sibi subjectis deesse videretur. Itaque Vincentius Capellius imperator declaratur; viginti triremes reliquis adjiciuntur, quas in Dalmatiæ provincia, Corcyra, Zacyntho insulis, & Cretæ regno instrui Senatus jusserat, ut universa classis sexaginta triremium numero constaret. Legatus Hieronymus Canalis eligitur; nam Franciscus Paschalicus tunc alterius legati munere fungebatur. Capellio Senatus mandat, ut maritimis Reipublicæ oris, atque oppidis opem ferat, ne quid subditis, illorumque rebus detrimenti inferatur, provideat. Verumtamen nulla in re aut Cæsareanæ, aut Turcicæ classi conatibus obsistat, vel faveat; utrisque se amicum præbeat; a portubus minime prohibeat, commeatus importari sinat, non arma, ceteraque alia instrumenta bellica. Hæc classis imperatori in mandatis data fuere.

1532

*Venetorum sedulitas ad pecuniã cõparandam.*

*Vincentius Capellius classis imperator eligitur, & triremium numerus augetur.*

*Hieronymus Canalis, Franciscus Paschalicus classis legati.*

Cum autem Suleimanus Pannonicæ expeditionis consilia, quæ diu in animo versaverat, perficere vellet, ut Venetos sibi conciliaret, in illos haud vulgaria benevolentiæ signa edidit, cogitationibus iis relictis, quibus antea, ut Byzantii emporium augeret, illuc aromata, atque omnis generis merces convehi jusserat; ex illius ditionibus frumenta, tormentariumque pulverem asportandi concessa facultate. Omnibusque itineri necessariis comparatis rebus, Byzantio profectus, Hadrianopolim pervenit, bellum Pannonicum indixit; ac quamplurimis undique ad exercitum confluentibus, cum ad Hungariæ fines pervenisset, ad centum & quinquaginta millium peditum numerum copiæ accesserant, quarum robur prætoriani milites, quos *Janizzeros* Turcæ vocant, ad viginti millia erant. His fretus nihil sibi obsistere posse ratus, quin quacumque pervasisset, cuncta victoriis, ac triumphis cumularet; cum ab Albam Græcam substitisset, cum Cæsare acie confligere se velle per exercitum vulgaverat, in tumidam spem erectus, si committere prælium vellet, haud dubia se victoria potiturum.

*Suleimanus ad bellum Pannonicũ proficiscitur.*

At

1532

*Cæsaris apparatus ad bellum Turcicum excipiendum.*

At Cæsar, ut adventantis hostis impetum sustineret, priscumque Imperatorum decus fortiter tueretur, ex omnibus fere Europæ provinciis quammaximas posset copias robore, ac numero minime Turcis dispares cogebat. Alphonsum Vastium cum Hispanorum, & Italorum militum expeditis cohortibus ex Italia vocaverat; qui per Tridentinos Alpium saltus in Noricum transiturus, cum Franciscum Giddium Venetias misisset, ut per Reipublicæ fines transeundi sibi facultas daretur, a Senatu impetravit, atque illius jussu a Reipublicæ magistratibus liberaliter est exceptus. Hippolyto quoque Cardinali Mediceo, legato Pontificio, in Germaniam proficiscenti duo Veronæ quæstores obviam missi, cunctaque ad victum necessaria suppeditata. E Belgio, ac Burgundia gravis armaturæ equites, ex Hispania veteranos milites complures accersit; Germanorum duodecim millia conscribi jubet: his plerique e tota Italia strenui milites voluntarii accessere, quod desidiæ sibi inuri notam existimarent, si ad Cæsaris exercitum, cum Turcis decertaturi, non contendissent.

*Franciscus Giddius a Venetis trāsitum Cæsareanis militibus postulat.*

*Hippolytus Mediceus, Cardinalis, in Germania legatus.*

Ceterum in summa mortalium omnium expectatione nil tantis apparatibus, tot assuetis militiæ viris egregii est consequutum. Nam Suleimanus, Cassono ad vastandas Carinthiæ, & Styriæ, quæ Valeria antiquitus dicebatur, provincias misso, eodemque a Palatino comite profligato, ac deleto, cum nusquam conatibus eventus responderent, Byzantium reversus est. Carolus vero, qui a Viennæ mœnibus nunquam discesserat, de hostium profectione certior factus, non ulterius Turcas insequutus, copias dimisit; non sine omnium admiratione, quod insequendi hostis opportunitatem elabi sibi e manibus passus esset, totque labores, ac impensas in conficiendo exercitu, nullo præclaro edito facinore, irritas reddidisset; cum in itinere Suleimanus amplius triginta captivorum millia Byzantium perduxisset.

*Cassonus Turcarum praefectus a Palatino comite profligatus.*

*Suleimanus Constantinopolim regreditur.*

Dum hæc gererentur, classis Turcica Hellesponto egressa, Himerale duce, Aegeum mare emensa, in Ionium pervenerat. In ea sexaginta triremes, viginti minora navigia censebantur. Cæsarea vero auspiciis Andreæ Auriæ Genua solvens ad Messanam Siciliæ urbem appulerat: quadraginta varii generis navibus, quadraginta duabus triremibus constabat. In Veneta

*Himeralis classis Turcica imperator*

*Andreas Auria Cæsareanæ classis imperator ad Messanam.*

ta tres & sexaginta triremes numerabantur. Hoc pari, atque fere æquato virium numero conjectura difficile erat assequi, quonam consilia evasura essent, cum rei bene gerendæ facultas non ex alio magis, quam ex præfectorum militari scientia, ac virtute penderet. Vincentius Capellius, Venetæ classis imperator, inter Corcyræ, & Zacynthi insulas commorabatur, ac ne quid Venetorum loca, & populi detrimenti paterentur, curabat; in omnes tam Cæsareanæ, quam Turcicæ classis motus intentus, ne utrorumque suspicionem incurreret, illarum congressum studiose devitans. Cum vero Corcyræ esset, Himerali, qui ad Ambratium sinum appulerat, cum triremi certos, qui suo illum nomine inviserent, muneraque deferrent, nuntios misit; quibus ille benigne exceptis, nullas a suis injurias, aut damna Venetorum rebus inferri passurum pollicitus est: quod severe adeo a barbaro servatum est, ut Zacyntho, ac Cephalenia prætervectus, exscensione in terram facta, præter morem classiarii nullam incolis noxam intulerint. Andreas vero Auria Messana solvens in Græciam navigaturus, cum Zacynthi Venetam classem morari intellexisset, ut Capellium alloqueretur, eodem contendere statuit, eo consilio adductus, ut de industria Turcis Venetos suspectos reddendo, illos ad consociandam cum Cæsareanis classem compelleret, quod Auria non modo, verum etiam Cæsar summopere concupiverat. Nam illius orator Andreæ Auriæ literas Genua datas ad Senatum detulerat, quibus petebat; Capellio mandaret, ut maritimas Venetorum vires cum Cæsareanis conjungeret, magna feliciter gerendarum rerum opportunitate proposita, ut illecti Patrum animi, secundarum rerum spe elati, a proposita consiliorum ratione discederent, qua in neutram pendere partem matura consultatione decreverant. Senatus vero decreto Cæsareo oratori responsum fuerat: se, quod pacem cum Suleimano coleret, ut Auriæ assentiretur, adduci non posse. Quo responso audito, cum minime sibi, & Auriæ satisfactum intelligeret, ad importuniora postulata prolapsus, *Si forte obtigisset, ut ad prælium Cæsareana classis cum Turcica descenderet, an Veneta Turcicæ adsutura esset*, quærebat. Legati petitione admirabundi Patres, prudentiam in eo desiderabant. *An non satis cognitam Reipublicæ pietatem, ac reli-*

1532

*Vincentius Capellius ad Himeralem nuncios mittit.*

*Cæsareanorum studiũ, ut Venetam classem sibi adjungeret.*

*Andrea Auriæ literæ ad Venetos.*

*Senatus responsum.*

1532 *religionem? non satis perspectum, quonam illius cogitata omnia, atque gesta respicerent? an Reipublicæ conducere, potentissimum Regem suis auxiliis in immensum evehere, ut cunctis Christianis Principibus, ac Venetis præsertim formidabundus non modo, verum etiam terribilis evaderet?* Quapropter legato respondetur: *Mirari Senatum, quod ea sibi de Republica in animum inducere potuerit: summa adseveratione testari, fixum, atque immotum esse, cum utroque Principe pacem servare, amicitiæ jura inviolata tueri; nihil a Venetæ classis imperatore profecturum, quod in alterutrius partis gratiam factum fuisse interpretari possit.* His auditis, satisfactum sibi a Senatu esse orator significavit. Verum crebris petitionibus pertentari suam mentem optime Patres noverant, ut si fieri posset, pollicitatione aliqua obstrictum Cæsareani ad suas partes attraherent, atque in Suleimani suspicionem adductum fœderi, ad quod sæpius solicitaverant, adjungerent. At præteritis rerum eventibus edocti, nihil properanter, aut veloci nimium consilio agendum existimabant, sed cunctando, ac pacem cum præpotentibus Principibus ostentando, ea tempestate administrari Rempublicam optimum, & saluberrimum arbitrabantur. Atque his omnibus de rebus Capellium docuerant, ut si quid hujusmodi ab eo Auria postularet, ex Senatus sententia respondere possit.

Ille Corcyram, & Cephaleniam legens Zacynthum pervenerat, ubi forte tunc Venetus imperator cum classe aderat, qui de Auriæ adventu certior factus, ut maritimas patriæ vires, veteremque majorum disciplinam ostentaret, in altum prodiit, triremes, ac cetera navigia, veluti acie certaturus esset, ordinatim instruxit: oneraria ingentis magnitudinis navi (*Galeonum* vocant) in fronte collocata; utrinque binæ majores triremes, *Galeatiæ* dictæ, tormentorum numero, atque apparatu formidabiles, aliquanto ab oneraria intervallo subductæ; inter quas tantum spatii relinquebatur, quantum triremibus reliquis ad eruptionem faciendam satis esset. Cornu lævum, dextrumque æquali viginti triremium numero constabant. Postrema acies, cui imperator præerat, reliquas viginti triremes complectebatur, tanquam in omnes certaminis casus, hostiumque incursus opem laborantibus allatura. Ita magnæ onerariæ navi

vi liber a fronte, & a lateribus ad ingentes bellicarum machinarum globos excutiendos aditus relinquebatur: Galeatiæ vero cornuum latera tuebantur. Cæsareanam classem tres insigni velocitate celoces anteibant; ipsa tribus acierum ordinibus instructa, in quorum singulis quindecim triremes aderant, cernebatur. Antonius Auria primo agmini præerat, atque in dextram partem deflexerat; Salviatus Rhodiorum, ac tertii agminis præfectus lævam tenebat; Andreas vero Auria mediam ductabat aciem. Utrinque honoris causa, ut assolet, absque pilis, miro ordine, atque insueto strepitu discussa tormenta, navalis certaminis ingens, raroque mortalibus visum simulachrum exhibere videbantur. Hieronymus Canalis legatus, Auria Capellii nomine consalutato, portus, commeatus, ac quidquid in sua facultate esset, benigne, ac peramice obtulit: quod consociare classem non posset, publica Senatus fide prædiri, quia fœdus antiquitus cum Ottomanis Principibus ictum, recenti fide renovatum fuisset. Auria, Venetorum imperatori Cæsaris nomine actis gratiis, bona spe se esse affirmavit, ad magnas victorias adeo tutum aditum patefacturum, ut Veneti ultro cupidissime, sociis junctis armis, in commune decus, atque imperii incrementum consulturi essent. Verumtamen variis, atque incertis consiliis tota fere ea æstate tempus terendo, æquato metu, ac viribus, classes substitere: cum tandem in Turcicam passim varia morborum genera grassari cœpissent, quibus in dies sensim debilior, & infirmior redderetur, atque inde Eubœam se reciperet, ut Byzantium reverteretur. Qua ex re Auria majori spe subnixus in Peloponnesum iter direxit, Coronemque oppugnare statuit; quam adortus, licet primis Cæsareanorum conatibus oppidani, ac præsidiarii milites obstitissent, vi tamen in suam potestatem redegit; mox Patras deditione recepit. Hæc eo anno terra, marique sunt acta. Turcica vero classe Bosphorum ingressa, propinqua jam hyeme, Capellio imperatori Senatus mandavit, ut triremes extra ordinem in Aegeo, atque Ionio mari instructas missas faceret: ac reliqua classe Hieronymo Canali legato tradita, ipse cum Francisco Paschalico in patriam reverteretur: Joanni Mauro Corcyræ legato injunctum, ut octingentos milites, qui præsidiariis ad tutandam insulam adjecti fuerant, dimitteret.

1532

*Hieronymus Canalis a Capellio ad Auriam missus.*

*Turcica classis Byzantium se recepit.*

*Corona & Patræ ab Auria captæ.*

*Vincentius Capellius & Franciscus Paschalicus in patriam revocati.*

*Joannes Maurus Corcyræ legatus.*

Ce-

1532 Ceterum Cæsar, exercitu, qui ad Viennam convenerat, dimisso, in Hispaniam reverti statuit; ad Auriam, qui adhuc mari Ionio detinebatur, datis literis, ut, nulla interposita mora, Genuam contenderet. In itinere vero Bononiæ convenire Clementem decrevit, ut illius animum, quem ob latam nuper in Mutinensi, ac Regiensi causa sententiam offensum persenserat, leniret, sibique conciliaret. Inde enim haud parva sibi adjumenta accessura rebatur, illiusque auctoritate arctiori sibi fœderis vinculo Italos Principes, ac præsertim Venetos adstricturum: quod non modo ad præsentem rerum Italicarum statum retinendum opportunum sibi fore videbatur, verum etiam ad Gallicos motus discutiendos, cum Genuæ defectionem moliri non exiguis argumentis Regem vulgaretur. Quatuor a senatu oratores designati, qui Cæsari in Italiam adventanti obviam irent, atque per suos fines deducerent: Marcus Minius, Hieronymus Pesareus, Laurentius Bragadenus, Marcus Foscarus: decem aureorum millia, quæ in eo excipiendo insumerentur decreta. Carolus a Ferdinando fratre Villaccum usque deductus est, qui Oenipontem deflectens, mox in Germaniam reversus est. Cæsarem, Pontebæ Veneti oratores exceptum, usque ad Mantuanorum fines prosequuti sunt. Cum Spilimbergi in Forojulio esset, de Bononiensi conventu cum iis verba fecit, atque ut facultas de novo agitando fœdere a Republica mitteretur, petiit. Ea re Senatorum animi haud parva molestia afficiebantur, cum inde gravia subire posse pericula Rempublicam animadverterent, vererenturque, ne Suleimanus, cui illius consilia suspecta esse cœperant, hostile aliquid moliretur, efferamque Turcarum gentem in se concitarent. Nam Alba Græca discedens Suleimanus, Janusbejum legatum Venetias misit, ut prospere, ac feliciter in Pannonia ab eo gesta Senatui significaret; qui graviter admodum conquestus fuerat, nostros cum Cæsareanis ad Salonam Dalmatiæ oppidum expugnandum se contulisse: hujus vero rei indicem Byzantium perductum. Senatus decreto Janusbejo responsum fuerat, Rempublicam cum Suleimano pacem conservare, eamque diuturnam optare; cum ea mente sit, haud quaquam vero simile esse, quod illi repugnet, quidquam agitare. Verum Sici Comitem literas ea de re ad Senatum dedisse, quibus

*Oratores a Venetis ad Cæsarem designati.*

*Janusbejus a Suleimano Venetias missus.*

bus significaret, malevolos homines, inter Suleimanum, ac Venetos dissidia quærentes, tormentis hominem illum indigne adegisse, ut quæcumque illis visa fuissent, enunciaret, atque tota ea de re ad legatum Byzantii scripsit. Janusbejus quingentis aureis nummis, & veste donatus: atque ut, si quæ in Suleimano obortæ de Republica suspiciones fuissent, excuterentur, paribusque officiis erga illum ageret, Thomas Contarenus legatus Byzantium missus est. Pontifex vj. idus decembris cum multis Cardinalibus Bononiam pervenit: Cæsar cum vij. idus Mantuam profecturus esset, idibus eodem se contulit.

1532

*Thomas Contarenus Byzantium legatus.*

## M. D. XXXIII.

1533

*Conventus Bononiensis inter Pontificem & Cæsarem.*

Atque anni sequentis initio de gravissimis rebus a Clemente, & Carolo agi cœptum est, quæ ad duo potissimum capita redigebantur; alterum ad religionem spectabat, quam in dies in Germania labantem, atque in aliis Europæ regionibus divulsam sustentare, & fulcire necessarium videbatur; alterum vero ad pacem christianæ reipublicæ ac præsertim Italiæ firmandam, præsentemque in ea statum retinendum attinebat: qua in re præcipuum censebatur, ut Veneti, quorum animos antea irrito conatu exploraverant, novo, atque arctiori fœdere obstringerentur. Itaque cum reliqui Italiæ Principes suos oratores Bononiam misissent, Marco Antonio Venerio, & Marco Antonio Contareno, altero apud Pontificem, altero apud Cæsarem legato, ad se vocatis, nil antiquius sibi esse affirmant, quam pacem publicam, & præcipue Italiæ incolumitatem, ac decus servare: scire se eadem mente Rempublicam esse: quapropter petere, ne ab iis consiliis abhorreat, quæ communi huic sententiæ conducere possint: Senatui minime ignotum esse, quæ de Genua occupanda superioribus mensibus prodita fuerint: statu illius Reipublicæ immutato, haud dubia bellorum incendia in hac provincia exarsura: quapropter novum percuti fœdus oportere, ut communibus viribus civitas, quæ tantum omni tempore momenti ad res Italicas attulit, defendi possit. Cæsaris, ac Pontificis postulatis in hanc sententiam Senatusconsulto, uti alias quoque, responsum est. Quæ in bonum publicum, & Italiæ pacem Reipublicæ voluntas sit,

*Marcus Antonius Venerius & Marcus Antonius Contarenus ad Pontificem & Cæsarem legati.*

*Clementis & Cæsaris officia cum Venetis legatis.*

1533 cognitum, ac perspectum esse: constare sibi quæ anno M. D. XXIX. pacta fuerint, ea constantissime servare, nec quidquam in iis præstandis, quæ Bononiensi fœdere continerentur, desiderari passurum: pro Insubrum imperio, ac pro Neapolitano regno tuendo quidquid teneretur prestaturum: nova inire fœdera, neque opportunum, neque necessarium censere: Janusbejum Suleimani legatum Venetiis adhuc esse; quæ agantur, solerter exquirere; irarum plenum animum Byzantii in Rempublicam effusurum: nosse e Genua præfectum, ac triremes exisse, a quibus multa Turcis damna illata, Corone, & Patræ captæ fuerint. His Pontificis, ac Cæsaris animum a novi percutiendi fœderis consiliis avertere Patres contendebant. Illi vero Reipublicæ excusationes non admittere, acrius instare, per literas, atque oratores eadem postulare pergebant.

*Roberti Maji Clementis, & Roderici Nini Cæsaris legatorū cum Venetis officia.*

Robertus Majus a Clemente Venetias mittitur, qui cum Roderico Nino Caroli legato, ut Venetos ad fœdus renovandum allicerent, nihil omisere: quæ ex eo emolumenta manare possent, exposuere: in illo incolumitatem Italiæ, ac quietem contineri: id pro munitissimo aggere iis, qui novas res ambitione, aut libidine dominandi ducti appeterent, objiciendum esse: haud parva inde Reipublicæ commoda obventura; Suleimanumque ipsum nova inter præpotentes Principes societate perculsum, nihil adversus illam ausurum. At Senatum, ut in sententia maneret, multa permovebant; quippe qui præteritis bellorum cladibus edoctus, in se immensam Turcarum potentiam provocare minime tutum censebat. Quocirca legatis responsum est: plurimis, iisdemque gravissimis causis a novo ineundo fœdere Rempublicam abstinere, neque satis prospicere, aliqua ex hac societate vel ad utilitatem, vel ad decus proficisci posse, quæ non itidem ex conditionibus anni M. D. XXIX. promanare queant. At veretur Cæsar, ne Genua a Gallis occupata, tota Italia bellorum tumultibus misceatur. Mari ne Genuam invadent Galli? Quis ignorat maritimas Cæsaris vires Gallicis longe superiores esse? Neque pertimescendum, ut a paucis illorum triremibus imperatoriæ potentissimæ Caroli classi obsisti possit. An terra? Per Insubrum fines duci exercitum oportere: id si accidat, consociatis viribus, ex fœderis præscripto, hostibus occurrendum erit. Quid igitur his vinculis

*Senatus responsum.*

lis

lis agitur; nisi ut amica Respublica belli Turcici suspicione implicetur, atque immanibus sumptibus publicas, privatasque fortunas exhauriat? Quæ loca in Ionio, Aegeo, ac Syriaco mari possidet, cuncta pene in faucibus hostium sunt; ceteris in rebus cum adest calamitas, tunc ærumnæ sentiuntur; in bellis metus quoque ipse affert calamitatem. An vero quæ in universo Turcico imperio negotiatorum amplissimæ opes reperiuntur, negligendæ sunt; quibus amissis, quantum Venetis detrimenti, tantum illis lucri, ac roboris accederet? Quod si in consiliis capiundis opportunitates spectandæ sunt, quid minus huic tempori consentaneum, dum quotidie novis suspicionibus Turcarum animi urgentur? Clissam Dalmatiæ oppidum a Petro Crucichio nostrorum auxiliis in potestatem redactam, Salonam occupatam: Cæsareanam classem commeatibus, quamplurimisque aliis rebus adjutam; Coronem non sine Reipublicæ subditorum ope expugnatam. Cur igitur Venetorum damna, veluti fundamenta, novo huic fœderi jacere amicus Reipublicæ Imperator velit? Cum hoc responso, atque Senatus ad Pontificem literis legati dimissi sunt. Id vero peropportune accidit, ut per eos dies duo Francisci Regis nomine Cardinales Bononiam accederent, qui optimam sui Regis propensamque in commune bonum, ac pacem voluntatem Clementi significarent; peterentque, ne vanis malevolorum hominum dissipatis rumoribus aures præberet, neque ob eam rem novis consiliis animum adjiceret. Itaque Pontifex, ac Cæsar, iis, quæ Senatus nomine adducebantur, perpensis, tandem acquievere: id unum petebant, ut, Bononiensis fœderis conditionibus diligentius explicatis, militaribus præfectis mandaretur, ut ad omnes Insubrum motus in armis essent. Id vero minime necessarium Patres rebantur, cum ad primos bellorum tumultus, quæ ad illam provinciam tuendam ex fœdere deberent, statim curaturos suos duces constantissime assererent.

1533

*Cardinales a Rege Gallia Bononiam missi.*

Cum igitur de societate cum Republica innovanda a Pontifice, ac Cæsare consilia abjecta essent, februario mense exeunte, fœdus inter Clementem, Carolum, ac reliquos Italiæ Principes, nempe Insubrum Ducem, Genuensem Rempublicam, Ferrariæ Ducem, Senenses, & Lucenses percussum, ac vulgatum est, quo Italiam communibus viribus defenderent.

*Fœdus inter Pontificem Cæsarem & Italos Principes percussum.*

1533 Decem & centum aureorum millia ſtatim depoſiti loco ſolvere debebant: Pontifex cum Florentinis triginta millia; ex iis decem Florentinis obtigere: Cæſar triginta quinque millia: Sfortia quindecim millia; Genuenſes octo; Ferrarienſis decem; Senenſes octo; Lucenſes quatuor, quæ ſuperiorem ſummam conficiunt. Annuatim vigintiquinque millia in ſtipendia militiæ ducum eroganda perſolverent. Turbatis vero rebus, ac bello exorto, centum ſingulis menſibus aureorum millia conferrent. Summa fœderis præfectura Antonio Levæ mandata eſt. Duo quæſtores delecti, Franciſcus Guicciardinus a Pontifice, Ferdinandus Gonzaga a Cæſare. Eodem fœdere Sabaudiæ Dux pro iis, quæ in Italia, ditionibus obtinebat, ac Mantuanorum Dux continebantur, nullumque illis conferendæ pecuniæ munus injunctum eſt. In fœdere ſcriptis exarando accidit (ſtudione, an ſorte, incompertum eſt) ut Reipublicæ mentio fieret, cum initio diceretur, fœdus, quod anno M. D. XXIX. inter Pontificem, Cæſarem, ac Rempublicam Venetam, alioſque fœderatos ictum fuerat, confirmari, cui reliqui Itali Principes adjiciebantur. Rei novitatem admirans Senatus, cujus oratores numquam illarum rerum tractationi interfuerant, ſtudioſe factum fuiſſe ſuſpicabantur; cum præſertim typis excuſſa nonnulla exempla Byzantium perveniſſent. Inde de Venetis conquerendi Suleimanus non modo, verum Henricus Angliæ Rex, ambo Cæſari infenſi, anſam arripuere; ille quod jampridem Venetos Cæſari ſocietate conjunctos, cum quo acres inimicitias, ac bellum exercuerat, ægre tuliſſent, hic vero quod pertimeſceret, ne quid ſibi adverſum in gratiam Cæſaris ſtruerent; cum per eos dies, Catharina ejus amita priore uxore repudiata, Annam Boleniam ſibi conjugio junxiſſet. Qua in cauſa Patrum permiſſu collegii Patavini juriſconſulti adverſum Henricum pro Cæſare reſponſa tulerant. Senatus, ut e Suleimani animo ſuſpicio, ſi qua hæſiſset, eximeretur, tota ea de re ad legatum Byzantium præſcripſit. Atque hæc de Italico fœdere in Bononienſi conventu peracta ſunt. Ceterum de Concilio indicendo ſæpius actitatum eſt; cum illud ad componenda religionis diſſidia cogi mirum in modum Cæſar cuperet, contra vero Pontifex multis de cauſis eo adduci non poſse videretur: Henricum Angliæ Regem ob

*Patavinorum Juriſconſultorum contra Henricum Regẽ reſponſa.*

1533

ob nuper initum conjugium illi infensum esse; ne Franciscus Galliæ Rex in id consentiret, vereri; absque his Regibus nil ad commune reipublicæ ecclesiasticæ bonum decerni posse, multaque inde dissidiorum, ac schismatum semina exoritura: quapropter a Pontifice, & Cæsare nuntii in Galliam, atque Angliam missi fuere, qui Regum de Concilio celebrando sententias exquirerent.

*Clementis & Cæsaris legati ad Galliæ & Angliæ Reges.*

In eodem quoque conventu de Sfortiæ Mediolani Ducis connubio actum, optante Cæsare, ut illi Catharina Medicea Pontificis neptis uxor traderetur, quo firmius Italiæ pax coalesceret. Verum Pontifex, qui de illa Henrico Aurelianensi Duci, Galli Regis filio, matrimonio copulanda agebat, cum ab ea re aversus esset, Christiernam, Daniæ Regis filiam, ex sorore neptem, Sfortiæ connubio obstrinxit. Id cunctis Italis Principibus, ac Venetis præsertim gratum fuit, quod in veterem Sfortiadum familiam, regia sobole suscepta, Insubrum imperium novis successionibus confirmandum esset. His peractis, Carolus in Hispaniam profecturus Bononia discessit, literasque ad Senatum Cremona nonis martii dedit, quibus probari sibi Reipublicæ rationes ajebat; cur fœderi cum reliquis Italiæ Principibus icto adscribi minime voluisset; propensumque suum in Venetos animum benevolentiæ plenis verbis testabatur, ac quæcumque Reipublicæ usui, & commodo esse possent, ea omnia perbenigne detulit. Gratiæ Cæsari per oratorem actæ fuere. Mox cum Genuam pervenisset, vigintiquinque triremium classe, quæ in Genuensibus litoribus Andreæ Auriæ auspiciis illius adventum præstolabantur, Barchinonem delatus est. Hispani vero militis pars in Hispaniam delati fuere, pars, qui in Cisalpina Gallia relicti fuerant, in Neapolitanum regnum concessere. Germani, trajectis Alpibus, in patriam reversi sunt. Equitum pars Cæsarem est prosequuta, reliqui Neapolim missi sunt: atque Italia magno onere levata, uberiora pacis commoda percipere incepit: licet enim semina quædam nonnunquam, ni primo exortu obtrita essent, magnos paritura motus, suborirentur; tamen ab iis, qui in Italiæ pacem præ ceteris incumbebant, omnes belli occasiones præcidebantur, inter quos præcipue Senatus summa diligentia excubabat.

*Christierna Daniæ Regis filia Sfortiæ nupta.*

1533

*Georgii Mōtisferrati Marchionis obitus.*

Obierat per id tempus Georgius Montisferrati Marchio, e Palæologorum maſculina ſtirpe ſupremus, qui Bonifacio nepote defuncto, illius regionis principatum jure hereditario obtinuerat. Hujus obitu, quod nulli ſuperſtites liberi forent, Margaretæ, Gulielmi olim Marchionis filiæ, ea regio obvenerat; quæ cum vel ob ſexus imbecillitatem, vel ob ætatem capeſſere gubernacula non poſſet, inde ſeges contentionibus, ac diſſidiis oblata videbatur; quod Sabaudiæ Duces eam ſibi ſpectare, cunctis extinctis maſculis, hereditatem contendebant. Antonius Leva, ſummus Cæſaris in Italia præfectus in omnem occaſionem intentus, quo ſibi ad bellicos ſpiritus exercendos aditum patefaceret, orbæ filiæ, tutelæ obtentu, Cæſaris nomine Montisferrati principatum occupare, ac conſervare cum ſtatuiſſet, Venetorum auxilium, atque opem imploravit. Senatus ex Bononienſi fœdere ad id minime ſe teneri reſpondit; Inſubrum provinciam, ſi res tuliſſent, iis, quæ eodem continerentur, conditionibus defenſurum. Sed a Leva, qui auctoritate, ac viribus in Italia plurimum poſſet, nemine repugnante, præfectus, Cæſaris nomine, illi regioni datus eſt. Poſtea, Margareta Federico Gonzagæ Mantuæ Duci connubio juncta, Cæſaris decreto Mantuani Principes, qui Palæologicæ ſtirpis uxorem duxerant, Monteſerrato potiti fuere.

*Margareta Montisferrati Comes Mantuano Principi nupta.*

Verſis igitur ad concordiam, pacemque firmandam animis, negotium de finibus inter Ferdinandum, ac Venetos controverſiis dirimendis denuo agitari cœptum eſt, eo majori ſpe, quo Cæſarem cupido inceſſerat, ut amotis difficultatibus, finitimi populi firmiori pace, & quiete uterentur. Itaque cum diu antea de ſupremo arbitro eligendo diſſidentibus ſententiis certatum eſſet, tandem in Ludovicum Porum, Mediolanenſem Senatorem, conſenſere. Arbitri vero judices utraque ex parte dicti fuere: a Ferdinando Hieronymus Bulſarchius Germanus doctor: a Venetis Matthæus Avogarus Brixienſis doctor, & eques; qui cum Tridentum ſe contuliſsent, eodem Andreas Rubeus a ſecretis a Senatu miſsus eſt; ut de ſingulis, quæ in conventu agerentur, certior fieret: adjectus quoque Jacobus Florius Utinenſis, in iis negotiis pertractandis rerum uſu, atque experientia multa edoctus. Ibi complura diſceptata ſunt; injecti quoque ſermones de Marano, & Gradiſca oppidis Reipublicæ,

*Ludovicus Porus ſupremus arbiter inter Ferdinãdũ ac Venetos. Hieronymus Bulfarchius, & Matthæus Avogarus arbitri. Andreas Rubeus, & Jacobus Florius Tridentum miſſi.*

juſta

justa pecuniæ summa persoluta, restituendis. Quamobrem Joanni Delphino Veronæ Prætori, ut Tridentum proficisceretur, injunctum fuerat. Sed ea res irrito eventu cecidit. De finibus vero cum diu disceptatum foret; initæ quidem fuerunt nonnullæ rationes ad controversias præsentes de medio tollendas, gravissimæ postea difficultates exortæ obstitere, quominus ea, de quibus jam conveniret, perficerentur. 1533 *Joannes Delphinus Tridentum mittitur.*

Dum hæc gererentur, eadem, quæ superiore anno rerum maritimarum cura Patrum solicitabat animos: nam Suleimanus Corones amissæ impatiens, ut notam, quam suæ gloriæ inustam arbitrabatur, deleret, summo studio curabat, ut quammaxime posset & numero, & viribus instructiorem classem deduceret: neque minus Auria, ne impar hostibus esset, pro augenda classe enixe laborabat, ut hoc anno, terrestre cessante apparatu, maria ad mutuas vires exercendas latiorem campum præbitura viderentur. Quæ res Senatum impulere, ut triremium numero aucto, singula summa solertia provideret, quæ ad maritima Reipublicæ loca defendenda, & maria tutanda pertinerent. *Veneti classem augent.* Ob id Mauro Corcyræ legato ducenti pedites in supplementum præsidiariis militibus sub Joanne Novocomensi mittuntur: Hieronymo Canali injungitur, ut, cunctis navigiis coactis, Corcyræ in omnem rerum eventum paratus subsistat: sinus Adriatici præfectum cum triremium manu, ut tutum illum a piratarum injuriis præstaret, mitteret: duas quoque cum celocium aliquot numero Zacynthum proficisci juberet, ne quid insulani detrimenti caperent: ad Maleam promontorium magnam navem onerariam destinaret, ut maria procul a prædonum vesana avaritia, atque ingluvie pacata negotiatoribus redderet: quæ omnia Canalis vir impiger, maritimaque disciplina clarus, uti jussus fuerat, perfecit. *Mandata Senatus ad Hieronymũ Canalem.* Franciscus Dandulus præfectus ad Adriatici sinus custodiam missus, cum iter quinque cum triremibus in Dalmatiam direxisset, atque ad Sasonem, in maritima Epiri ora situm, quod parum ab Aulone distat, procul duodecim Africanas biremes conspexisset, Venetas arbitratus, nihil flexo itinere, cursum tenuit; mox propius intuens, prædatorias esse animadvertens, immutato itinere, in altum provectus, capessere pugnam minime ausus, cum vix in conspectum hostis ve-

1533 nisset, ignavo consilio, turpiter sese in fugam conjecit. Pirata barbarus celeriter insequutus, in triremes Venetas impetu facto, duas cepit: Dandulus, ac Marcus Cornelius trierarchus capti, reliquæ elapsæ in tutum se recepere; Dandulus, & Cornelius, cum triremibus in Africam abducti fuere. Infelicis hujusce rei eventus Venetias perlatus cunctorum animos non minus molestia, quam ingenti indignatione affecit, quod opinio, quæ apud cunctas gentes de navali virtute, ac fortitudine Veneta inoleverat, labem aliquam contraxisse videretur. Fremere igitur omnes; imprudentiam, atque ignaviam præfecti incusare; nil prætermittendum ducere, ut forti aliquo facto illata injuria vindicaretur, ac nubes, quæ offusa maritimarum rerum splendori videbatur, quamprimum discuteretur. Ea de re in Senatu variis sententiis actum: creari nonnullis alterum classis legatum placebat, qui statim cum duabus triremibus jam ad iter instructis, urbe discederet, in sinusque Adriatici custodiam, cum aliis octo, piratas quacumque persequutus, incumberet; Canalis cum reliqua classe quæ illi antea a Senatu mandata fuerant, exequeretur. Aliis vehementiora Senatusconsulta adhibenda esse videbatur; Canalem in Africam statim mittendum, qui ad Meningem usque profectus, a Sicco pirata triremes eo convectas, ac captivos repeteret: id si minime impetrare posset, Tunetum adiret, atque ab eo Rege prædas, & captivos reposceret: ni sibi satisfieret, maritimas oras incendiis, vastationibus, ac direptionibus deformaret. Hac sententiarum diversitate in ambiguo Senatorum animi versabantur. Canalis interim de iis, quæ Dandulo acciderant, certior factus, duodecim expeditis triremibus Corcyra illico solvens, persequendis piratis institerat; verum ii jam citato cursu Adriatico egressi in Africam se proripuerant. Dandulus ex Africa Constantinopolim captivus abductus, Aloysii Griti præcipue opera redemptus, cum Venetias reversus esset, ob male administratam rempublicam in Jaderam est deportatus.

*Franciscus Dandulus, sinus Adriatici præfectus, & Marcus Cornelius ab Africanis piratis capti.*

*Franciscus Dandulus Aloysii Griti opera e captivitate redemptus, exilio a Senatu damnatur.*

Ceterum hoc anno Corone & Turcarum, & Cæsareanorum maritimas vires exercuit; dum ii expugnare nuper occupatam urbem contendunt; hi vero, militibus, commeatibus, ac munitionibus subsidio missis, propugnare acriter ni-

tun-

tuntur. Luphtibejus, Gallipolis Sangiaccus, maritimi imperii præfectus, Suleimanus Acarnan, Maurusque ab Alexandria octoginta circiter triremes coegerant, in quibus complures milites, atque in iis non exiguam prætorianorum manum immiserant, ut vel arcta obsidione Coronem circumcingerent, aut cum Hispanica classe, si occasio posceret, decertarent. Mendotius, qui Coronæ præerat, se terra, marique obsideri, atque ad illam sustinendam commeatu potissimum egere, Petro Toletano, Neapolitanorum Proregi, significavit: ab Andrea quoque Auria maturam opem poscebat, qui, coactis circiter triginta onerariis navibus, ac viginti septem triremibus, Neapolim contendit, veteranosque milites Hispanos, Roderico Macicao duce, navibus imponit. Hæc dum comparantur, ad Coroneorum animos confirmandos, cum expedita trireme Christophoro Palavicino Coronem misso, ipse Neapoli Messanam provectus, cum omnem spem subsidii inferendi in celeritate sitam animadverteret, Zacynthum statim est profectus. Ibi licet majori triremium numero, ac militum robore instructam Turcarum classem, Coronem obsidere edoctus; attamen ab ope Coroneis ferenda minime deterritus, Acritem, ubi in statione Turcæ cum classe constiterant, superare nititur. Inde, Turcis in altum provectis, dum invehere urbi subsidia Auria contendit, avertere Turcæ moliuntur; vario eventu pugnatum est, utrinque haud mediocri damno vel onerariis navibus, vel triremibus illato; qua opportunitate arrepta, præfectus Mendotius ex urbe prodiens in hostium castra irrupit, qui Christianorum conspecta classe, consternati in fugam effundebantur; ex iis nonnulli interfecti, annonæ, atque commeatus abunde in urbem est importatus. Auria frumenti, vini, tormentariique pulveris vim inferri jussit, Hispanorum cohortibus Macicai auspiciis ad Corones præsidium relictis.

1533

*Luphtibejus, classis præfectus, Turcarum copias comparat.*

*Mendotius præsidii Coronensis præfectus.*

*Andreas Auria Neapolim cum classe proficiscitur.*

*Rodericus Macicaus, Hispanorum militum dux.*

*Corone a Turcis obsessa.*

*Mendotius Corone egressus Turcas fundit.*

*Andreas Auria præsidium Coronæ imponit.*

Hieronymus Canalis præfectus eorum, quæ a Turcis, ac Cæsareanis gererentur, spectator tantum aderat, ab iisque se abstinebat, quæ gignere in utrorumque animis semina suspicionis possent: licet arduum valde esset, ita se difficillima in re gerere, ut omnium querelarum causæ tollerentur, cum utrinque quidquid Veneti agerent, solerti indagine disquireretur. Proinde Cæsaris orator vehementer conquerebatur, quod sub-

1533 ſubditos a Coroneis commeatu ferendo, atque aliis rebus juvandis Veneti arcerent; id a veteri Reipublicæ chriſtiana pietate, ac religione alienum eſſe. Altera ex parte Suleimanus, quod illius hoſtes inſulis, & portubus Reipublicæ exciperentur; annona, atque ad victum neceſſariis adjuvarentur. Cæſaris legato cur Coroneorum rebus minime ſe Reſpublica miſceret, Senatus exponit; non imminutam religionem; non de pietate, quam a majoribus hauſerat, quidquam detractum; verum eas conditiones temporum eſſe, ut cum undique maritima ſua loca a potentiſſima gente circumſepta ſint, ſummopere providendum videatur, ne temere fractis pacis conditionibus, in ſe Suleimani arma concitaret: claſſem Turcicam Zacyntho inſulæ adeo propinquam eſſe, ut duarum horarum ſpatio, copiis in terram expoſitis, cuncta diripere, vaſtare, flammaque, ac ferro in incolas ſævire poſſint; id non modo inſulæ illius detrimento futurum, verum chriſtianæ quoque reipublicæ, Zacyntho ſitu valde opportuna deleta, atque amiſſa, damna haud exigua obventura. His Cæſaris avertere poſtulata nitebantur. Suleimano vero ob eam, quæ Reipublicæ cum Cæſare amicitia, & pax intercedebat, fieri non poſſe ſignificabat, quin illius triremes Venetis portubus uterentur, pecunia commeatus compararent; neque ob id juſtam ullam querelarum cauſam eſſe; cum præcipue eadem præſidia ipſius quoque ſubditis ſuppeditarentur. Ita illius tempeſtatis rationes ferebant, ut mediam inter potentiſſimos Principes ſe Reſpublica gereret, ne alteri favendo, alterius in ſe odium, atque arma concitaret.

At cum Turcæ neque vi, neque obſidione Coronem expugnare potuiſſent, & Cæſareani nova ſubſidia in urbem invexiſſent, ſeneſcente jam autumno, Auria Corone diſcedens Corcyram petiit, atque inde Meſſanam rediit: claſſis quoque Turcica Byzantium contendit. Canalis vero Senatus juſſu, ut navibus, triremibuſque actuariis, quæ mercimoniis onuſtæ in Cyprum, atque Alexandriam proficiſcebantur, mare tutum a piratis præſtaret, cum duodecim triremibus Corcyra ſolvens, ſupra Cretam ſæva tempeſtate oborta, cum triremibus ad litus deflectere coactus in tutam ſtationem ſe recepit; naves vero, atque actuariæ ad maritimas jactationes inconcuſſæ longe

ge

ge a levioribus in anchoris substiterant : cum kal. novembris, 1533
Superis omnibus dicata die, occidente sole, ex quinqueremium carchesiis speculatores procul triremium manum, quæ iter in illas intenderent, conspexere. Ea de re legatus a Daniele Bragadeno, quinqueremium Alexandrinarum duce, certior factus, piraticas esse ratus, statim in altum prodire, totisque viribus in hostes impetum facere, ac prælium committere decrevit, egregio animi impulsu concitatus; ut qui a prima juventa navalibus innutritus, atque instructus artibus erat, præteritorum præclare gestorum cursum insigni aliquo facto ad augendam suam gloriam decoraret. Addebant stimulos triremes militum numero, ac virtute, remigum robore ad omnes conatus pares, ex quibus nonnullæ Illyricæ gentis erant, quæ præ ceteris ad maritimos labores formata natura ipsa videtur. Canalis procul in altum progressus, quinque a reliquis triremibus longius abesse, quod eundem vel impari remigum nixu, vel remissiore trierarchorum animo tenere cursum non potuissent, conspicatus, militari astu hostem elusit, singulis triremibus duobus, altero ad puppim, ad proram altero, luminibus, quæ vulgo *phanalia* vocantur, imponi jussis, quo majoris illius aspectibus numeri speciem objiceret. Erat is Maurus Alexandrinus junior, unus ex Ottomanicæ classis ducibus, qui cum tredecim triremibus ex Coronensi obsidione in Africam reverteretur, Græciæ litora prætervectus, excursionibus infestaverat. Itaque haud procul a Criometopo promontorio intensiore remigum conatu in Turcicas triremes, pugnæ signo dato, impetum facit. Repente ingenti fragore displosis tormentis, alias in puppi, alias a lateribus verberat, summo hostium damno, cum nihil bellicæ barbarorum machinæ nostris officerent. Maurus, Venetis triremibus inspectis, expansis velis, ac vehementiori remorum impulsu se proripere studet; sed ignium fabrefactorum e prætoria nostrorum triremi ejaculatione incensis, & absumptis velis, atque Alexandrinæ triremis temone tormento excusso, pugnam capessere coactus. Atroci prælio, atque haud dispari ferocia dimicatur; duæ fortissimorum ducum auspiciis Canalis, atque Mauri triremes concurrunt : intempesta nox erat, lunaque pernox ad militare spectaculum intuendum faces præbere vi-

*Hieronymus Canalis, classis legatus, Alexandrinum Maurum aggreditur.*

1533 videbatur. Hinc atque inde ſtrenue, & intrepide dubio marte pugnatur; dum complures, qui in Alexandrina triremi Janizzeri aderant, fortiter noſtrorum impetum ſuſtinerent, nihilque eorum prætermitterent, quæ in re ancipiti ab animo, ac virtute peti ſubſidia poſſent. Verum cum feſſis recentes milites a triremi, quæ Canalis prætoriæ propinqua erat, ſubmitterentur, Maurus octo vulneribus transfixus, ſpe abjecta, inops animi in mare ſe projiciens, vitæ perfugium alia in triremi quærebat. Illum adnatantem, & ſemivivum ignorans quiſnam eſſet, miles conficere annixus, vix ſe prodentem continuo e fluctibus extraxit, atque ad conſpectum Canalis præfecti perduxit. Capto duce, prætoriaque triremi in poteſtatem noſtrorum redacta, reliquæ facile oppreſſæ fuere: quatuor captæ; duæ disjectæ, ac fluctibus abſorptæ; reliquæ, opportune arrepta fuga, ſalutem ſibi quæſivere: barbari ad unum omnes interfecti.

*Maurus Alexandrinus vulneratus a Canali cũ triremibus captus.*

Ex hoc eventu ingens milites, & Cretenſes populos lætitia inceſſit, quod præclaram adeo victoriam exiguo temporis momento per ſummam virtutem Canalis conſequutus eſſet. Qui vero maturius factum penſabant, rem omnem ſecus animis expendebant, cum Suleimani inde irarum impetum in Venetos effuſurum vererentur, quod cum ea claſſe certatum eſſet, quæ non piratarum, ſed ipſius auſpiciis navigaret. Ea re commotum præpotentis, ac ſupra mortalem faſtum elati animi Principem, rupto fœdere, bellum Venetis illaturum pertimeſcebant. Itaque Cretæ magiſtratuum, ac maritimorum perfectorum concilio coacto, multis diſceptatum; tandem decretum eſt, ut triremes Turcicæ in Africam mitterentur; ad meliorem ſpem Mauri juvenis animus erigeretur, commiſſoque prælio error noctis obtenderetur. Prælii vero hujus nuntiis Venetias perlatis, vehementer Patrum animi commoti ſunt; inde quamplurima incommoda ſuboriri Reipublicæ poſſe veriti; quod Suleimanum æquo animo tantam injuriam minime laturum arbitrarentur. His acceſſerat, quod cum ob modicos ſegetis proventus hoc anno annona laboraretur, liberaliter frumenta e ſuis regionibus aſportandi facultas Venetis conceſſa fuerat; atque de iis, quæ Mauro acciderant, certiores facti, Principis injuſſu, Turcæ miniſtri naves, quæ

*Turcicæ triremes a Cretæ magiſtratibus in Africam mittuntur.*

*Venetæ naves frumentis onuſtæ a Turcis detentæ.*

ad

ad excipienda, & convehenda frumenta in ſtationibus e- 1533
rant, detinuere. His de cauſis Hieronymi Canalis præfecti factum varie, prout quiſque ſecum animo reputabat, aut improbari, aut extolli. Nonnullis temere Rempublicam in magnum diſcrimen conjectam; nil niſi privatam militaris laudis gloriam præfecto acceſſiſſe videbatur: aliquam iniri rationem, qua ardens Suleimani animus miteſceret; abdicari ſe magiſtratu Canalem, novum legatum creari oportere. Alii extollere ſummis laudibus egregium præfecti facinus, quod inſolentis piratæ præferoces ſpiritus obtudiſſet; militare Venetorum decus celebri fama nobilitaſſet: præmiis, atque honoribus alendam civium virtutem, ſurgentes vividi animi impetus minime obterendos.

*De Hieronymi Canalis facinore diverſa Senatorū ſententia.*

Itaque cum hæc ſententia viciſſet, alia via animum Suleimani placatiorem reddere, ſibique conciliare Patres ſtatuunt; id opportune fieri poſſe rati, ſi nuntius Byzantium mitteretur. Quamvis enim Nicolaus Juſtinianus legatus lenire factum, culpam in Maurum transferre conatus eſſet, atque Ajacem, ſupremum Baſſam, penes quem ſumma erat auctoritas, Venetis conciliare ſtuduiſſet; attamen Danielem Ludovicum, a ſecretis, virum prudentia, & rerum uſu magnis in negotiis verſatum, Byzantium proficiſci Senatus juſſit, ut coram Suleimano, ac purpuratis, quæ a Canali geſta fuerant, ſumma ratione probaret effecta eſſe. Is triremi ſtatim in Illyricum advectus, inde terreſtri itinere per Mœſiam, & Thraciam Byzantium profectus, Suleimano, ac Baſſis adventus ſui cauſam expoſuit: noctis errore, ut inter ſe amicæ claſſes, concurſu facto, certarent, contigiſſe: neceſſitate adactum Canalem, quod Mauri triremes, quæ propius acceſſerant, piraticas credidiſſet, ad pugnam committendam deſcendiſſe: nullo unquam tempore Venetam gentem animum infenſum erga potentiſſimum Regem habuiſſe; nihilque tam alienum a Republica eſſe, quam injurias, aut damna Suleimano inferre, quem magno ſemper ſtudio, omnibuſque benevolentiæ officiis coluiſſet: non quod fortuito eventu, cæcaque noctis caligine obtectum contigerat, ſed immotum erga illum, propenſumque Senatus animum, nullis unquam humanæ ſortis tenebris offundendum inſpiceret, ac nube minus amicæ in Rempublicam voluntatis diſcuſ-

*Daniel Ludovicus Byzantium mittitur.*

ſa,

1533 sa, nihil de veteri illius amicitiæ jure in Venetos imminueret. His, atque aliis purgare Canalem, quæ evenerant, excusare contendit: addita quoque Regi, & purpuratis munera, ut præteritam, si qua in illorum animis hæsisset, molestiam facilius depelleret; quibus facile placato Suleimani animo, belli impetus, quem erupturum Patres in Rempublicam pertimescebant, sedatus, atque alio aversus est: inde haud parva Venetis gloria accessit, quod summa cum dignitate tot difficultatibus implicitum negotium felici exitu confecissent. Canalis quoque nomen celebriori, ac cumulatiori fama elatum. Maurus diutino vulnerum languore vexatus, pristinam valetudinem tandem adeptus, Canale permittente, in Aegyptum profectus est; paucisque interjectis diebus, animi angore, & curis confectus Alexandriæ interiit. Canalis vero non multo post cum in morbum incidisset, cunctis artis humanæ auxiliis frustra adhibitis, Zacynthi, cum adhuc in magistratu esset, excessit e vita: vir maritimis artibus insignis, quibus a puero assuefactus, omnem vitæ cursum in iis exercendis exegerat; ac nobili generosi animi ausu ardua quæque aggressus, virtuti parem fortunam sortitus fuerat. Cujus memoriam ut posteritati commendaret, Antonius patriæ virtutis æmulus, in Gemellorum æde monumentum statuit; atque, ut fortissimi viri meritis ad parem in civium pectoribus flammam alendam gratum aliquod publicæ liberalitatis testimonium Senatus penderet, Antonio eidem, ac posteris perpetuus ex Corcyrensi quæstura census est constitutus. Decretum cum ad majora Comitia ex lege Consiliarii, & quadraginta virum capitalium præsides tulissent, Joannes Donatus, Bernardi filius, excellentis spei juvenis, viginti quatuor nondum agens ætatis annos, ex suggestu summa dicendi vi, & copia cives, qui trecenti atque amplius supra mille in curia aderant, dicendo ita flexit, ac permovit, ut ex iis nongenti decreto suffragati fuerint.

*Hieronymi Canalis obitus.*

*Joannis Donati eloquentia.*

Interea Clemens Pontifex de Catharina Laurentii Medicis nepotis filia Henrico Aurelianensi Duci connubio jungenda secreto cum Francisco Galliarum Rege agebat, qui ob id, ut Clementem alloqueretur, Niceam, Provinciæ urbem, se venturum vulgaverat. Hujus colloquii causa cum nondum emanasset, vehementer Italorum Principum, ac Venetorum præ-

fer-

1533

ſertim animi commovebantur; cum præcipue Carolum quoque Imperatorem eo conventurum ambiguis rumoribus afferretur; verebanturque, ne afflictæ, atque vaſtatæ Italiæ pax, atque otium ingenti labore partum, ambitione Principum, ac dominandi cupidine corrumperetur; præteritiſque rerum caſibus edocti, nullum fixum adeo in Principum mentibus recta ratione decretum eſſe, quod impotens regnandi libido, atque immenſus ſeſe ſupra ceteros efferendi ardor non perfringerent. Verum mora injecta, cum nuptiarum cauſa colloquium illud Pontificem appetiviſſe conſtitiſſet, ea ſuſpicione, ac metu Reſpublica ſoluta eſt. Niceam Faventinus Antiſtes, ac magnus Galliæ Magiſter, alter Pontificis, alter Franciſci nomine, ut de tempore, & loco colloquii ineundi ſtatuerent, convenere. His de rebus Clemens Senatum certiorem fecit: non eo adductum, ut privatis ſuis rebus proſpiceret, ſed ſua conſilia aſſiduis volventem cogitationibus in commune bonum intendiſſe: Cæſaris pariter, & Franciſci Regis amicitia, atque æquatis ſummorum Principum viribus reipublicæ chriſtianæ, atque Italiæ libertatem, & incolumitatem niti: id ex veteri, ac ſemper in magnis rebus verſata Senatus prudentia hauſiſſe: Pontificiæ dignitatis, atque æquitatis eſſe, communem ſe parentem profiteri: ea mente in Galliam proficiſci, ut pacem, & concordiam firmiori Principum Chriſtianorum nexu ſtabiliret, & confirmaret: quid enim præſtantius, quid chriſtianæ reipublicæ præſtabilius, quam Franciſci Regis animum pace, ac fœdere Bononienſi ab Italis Principibus averſum iiſdem conciliare, ne Cæſaris potentia aliquando in aliorum Principum perniciem verteretur? neque ad priſtinum nitorem, ac decus magis religionem reſtitui poſſe, quam ſi ſummi orbis terrarum Principes conſilia, ac vires cum Pontifice, ac Republica conſociarent: proinde qui Cæſaris filiam Alexandro nepoti junxiſſet, regiæ quoque, ac nobiliſſimæ ſtirpi Catharinam neptem inſerere voluiſſe. Hæc ſane Clemens Senatui ſignificabat.

*Nicea Conventus inter Faventinum Antiſtitem & Magnum Galliæ Magiſtrum.*

Joannes Stuardus, Albaniæ Regulus, cum triremibus viginti e Maſſilia ad Portum Veneris profectus, ſponſam ad Niceam perduxit, ut inde terreſtri itinere Maſſiliam contenderet. Clemens per Hetruriam Piſas veniens triremibus Gallicis ad

*Clementis & Franciſci Regis ad Maſſiliam conventus.*

1533 ad Herculis Monœci portum ( hodie *Villafranca* dicitur ) devectus, biduo post Massiliam pervenit. Postridie Franciscus cum Eleonora Regina, ac liberis, atque universa fere Galliæ nobilitate adfuit; statimque Pontificis exosculatis pedibus, postero die, qui fuit idibus octobris, publice in Cardinalium Senatu exceptus, Henricum filium, Aurelianensem Ducem, in spem regiæ sobolis, connubio jungendum Clementi obtulit; mox nuptiæ splendido, ac regio apparatu concelebratæ fuere. Massiliæ vero multis diebus ludis, atque spectaculis insumptis, Pontifex, jam prope hyemem tempestatibus mari clauso, circiter idus novembris, conscensis Auriæ triremibus, cum Centumcellas pervenisset, inde terrestri itinere Romam regressus est; nondum ea suspicione penitus sedata, ac deleta, quæ Principum animos perplexa ambiguitate detinuerat, ne affinitate Pontificis sibi ad Italiam invadendam Rex gradum faceret; cum infenso in Sfortiam animo Franciscus esset, Insubrumque imperii recuperandi nunquam spes abjecisset. Ob id ne Helvetii cum Cæsare fœdere jungerentur, curabat, atque Uldericum Viterbergensium Ducem quibus poterat viribus juvabat, ut, Germanis adnitentibus Principibus, in imperium, a quo pulsus fuerat, restitueretur. Verum Germanis intestinis dissensionibus laborantibus, partibusque ob religionis diffidia in arma præcipiti concilio ruentibus, eadem peste in Helvetiis grassante, alio curas, & cogitationes intendere Principes cogebantur. Italica autem pax in dies altiori tranquillitatis, atque otii dulcedine quassatam superioribus annis provinciam, præteritis revocatis artibus, pristino decore exornabat.

*Clemens ab Auriæ triremibus Centumcellas perducitur.*

*Uldericus Viterbergensium Dux a Gallis adjutus.*

## M. D. XXXIIII.

1534 CUm in spem certæ successionis nuptiæ inter Christiernam, Daniæ Regis, & Caroli sororis filiam, ac Franciscum Sfortiam concelebratæ Mediolani forent, quibus Christophorus Capellius Venetus apud Ducem orator interfuit, Respublica terrestris belli suspicionibus soluta, ob eas, quæ annuatim Hellesponto classes deducebantur, maritimarum rerum cura, & solicitudine involvebatur; vehementerque angebantur Patres, quod ad tutelam tantummodo, non ad incrementa imperii, tot

*Christophorus Capellius ad Sfortiam orator.*

tot ſumptus in augenda, atque adornanda claſſe abſumerentur. In ea vero hoc anno majus ſtudium impendere nitebantur, quod Byzantio afferebatur, centum triremes, omnibus rebus inſtructas adeſſe; præfectum ſummum antea memoratum Chariadenum illum Ahenobarbum deſignatum fuiſſe, cujus in maritimis rebus eximia diſciplina magnam illi apud cunctos mortales famam concitaverat. Hunc enim ab infimis abjectæ ſortis initiis ad ſummam non minus virtus, quam fortuna felicitatem extulerant. Nam in Lesbo inſula Chariadenus, atque Horutius fratres, patre Græco orti, Camali archipiratæ ſe adjunxere; maritimiſque excurſionibus prædas agendo, debiliores quoſque opprimendo, ad tantum opum, & divitiarum faſtigium ſe evexere, ut Horutius natu major, juſta ex piratis claſſe confecta, in Mauritaniam profectus, ex Numidarum diſſidiis egregiam occaſionem nactus, Algerii regno potiretur. Sed fines latius amplificare conantem Mauri, atque Hiſpani oppreſſere. Eo interfecto, Chariadenus imperium ſuſcepit, nec minus quam frater bellico ſpiritu, præſtanti ingenio promptus, pari quoque regnandi libidine, atque divitiarum cupiditate incenſus, brevi, multis in Numidia rebus terra, marique geſtis, clarum adeo maritimæ ſcientiæ ſibi nomen comparaverat, ut, quod ſuperius retulimus, Suleimanus, miſſis nuntiis, illum Byzantium vocaret, mariſque præfecturam committeret, ut notam illam elueret, quam Himerales in Peloponneſo turpi fuga contraxerat; a viro induſtrio, atque a prima juventa in maritimis rebus verſato fieri poſſe ratus, ut Turcarum gens, cujus in terreſtribus præliis ſummus vigor, ac virtus eſſet, mari quoque priſcorum gloriam æmularetur. Hoc magiſtro maritimis præliis minime aſſueta gens, tantum profecit, ut acriori, ac ſeveriori diſciplina imbutam ad mari quoque militaria munera obeunda non inferiorem ſe præſtiterit. Hujus illud inventum extitit, mancipia, & captivos ad tranſtra compellere, atque ad remigum officia præſtanda opportune inſtruere; quod quidem Chriſtianorum rebus haud parva detrimenta attuliſſe compertum eſt.

*1534*

*Chariadeni genus & progreſſus.*

Bellici apparatus fama cum in dies augeretur, nec non ad Suleimani claſſem centum quoque piratica navigia Chariadenum additurum, nuntiaretur, novas adjicere triremes ſuperioris anni

*Veneti claſſem augent.*

1534 classi Senatus decrevit. Duodecim in Creta insula instructæ fuere: Venetiis vero fabri, ac ceteri opifices veteres reficere, novas compingere, cuncta, quæ in usus rei navalis essent, parare sunt jussi; ut si ita res poscerent, instructior, ac validior classis redderetur. Atque ut hæc quamprimum perficerentur, multo studio undique pecuniæ conquirebantur, civibus supra debilitatas assiduis impensis privatas fortunas in Rempublicam animi ardore sese efferentibus. Ecclesiastici quoque viri ad eandem sublevandam suas opes congessere; cum Pontifex Senatui petenti concessisset, ut qui terrestri imperio Venetorum continerentur, centum aureorum millia; qui in maritimis essent, sexdecim millia ad subsidium bellicorum apparatuum persolverent. Mari vero proxima loca præsidiariis militibus augebantur, annona undique convehebatur, atque intentiori cura quæ ad tuendas Venetas oras spectarent, agebantur: cum reliqui quoque Principes ad Turcicæ classis famam sedulo, ac præter morem maritimis comparandis viribus insisterent. Cæsar admodum veritus, ne Suleimanus, acerrimus hostis, universum belli impetum in suos fines converteret, undique triremes, ac navigia cogebat, ut Chariadenum multis sibi causis infensum repelleret. Galliarum quoque Rex summo studio curabat, ut Massiliæ viginti quatuor triremibus sex adjungerentur. Clemens, ut Tyrrheni maris litora a piratis custodiret, decem triremes instrui jusserat.

*Clemens Venetis subsidium Ecclesiasticũ concedit.*

*Clemẽs, Cæsar, & Gallia Rex maritimas vires instruũt.*

Dum hæc gererentur, Hispani, qui Corone in præsidio erant, multarum rerum inopia premi cœpere, Turcis arcta adeo obsidione urbem circumsidentibus, ut nullus inde egressus propugnatoribus tutus relinqueretur, atque ii, qui ad annonam colligendam nonnunquam prodibant, insidiosis incursibus interciperentur. Itaque milites cum otio tempus teri, absumi sensim cuncta famis subsidia, paulatim restingui animorum impetum, corpora gravioribus grassantibus morbis, contabescere animadverterent, aliquo potius egregio facinore, certis quoque periculis vitam objectare, quam turpiter fame, ac morbo enecari malebant. Igitur a præfecto flagitant, ut facultas sibi ex oppido erumpendi, atque hostes aggrediendi detur: id cum ab eo, qui militari prudentia funestum rei exitum mente præsagiebat, ægre impetratum esset, impressione facta, cum viribus hostibus impares essent, nullum, præter inanis,

nis,

nis, ac desperatæ fortitudinis laudem, fructum retulere: nam complures cæsi, inter quos Macicaus præfectus; multi vulnerati; reliqui in oppidum sese recipientes salutem quæsivere: nec multo post pestilentia oborta, funeribus exhauriri propugnatorum reliquiæ cœpere. His de caussis Hispani rerum omnium desperatione adacti cum navigia, quæ frumentum e Sicilia ad levandam inopiam importaverant, Coronen appulissent, asportatis tormentis, cum Græcis naves ingressi, vacuam, ac desolatam urbem hostibus reliquere. Constans opinio fuit, Cæsaris jussu Hispanos Corone discessisse; cum tanti eam urbem esse non arbitraretur, ut magnos, ac perpetuos sumptus, qui, undique circumsepta ab hostibus regione, insumendi forent, æquare posset. 1534

*Corone ab Hispanis relicta.*

Chariadeno interim cum classe circiter centum triremium, aliisque compluribus navigiis Hellesponto egresso, cum adhuc incertum esset, quonam suæ navigationis cursum intenderet, Senatus Vincentio Capellio, classis imperatori, qui nuper urbe exierat, mandavit, ut si Turcæ sinui Adriatico appropinquarent, ipse cum classe in intima se recipiens, custodiendo sinui intentius vacaret. At Chariadenus in mare Tyrrhenum deflectens, Messanæ fretum trajiciens, Mamertinos inopinato adventu adeo perterrefecit, ut ad arma undique conclamantes suis rebus magnopere diffiderent: mox Hipponiatem sinum prætervectus, in Brutiorum litoribus Sancti Lucidii oppidum adortus, omnium incolarum cæde facta, barbara crudelitate diripuit. Cum vero Capreas supra Neapolim pervenisset, universæ maritimæ oræ inusitato aspectu tantum terrorem injecit, ut plerique affirmarint, Chariadenum, militibus in terram expositis, consternatione dejectos, ac pavore prostratos Neapolitanos haud difficulter opprimere potuisse. Eodem cursu Prochyten, inde Cajetam delatus, Fundis, Tarracina, atque eo litorum tractu cædibus, incendiis, captivitatibus deformato, cum barbarorum sævientium strages aucta, agrestium ingenti trepidatione, Romam delata fuisset, urbem insolitus adeo timor invasit, ut neque ad expedienda consilia, neque ad arma capienda satis animi, aut roboris in incondita multitudine, vel in paucis militibus, qui urbis custodiæ præerant, superesset, Clemente ea tempestate morbo implicito, Cardinalibus inusitato pavore perculsis, ut vix tan-

*Vincentius Capellius ad classis imperium redit.*

*Chariadeni in mare Tyrrhenum navigatio & direptiones.*

*Romanæ Urbis ob Chariadeni classem trepidatio.*

Cc 2 tam

1534 tam ex ærario pecuniam expromerent, quanta ad nonnullas militum cohortes conficiendas Hippolyto Medicco Cardinali tradenda sufficeret.

*Chariadenus Tunetu & Africæ oram Suleimani imperio adjügit.*

Verum Chariadenus in Pontiam insulam aquandi causa divertens, in Africam navigationis iter arripiens, summa celeritate confecit, ut diversa velificatione deceptum Muleassem, Tuneti Regem, imparatum offenderet. Primo appulsu Uticam occupavit, deinde Tunetum aggressus, ostentato Boscetis Regis nomine, quem per summam injuriam Muleasses frater regno ejecerat, & in quem Tunetanorum studia, tyrannidem illius pertæsi, propensissima erant, nullo negotio urbe potitus est; oppidanosque in verba Suleimani jurare compulit. Quo facto, cum reliqua minora Numidiæ oppida in illius potestatem concessissent, brevi compositis rebus, universam illam Africæ oram ottomanico imperio adjunxit.

Suleimani vero maritimis viribus ad Africæ urbes expugnandas conversis, nihil annalibus inserendum in Europa mari gestum est; præter legati Venetæ classis facinus, qui Philippi Mazzæ, Hierosolymitani equitis, Melitensium navigiorum ducis, pervicacem audaciam fregit, ac nefariorum scelerum meritas ab eo pœnas exegit. Is enim cum prædæ avidus Ionicum, atque Aegeum mare excursionibus peragrasset, in Adriaticumque penetrasset sinum, Turcarum non modo, verum etiam Christianorum navigiis, atque opibus infensus, a sinus Adriatici præfecto captus, ac Venetias transmissus fuerat. Qui cum reus causam ex vinculis diceret, a Senatu ad quadraginta viros capitales rejectus, datis vadibus, e carcere emissus, judicio fuga se subtraxerat. Inde tribus instructis omni bellico apparatu biremibus, huc, atque illuc in omne scelus proruens, Veneto nomini per ludibrium infensus, prædabundus ferebatur. Legatus impatiens animi, cum ad justam anhelaret vindictam, de illius navigatione per exploratores certior factus, improviso prædatorias biremes cum ipso Philippo cepit; captas spoliavit; Philippo caput præcidi jussit; captivis Turcis libertate restituta, Byzantium missis; biremi, qua infaustus præfectus vehebatur, incensa; binas reliquas Cæsari petenti transmisit: is enim, licet Hierosolymitanis militibus in sua tutela, ac patrocinio quiescentibus, factum ægre animo laturus videretur, attamen de Philippi nefariis cri-

*Philippus Mazza a classis Venetæ legato capite damnatur.*

mi-

minibus edoctus, cum causas, quæ legatum ad id agendum impulerant, intellexisset, gesta probavit. Magnus quoque Hierosolymitanæ religionis Magister Philippi facinora detestatus, non modo suo injussu, verum etiam adversus decreta ad piraticam exercendam biremes illas eduxisse, fassus est. His peractis, quæ extra ordinem triremes deductæ fuerant, a Senatu subduci jussæ; Capellius classis imperator Venetias revocatus est. 1534

*Vincentius Capellius classis imperator Venetias revocatus.*

Eodem ferme tempore, quo Chariadenus Africanam expeditionem moliebatur, Suleimanus Abraimi, qui magna apud illum gratia atque auctoritate pollebat, crebris adhortationibus incitatus, bellum adversus Tammasum Ismaelis Sophi filium, cui Magni ob egregia facta cognomen inditum fuerat, bellum suscepit; & evocatis undique militibus, Ulamane Persarum transfuga itineris duce, Iconii Lycaoniæ oppido lustratis copiis, in Armeniam contendit: ubi, cum Choim pervenisset, nullosque obvios Persas haberet, per loca penitiora progressus, ut cum Tammaso acie certaret, qui, relictis urbibus, montes petierat, donec Hiberi, atque Albani, qui leviori equitatu plurimum valent, Persasque cataphractos præire consuevissent, accederent, in itinere Taurisium prædivitem urbem, Regisque sedem cepit. Mox Sultaniam petiit, ibi aliquamdiu moratus, sævissima oborta tempestate ex vicinis præaltis montibus nivium perpetuis rigoribus obsessis, cum immani procella Turcarum tentoria disjicerentur, ingentem jumentorum numerum, militesque permultos extingueret. Deinde receptis viribus, atque aliquantisper recreato exercitu, in Assyriam profectus, Babylonia, quam *Bagadetum* hodie dicunt, potitus est; circumjectarum regionum incolis ad victoris Imperatoris nomen famamque ultro voluntaria deditione confluentibus.

*Suleimanus Abraimi suasu expeditionē contra Persas decernit.*

*Taurisium a Suleimano captum.*

*Babylonia in Turcarū potestatem redacta.*

Cum iter in Persidem pararet, Aloysium Gritum, Andreæ Venetiarum Ducis filium, magna cum auctoritate, ac mandatis Suleimanus in Pannoniam miserat; qui Byzantio profectus, Danubio superato, in Mœsiam superiorem venit, *Valachiam* a recentioribus dictam, quæ hodie in Moldaviam, & Transalpinam dividitur; inde Petro Moldavorum Principe sibi conciliato, in Daciam, quæ *Transilvania* modo nuncupatur, deflexit. Americus Cibachus, Episcopus Varadinensis, ea tempestate Daciæ præfecturam gerebat; vir illustri nobilita-

*Aloysius Gritus a Suleimano, in Pannoniā missus.*

*Americus Cibachus, Episcopus Varadinensis, Gritì mandato necatus.*

 te,

1534 te, eximia virtute, magnaque auctoritate a Rege proximus: is, quod Turcas altiores aliquanto radices in iis regionibus agere ægre admodum ferret, Gritum oderat; quocirca cum Gritus in suum caput quandoque evasuram pestem avertere cogitaret, Hungari cujusdam opera opprimendum curavit; caput detruncatum illi allatum est. Americi cæde vulgata, cuncti in vindictam adversus Gritum exarsere: intra paucos dies, duce Mailato, Americi studiosissimo, quadraginta millia peditum, atque equitum in armis fuere. Gritus ab amicis destitutus, morbo insuper correptus, tutum sibi ad Moldavos perfugium fore sperans, in itinere circumventus, vulneribus confossus interiit: caput a cervicibus amputatum, funesti exitus finis fuit. Eluxere in hoc viro mira ingenii dexteritas, ac solertia, quibus Suleimanum Turcarum Imperatorem adeo in sui benevolentiam illexerat, ut supra privatas fortunas evectus, magnum nomen, ingentes divitias comparaverit. Res Venetas quantum potuit omni officiorum genere juvare, ac promovere apud Suleimanum conatus est: inde multa in illum a Senatu ornamenta, atque honoris insignia fluxere, ut in literis illi Serenissimi nomen præfigeretur; cujus obitu constantissimi in omni vita patris Principis animi robur flecti, ac fere prosterni visum est: quod ingens illius virtus, atque ardens in egregia quæque animus effigiem quandam paternæ imaginis exprimere videretur.

*Aloysii Griti cædes.*

Sub id tempus Clemens Pontifex diuturno morbo confectus vj. kal. octobris, cum undecim annos pontificatum gessisset, ex humanis excessit; magni ingenii vir, summa opinione virtutis ad eam dignitatem evectus, quam turbulentissimis temporibus sortitus, adversam, ac prosperam fortunam miro exemplo sustinuit; nutantis, atque in diversas partes parvo momento inclinantis animi varietate sæpius haud parva incommoda expertus. Arduis in rebus, cum Venetis consilia, ac vires consociavit, licet his ad proprium commodum, non ad illorum augendam, aut amplificandam dignitatem uteretur. Illius obitus eo tempore accidit, quo variis jactatum casibus, ac periculis felicior fortuna renidenti sinu excepisse videbatur; quippe qui summorum Principum affinitate fretus, extollere domesticos ad sublimia quæque cœperat. Verum ut illi inopportunum, ita mi-

*Clementis Pontificis obitus.*

minime Italiæ luctuosum plerique prudentes viri existimabant; quod si diutius vixisset, multa, quæ de invadenda Italia consilia a Gallis concoquebantur, perfici potuisse censebant: Franciscum cum exercitu Alpes transgressurum; in Insubres arma moturum; copias pontificias eodem tempore Urbini Ducis ditiones invasuras, ut Dux, qui Venetorum copiis præerat, ad suas res defendendas coactus, Reipublicæ suam operam navare non posset; atque interea classis Turcicæ terror, Chariadeni acerrimi Christianorum hostis auspiciis, cunctis incuteretur. 1534

Clementi Alexander Farnesius, qui inter ceteros virtute, doctrina, atque ætate eminebat, quadraginta atque amplius annos antea in Cardinalium collegium cooptatus, tunc illius princeps, suffectus est, ac Pauli III. nomen suscepit. Ad illum de more quatuor oratores a Senatu missi, Marcus Minius, Thomas Mocenicus, Nicolaus Theupolus, Federicus Raynerius: multa sane, atque ea eximia in eo viro enituere, quæ ad supremæ dignitatis fastigium extulerant, præclaræ majorum imagines, multarum rerum usu comparata prudentia, a se ipso tantum pendens animus, cum nulli summorum Principum devinctus, aut addictus, cunctorum benevolentiam, & gratiam mire sibi conciliasset; quibus omnes sibi pollicebantur fore, ut publicæ pacis, ac præsertim Italicæ studiosus, saluberrimis consiliis, atque egregiis actionibus, funesta præteritarum cladium memoria deleta, suum pontificatum illustraret. Cæsar, de Pontificis creatione nuntio accepto, tum primum illius mentem, & consilia explorare statuit; cum plurimum suis rebus conducere arbitraretur, si percussum superiori anno fœdus cum Italis Principibus confirmaret, quo uno Gallorum ardentes in Italicam expeditionem animos obtundi posse existimabat. Quamobrem equitem Ciconiam in Italiam misit, qui Antonio Levæ mandata deferret, ut cum Italis Principibus de instaurando, & arctius adstringendo fœdere ageret, atque ut Pontifex in id descenderet, enixe curaret: ni impetrare posset, facultate iciendi relicta, cum reliquis pacisceretur: tunc vero Antonium Levam, non socialis fœderis imperatorem, sed summum illius in Italia præfectum designat.

*Pauli III. Pontificis electio.*

*Oratores a Senatu ad Pontificem designati.*

Eodem tempore a Senatu Bononiense fœdus anno M. D. XXIX. ictum, quo Italica pax firmius coalesceret, confirmari petebat. Ea de re Antonius Leva cum Christophoro

*Mandata Cæsaris ab equite Ciconia ad Levam perlata.*

1534

*Cæsar a Venetis fœderis confirmationem petit.*

Capellio, Reipublicæ apud Franciscum Sfortiam oratore, pluribus egit; multa de Cæsaris in Rempublicam propensione, ac benevolentia loquutus, quo existimationis loco apud Carolum esset, exposuit: illi tranquillitatem, ac pacem Italiæ velluti unico, eodemque stabili firmamento niti: quocirca ab ea petere, ut hac nova fœderum confirmatione societatis, atque amicitiæ inter Cæsarem, ac Venetos jura solidiore nexu vincirentur; inde tria oriri commoda posse: primum quod Cæsar certis argumentis propensum in commune Italiæ bonum Senatus studium inspiceret, propositumque eundem communibus consiliis, ac veluti præfixum finem animadverteret: deinde Italiæ pacem hoc præsidio munitam adeo fore, ut quicumque de illa armis lacessenda cogitarent, ii spes omnes, & consilia abjicere cogerentur: demum hoc facto ita sibi Cæsaris animum obstringi posse, ut si res ita tulissent, ex illius amicitia firmum præsidium Veneto nomini in promptu esset. Quæ Leva per Capellium Senatui significaverat, eadem Lopetius Soria, Cæsaris apud Rempublicam legatus, in Patrum Collegio exposuit. Senatus decreto oratori responsum est: si Cæsar e re communi esse existimet, quæ superioribus annis Bononiæ pacta fuerant, denuo confirmari, ab illius voluntate non recessuros. Id Francisco Sfortiæ, & Antonio Levæ non modo, verum etiam Cæsari pergratum fuit. Sed Pontifex cum a fœdere Italico anni M. D. XXXIII. alienus esset, Cæsareanorum postulatis respondit, nullam alia ex re majorem voluptatem capere, quam cum Imperatorem, eximiis belli, pacisque artibus instructum, Italicæ tranquillitatis studiosum cerneret: nihil magis in votis habere, quam si in illa conservanda Principum animos conspirare intelligeret: ceterum cum in eo se locatum gradu animadverteret, quo communis parentis, ac pastoris munera sibi in primis essent obeunda, id potissimum suarum partium esse, ut neutram in partem propendens, cunctos pari benevolentia, ac studio complecteretur, suborientiaque dissidiorum, ac bellorum semina, & igniculos obtereret, atque extingueret: id porro ab eo, qui alterutri parti accessisset, quod suspicionis notam contraheret, perfici minime posse: itaque fœderi adhærere nolle: id vero haud ambigua adseveratione testari, ac polliceri, nihil sibi antiquius unquam, aut optatius,

*Lopetii Soria Cæsaris legati cum Venetis officia.*

*Senatus responsum.*

*Paulus Pontifex fœderis cōfirmationem subscribere renuit.*

tius, quodque altius præcordiis hæreat, Italica pace futurum: si qui forent, qui paci adversum aliquid molirentur, ad illam retinendam cum reliquis consensurum, cunctas vires, atque conatus ad illius hostes arcendos, ac profligandos adhibiturum. 1534

## M. D. XXXV.

1535

PRæclara hæc novi Pontificatus initia, quæ non ad privatam utilitatem, sed ad totius reipublicæ christianæ incrementum, ac decus posita fuisse videbantur, eo magis suspici cœpere, quod paucos admodum ad summum illud supremæ dignitatis culmen pervenisse memoria homines repeterent, quos non domesticæ gloriæ, atque opum species inflexisset. Nam Paulus ab indicendo Concilio, ut religionis dissidia tollerentur, minime abhorrebat, & diu optatam, frustra tentatam magni moliminis operam aggrediebatur, ut per legatos in Galliam, & Hispaniam missos Franciscum, & Carolum, obliteratis odiis, pace conjunctos ad socia arma adversus Turcas impelleret, atque uno consensu religionis studio incensos, cujus amplissimos, atque honestissimos titulos præseferebant, ad profligandas hæreses, quarum pestifera lues nobilissimas Europæ provincias invasisset, inflammaret.

*Legati pontificii ad Cæsarem & Galliæ Regem missi.*

His de rebus Comes Nassoviensis in Galliam profectus, Caroli nomine cum Francisco egerat, ut illum ad Concilium, quo christianæ religionis potissimum incolumitas contineretur, indicendum cohortaretur; viresque præpotentis regni ad rempublicam christianam tuendam, Turcarumque conatus reprimendos adhiberet, qui in dies maritimis viribus aucti omnium Christianorum loca in miserrimam captivitatem, multos mortales abducendo, vastarent, atque diriperent; & ad commune pacis studium, ac religionis decus eundem incenderet. Ad hæc Galliarum Rex ita respondit: pro evellenda, ac penitus excindenda hæresi, nihil unquam se prætermisisse; eos, qui a recta religione dissentirent, variis pœnis mulctasse, morte quoque ipsa affecisse; Concilium (modo loco tuto cogeretur) non minus quam Cæsarem exoptare: ceterum Turcicæ classis impetus minime verendos esse, cunctos ad suas ditiones defen-

*Nassoviensis Comes, legatus Cæsareus in Gallia, & ejus officium.*

*Francisci Regis responsum.*

1535 fendendas promptos esse oportere; si ab ipso pendere christianæ reipublicæ incolumitatem, ac dignitatem compertum sit, exercitibus suis aditu patefacto, nunquam a Christianissimis suis majoribus, qui in remotissimas provincias Gallica vexilla intulissent, degenerem futurum: quod vero ad communem pacem spectat, nihil ea sibi optabilius accidere posse; modo ne Cæsar impedimento sit, quo minus quæ sibi Sabaudiæ Dux, ac Franciscus Sfortia per summam injuriam occupant, uti sibi videbitur, recuperare queat: an non magis decere Galliæ Regem viribus, ac potentia clarum, affinem suum, quam egenum, bellique præsidiis nudatum Principem, a quo nihil illi opis, aut emolumenti accedere possit, Insubribus potiri? cur vero Pontifex, ac Veneti adeo Sfortiæ favent, ac ne Insubres in alicujus præpotentis Principis potestatem concedant, perhorrescunt, nisi, ut oblata opportunitate, per vim aliquando potiantur? ad hæc supremum in Flandros, atque Atrebates se jus petere, quo jurisconsultorum sententia captivitate detentus minime cedere potuisse affirmabat: Cæsare his adsentiente, cunctis controversiarum, ac dissidiorum causis ablatis, novis nuptiis, atque affinitatibus arctiori vinculo pacis fœdera adstringi posse: ni hæc fierent, ab iis, quæ proxime pepigisset, non recessurum. Multis hæc in Cæsarem querelis admixta erant, cum ob illius maritimos apparatus Christianorum Principum animos variis solicitari suspicionibus, licet ipse secus crederet, affirmaret.

*Franciscus Rex supremum jus in Flandros & Atrebates repetit.*

Ad quæ Rex cum Cæsaris responsum minime tulisset, cum illius legato graviter conquestus, multa in Carolum exaggeravit, quod Pontificem, atque Italos Principes ad novum sanciendum fœdus pro Italiæ incolumitate invitasset. Quibus permotus Cæsar ita per eundem oratorem Francisco respondit: summis laudibus se Regis pietatem extollere, quod dignis, ac justis pœnis religionis violatores, ac transfugas afficiat: sibi statutum esse tuto loco Concilium cogi: nulla in re christianæ reipublicæ opem poscenti defuturum: tempus adesse, quo Rex haud dubiis argumentis propensum in commune bonum studium ostendat, si suas triremes cum pontificiis, & Cæsareanis conjungat; non enim terrestri exercitu, sed classe tantum ad egregia quæque agenda opus esse; no-

*Cæsaris per Nassoviensem oratorem ad Regem Galliæ expositio.*

lit-

litque pacem, aut ullis adversus Sabaudiæ Ducem querelis, aut Francisci Sfortiæ obtentu corrumpere: amice dirimendas cum Duce controversias esse: nihil, si pactis stare velit, in Insubres moveri posse: quis enim ignorat, ad tot bellorum incendia, & vastationes fato quodam ortam provinciam, si novis tumultibus exardescat, æternas inde simultates, atque intestina malorum omnium initia profectura? Principum Italorum voluntate, qua avitum Francisco Sfortiæ imperium restituendum consenserant, perspecta, ad pacem Italiæ firmandam eo descendisse; ab eo, quod semel sancte pollicitus fuerat, nunquam se declinaturum: neque de Venetorum animo ambigendum esse, quod ad Insubrum ditiones occupandas adspirarent, cum id tantum constanter cupere semper significaverint, ut Mediolano Franciscus Sfortia restitueretur; id vero summa prudentia, ac ratione, ne potentiores finitimos experiri cogerentur, fecisse: demum cum in Flandros, atque Atrebates nullum Regi jus esset, ea in quæstionem adduci, aut jurisconsultorum sententiæ subjici non oportere: minime autem vereri Christianos Principes bellicos apparatus, in quos tam acriter incumberet; immo potius arbitrari, cum omnia ad Chariadenum debellandum comparentur, non regnorum desiderio, & cupidine, sed conservandæ, atque amplificandæ christianæ religionis studio se æstuare: satis provinciarum, ac regnorum parere sibi: nemini a suis viribus pertimescendum; id pluribus argumentis compertum, clarius in dies aperturum: nulla alia re adductum Italicos Principes ad novum pro illius defensione fœdus percutiendum solicitasse, nisi ut, omnibus dissensionum causis ablatis, quisque suis contentus, firmior tranquillitas in ea provincia servaretur, qua christiana religio potissimum inniteretur. Hæc inter Cæsarem, ac Regem variis agitata sermonibus in speciem publicæ pacis ostentabantur; verum acerrima æmulatione gliscente, animos vehemens gloriæ cupido, regnandique infida societas acrioribus stimulis incitabant; ut dum Cæsar instruendis triremibus, omnisque generis navigiis sedulus operam intendit, Franciscus quoque tota Gallia milites conscriberet, Massiliensem classem augeret, atque eodem tempore, dum Cæsaris Africana expeditio per omnium ora circumferretur, bellum 1535

*Francisci Regis bellici apparatus.*

1535 lum in Italiam moturum Galliæ Regem percrebresceret. Inde Antonius Leva Insubrum oppida munire; Ticinum, fatalem Gallici belli urbem, validioribus propugnaculis cingere, ut Gallorum in Italiam ingredientium impetum sustinere, ac remorari posset.

Atque sub id tempus Paulus Pontifex, non absque multorum admiratione (ut sunt hominum, ac præcipue summorum Principum ingenia mutationi obnoxia) ab instituto pacis proposito pene deflexit, ex Camertium ditione occasionem rerum Italicarum novandarum nactus; cum pontificio interregno Guidoni Ubaldo, Francisci Mariæ Urbinatis Ducis filio, Julia Varana, unica Joannis Mariæ, Camertium Ducis nata, atque heres, nupsisset; & nuntio de pontificatu Pauli accepto, statim veritus, ne id minime gratum Pontifici esset, urbem cum militibus ingressus, civibus sacramento adactis, Camertium Ducis insignia, ac titulos suscepisset. Id primum Pontifex non admodum graviter ferre; mox aut aliorum instinctu, aut insita quadam domesticæ fortunæ amplificandæ cupiditate tactus, minime ferendum dictitare, Urbini Ducem ditionem illam armis occupasse, quam, mascula stirpe extincta, uti Ecclesiæ feudi jure spectantem, ad se pertinere arbitraretur. Catharinam matrem, Juliam, & Guidonem Ubaldum in jus vocatos, licet suos procuratores Romam misisent, in eos, uti absentes, excommunicationis spicula intorsit; atque Camertium ducatu privatos pronunciavit. Inde obsidione ad deditionem urbem compellendam ratus, Joannem Baptistam Sabellium cum valida peditum, atque equitum manu, ad intercludenda itinera, & commeatus impediendos misit. Guido Ubaldus e Piceno frumenta, quæque ad victum necessaria forent, vi sibi patefacto itinere, importanda curavit. Hæc belli haud obscura initia Senatui mirum in modum molesta erant; tum quod exigua e flamma ingentia nonnunquam incendia urbes, ac provincias consumptura, suborirentur; tum quod in Reipublicæ clientela Urbinas esset, quem ob egregie pro Republica gesta maxima cuncti benevolentia prosequerentur. Itaque ut Pontificis animum flecterent, atque a belli consiliis ad pacem deducerent; summopere Veneti nitebantur, ut jure disceptaretur, Francisco Maria, Guidonis Ubaldi patre, flagitante. Verum

*Guido Ubaldus, Urbini Dux, a Pontifice excōmunicatus.*

*Joannes Baptista Sabellius ad Camertium urbem obsidendam missus.*

rum Paulus neque ratione permoveri, neque precibus ſuaderi poterat, quin bello decernendum exiſtimaret; quaſi reliquis quoque reipublicæ chriſtianæ jactatæ caſibus id unum deeſſet, ut rurſus in Italiæ viſceribus bellum conciperetur. Quæ nuper accidiſſent, per Marcum Antonium Contarenum legatum Senatus Cæſari ſignificat: ſuadet, ut naſcenti malo occurrat, neu Italicam pacem, cujus ſtudioſiſſimus ſemper fuerat, levi de cauſa turbari pateretur. Cæſaris auctoritate, atque officiis adductus Pontifex nonnihil priſtini ardoris remiſit; cum præſertim qui Duci, ac Venetis apud Pontificem favebant, operæ pretium minime eſſe dicerent, exigua, ac tantula re otium, tranquillitatemque Italiæ corrumpere, cujus ſervandæ, vel ad gloriam propagandam, vel ad majeſtatem retinendam potiores Pontificis partes eſſent: egregias ad domeſtica commoda, atque ornamenta occaſiones non defuturas: Petro Aloyſio filio Piceni urbem, aut ditionem aliquam tradi poſſe; Venetis Ravennam, ac Cerviam reſtitui, ut illorum viribus, atque auctoritate firmius niteretur; eos hoc beneficio devinctos imperium illius, atque opes haud parvis incrementis ſuſtentaturos. Inde majorum rerum ſpe illectus Pontifex belli conſilia immature ſuſcepta abjecit, atque in Veneti Senatus gratiam, ut in aliud tempus de Camertium controverſiis diſceptaretur, aſſenſus eſt. 1535

*Venetorum cum Cæſare officia ob Camertium negotium.*

Ceterum quæ Cæſar hoc anno ingenti ſtudio moliebatur, claſſis ducentorum navigiorum numero inſignis, Italorum, Germanorum, atque Hiſpanorum militum, quæ in Europæ provinciis ſcribebantur nomina, ab aliis omnibus averſos huc cunctorum animos obverterant. In Africam hoc apparatu proficiſci Cæſar ad Tunetum expugnandum decreverat, ut Chariadeni nimium inſoleſcentes ſpiritus frangeret, ſuperbumque illius archipiratæ faſtum, qui Neapolitano regno minabatur, obtunderet; in id præcipue Hiſpanorum precibus, ac flagitationibus incenſus, qui objecta Hiſpaniæ litora jam tum ſibi infauſta ob aſſiduas piratarum excurſiones ſentiebant. Gloriæ quoque generoſus impetus addebatur, quod dignum imperatoria majeſtate cenſeret, illorum minime preces aſpernari, atque abjicere, qui perfugium ſuis perturbatis, atque afflictis rebus in illius potentia, ac viribus ſibi tutum cenſerent; egregiumque

*Cæſaris de expeditione Tunetana decretum.*

que

1535 que se facinus editurum arbitraretur, si Muleassem regno extorrem, supplices ad se manus tendentem exciperet, atque in regio solio, a quo nuper pulsus fuerat, collocaret; militaris virtutis, atque imperatoriæ clementiæ haud dubia decora inde relaturus. Harum rerum consilia, intimosque sensus per Lopem Soriam legatum Senatui significavit: his addidit, propensum in Rempublicam Venetam suum extare studium, quam summo honoris, atque existimationis gradu haberet, ejusdemque amicitiæ studiosissimus esset. Quæ cum libenter a Patribus exciperentur, quod antea de instaurando Bononiensi fœdere polliciti fuerant, præstitere, iisdemque conditionibus, quæ anni M. D. XXIX. tabulis continebantur, denuo confirmatum est.

*Fœderis Bononiensis confirmatio.*

At Byzantii de ingenti Cæsaris navali apparatu nuntiis acceptis, Suleimano in Persidem profecto, varia non modo in vulgus, sed etiam inter purpuratos jactabantur; cum nondum quo belli faces admovendæ forent, promulgatum esset. Nec cessabat Joannes Forestus, Francisci Regis legatus, quod Veneti Cæsaris fœderati essent, multa in illos in sermonibus apud primores serere; illos nempe Imperatorem assidue hortari, ac suadere, ut arma insueto numero, ac robore comparata, in Græciæ regiones, quæ in Suleimani potestate essent, converteret: dum Rex contra Patres per legatum, ut ab Imperatore sibi caverent, admoneret; tot undique conquisitas, ac congestas maritimas vires suspectas haberent; amplissimo Galliæ regno, uti illis e Reipublicæ dignitate, & utilitate videretur, uterentur. Neque vero conjectura assequi difficile erat, hæc eo tendere, ut Respublica inter duos potentissimos Principes media, quæ justo temperamento pacem tueretur, vel in unius, vel in alterius offensam incurreret, atque haud ambiguo bello implicata Francisci Regis vel auctoritatem ad placandos barbaræ gentis animos, vel copiarum, ac virium præsidium ad Cæsaris conatus repellendos imploraret. Patres solidam prudentiam edocti, altiori pectore exceptos Principum astus recondere soliti, de perbenigno in Rempublicam studio Regi gratias agere; de iis, quæ a Gallico legato Byzantii falso dicebantur, conqueri. Ille culpam in legatum rejicere, licet multa cum Turca, ultro citroque legatis commeantibus, agi-

*Joannis Foresti, Galliæ Regis legati apud Turcas, officia contra Venetos.*

agitare cœpisset, ut barbaræ gentis ope, atque auxiliis nimium 1535
crescentem Caroli potentiam coerceret, quæ, Suleimano e Perside regresso, maturata exitialium, ac funestarum cladium semina Christianis fuere.

Interea omnibus in Africanam expeditionem comparatis, commeatibus in naves distributis, totoque exercitu, ut conscenderet, jusso, Cæsar, primoribus Hispaniæ, atque Principe Lusitaniæ, qui eo cum octoginta navibus venerat, comitantibus, Barchinone solvit. Nullam vel ea, vel superioribus tempestatibus classem aut navigiorum numero, aut bellicorum instrumentorum apparatu, & copia, militum nobilitate, virtute, robore magis insignem visam fuisse memorabatur; cum universa trecentis, atque amplius triremibus, ac navibus constaret; quadraginta in ea militum millia numerarentur. Cunctorum Europæ Principum arrectis animis, quisnam exitus tanta mortalium expectatione suscepti a Cæsare egregii conatus foret. Dum tota Italia Summi Pontificis edicto supplicationes haberentur, ut Christianorum votis, noxarum expiatione, innumerisque pietatis officiis placatum Divinum numen aspiraret, universo confluente populo, per triduum Venetiis concelebratæ fuere. Marcus Antonius Contarenus, apud Cæsarem legatus, in Africam cum eo proficisci jussus. Classis Barchinone discedens, in Magonis minoris insulæ Balearis portum cursum tenuit; mox in Sardiniam ad urbem Caralim pervenit, atque inde in Africam trajecit, ac in Uticæ portum, quem nautæ *Farinam* vocant, universa illata est. Ab Utica Carthaginis promontorium, totumque ejus regionis litus, quam *Martiam* vocant, superbæ quondam urbis ruinis percelebre, circumvecta, militibus in terram expositis, cum universo exercitu Cæsar Guletam circumsedit, ut, ea expugnata, facilior ad Tunetum oppugnandum aditus foret. Namque Guletæ is situs est, ut lateritia turris nonnullis cincta propugnaculis, iis faucibus immineat, per quas sinus Carthaginiensis, mare ad australe litus allidens, in stagnum sese insinuat, quod duodecim millia passuum extentum parvis navigiis ad Tunetum iter vadis præbeat, quæ adeo depressa, atque humilia sunt, ut nisi medio, eoque profundiori alveo tranari queant. Guletam Ahenobarbus haud exiguo tormentorum numero instru-

*Lusitaniæ Princeps cum classe ad Cæsaris auxilium.*

*Supplicationes ob Africanã expeditionem.*

1535 ſtruxerat, ut claſſem, quam intra ſtagnum collocaverat, ab hoſtibus protegeret. Pugnatum utrinque per aliquot dies acriter, cum tandem ad idus julias Cæſar tormentorum muralium omnem apparatum adhiberi imperat. Andreas Auria a mari verberandæ munitionis negotium ſuſcepit, tantaque machinarum vi ab aurora uſque ad meridiem petita, & quaſſata eſt, ut terribili impetu turris proſtrata penitus ſolo æquata fuerit, ac munitiones disjectæ gradum militibus ad aſcenſum patefacerent; qui omnis generis tela, & miſſiles ignes tenaci flamma armis adhærentes, quæ a Turcis in ſubeuntes conjiciebantur, nihil morati, aut territi, ſumma animorum, ac corporum contentione in arcem irrupere. Barbari conſternati, & perculſi, dum fuga ſalutem quærunt, complures cæſi, multi in ſtagnum detruſi periere; tormenta omnia, totaque Chariadeni claſſis ad quinquaginta partim triremes, partim biremes, quæ intra ſtagni fauces ſubducta fuerat, nullo obſiſtente, in Hiſpanorum poteſtatem conceſſit. Guletæ mille, atque amplius, Hiſpanorum præſidio impoſito, iter Cæſar ad Tunetum intendit.

*Guleta & Ahenorbarbi claſſis in Cæſaris poteſtatem perveniunt.*

Ahenobarbus immenſas barbarorum copias, quæ ſupra centum millia hominum fuiſſe feruntur, in acie produxit, adverſus quos acri adeo impetu Chriſtiani ſeſe intulere, ut excipere, ac ſuſtinere irruentes barbari nequiverint; ſed in fugam præcipites verſi, tormentis relictis, ingentem ſtragem ſubierint, Chariadeno doloris, atque iræ aculeis fremente, & cum ſuis ut Tunetum ſe reciperet, citato curſu adnitente. Ibi multa Chriſtianorum millia, qui miſerrima captivitate detinebantur, tormentario pulvere circumpoſito, in carcere concremare ſtatuerat, niſi barbari pectus mitior inſignis piratæ ſententia ab immani ſcelere revocaſſet. Cujus crudelis conſilii fama cum in carcerem penetraſſet, duo ex ejus libertis pietate adducti, carcere patefacto, ad disjiciendas, ac frangendas catenas inſtrumenta afflictis præbuere; qui ſtatim ad libertatem anhelantes, vinculis diſruptis, nudi, ſaxis, aliiſque generis miſſilibus correptis, in Turcas inſiliunt: arcem Turcæ deſerunt; captivi, nonnullis cæſis, repente occupant; commeatum, arma, conditos regios theſauros intercipiunt; ex ſumma arce vexillum oſtentant, ut Cæſari, atque exercitui factum ſignificent,

*Chariadeni & Africanorum profligatio.*

*Chariadeni crudele de captivis cōſilium.*

*Captivi in libertatem ſe vindicāt, & Tunetanam arcem occupant.*

Cha-

Chariadenus ſupplex Chriſtianos orat, ut ipſum intro cum ſuis recipiant, præmia libertatis pollicetur : illi, ſaxis, ac telis in eum congeſtis, ſummovent, & repellunt. Is, rebus perditis, ac deploratis, cum ſeptem Turcarum millibus turpiter fugiens, Hipponam ſe recepit. Arx ſtatim in poteſtatem Cæſaris redigitur : cum Chriſtiani nuper e ſervitute erepti, ingenti lætitia perfuſi, Cæſareanos exciperent, milites ex arce in urbem irrumpentes, prædabundi cuncta diripiunt, ferro, flammis paſſim nulli neque ætati, neque ſexui parcentes debacchantur, donec, pœna capitis propoſita, Cæſar furentium militum rabiem, atque libidinem compeſceret : Chriſtianis barbarorum ſervitute oppreſſis libertate reſtituta. 1535

*Chariadenus Hipponam ſe recipit.*

*Tunetum a Cæſare captum.*

Inter hæc ad Cæſaris exercitum Muleaſſes venit, dextramque deoſculatus, patrio more in ſubſtrato tapete cruribus collectis, inſidens, ſupplex reſtitui ſibi paternum regnum imperatoria munificentia a Carolo petiit. Qui victor regia, atque inſueta liberalitate Muleaſſem complexus, illum Tunetano regno donavit, iis adjectis conditionibus, ut honorarii loco ſingulis annis ſex Numidas equas, duodecim falcones penderet, atque in mille Hiſpanorum peditum præſidium, quo Guletam tueretur, duodecim aureorum millia erogaret. Chariadenus cum Hipponam incolumis perveniſſet, quatuordecim triremibus egregie inſtructis, Algerium ſe contulit; deinde e magnis ereptus periculis, Byzantium profectus eſt; obviuſque Suleimano e Perſide cum exercitu redeunti factus, quamvis devictus, amiſſa claſſe, regno exutus, præterita geſta infami nota fœdaſſet, tamen humaniter a Rege exceptus, qui ingenium hominis, atque implacabile illius in Chriſtianos odium noverat, maritimis rebus cum ſummo honore præfectus eſt. His rebus geſtis, Cæſar cum tota claſſe ex Africa ſolvens in Siciliam tendit, multoſque dies Panormi, ac Meſſanæ commoratus, populorum plauſu, ac lætitia ingenti exceptus, omnibus fere navigiis dimiſſis, ſoluto exercitu, duobus tantum Germanorum millibus ad ſui cuſtodiam retentis; inde Neapolim pervenit. Ibi triumphali pompa invectus eſt, ac regiis honoribus excultus; in omne liberalitatis genus effuſa civitate, ut haſtiludiis, choreis, ſcenis, atque ſpectaculis plures dies abſumerentur, & eo majore, ac impenſiore cura,

*Cæſar Muleaſſem Tuneti Regem inſtituit.*

*Chariadenus a Suleimano benignè excipitur.*

*Cæſar in Siciliam & Neapolim proficiſcitur.*

1535 quod Neapolitani hactenus Imperatoris præsentia caruissent. Huc quoque accesserat, quod eodem tempore Margaretæ, nothæ Caroli filiæ, cum Alexandro Mediceo, Florentiæ Duce, nuptiæ celebrarentur; cum, extorrum Florentinorum civium, ac præcipue Rodulphi Cardinalis pollicitis rejectis, id Clementis manibus Cæsar præstaret, quod olim Barchinone connubium filiæ, nepotisque pepigerat. Neapolim multi Reguli, ac Principum oratores, ut partum ex Cæsaris victoria gaudium testarentur, confluxere. Veneti quatuor legatos misere, Marcum Foscarum, Joannem Delphinum, Vincentium Grimanum, Thomam Contarenum: hi Senatus nomine prosperos successus, Africæ urbes, atque oppida capta gratulati sunt; idque eo accuratius fecere, quod multa vel ab otiosis, vel a malevolis hominibus in vulgus spargerentur: nimia potentiæ Cæsaris incrementa suspecta Patribus esse, fortunaque illius, ac felicitate, tanquam ceteris formidolosa, subtristi quadam cogitatione defixis animis hærere: quæ Senatui admodum molesta erant, ut Cæsarem, quo cum nuper fœdus percusserat, his vocibus commoveri posse vereretur. Cur enim illius potentiæ inviderent, quem æquare Suleimani potentissimi Principis vires, christianæ reipublicæ ac Venetis conduceret? quorum insulæ ac regna prope in imperii Ottomanici faucibus essent? Aut quid in Africam, longe a Venetis ditionibus remotam regionem, victricibus Cæsaris vexillis illatis, damni illorum rebus accidere poterat? cum præsertim in iis locis piratæ, qui totum Mediterraneum, atque Adriaticum mare prædabundi excurrerent, maritimaque commercia interciperent, exitus inde, atque receptus tutos haberent. His, si qua in nonnullorum animis suspicio orta foret, diluere, ac discutere Senatus conabatur.

*Margareta Caroli filiæ cum Alexandro Mediceo nuptiæ.*

*Veneti legati ad Cæsarem.*

Verum dum felici Africanæ expeditionis eventu fracta Chariadeni superbia, contusæ Turcarum maritimæ vires, ad majora multo aditum patefacere viderentur; recens dissensionum, ac bellorum seges oborta, multis malis laborantem rempublicam christianam vexavit, atque afflixit. Nam Franciscus Sfortia, cujus sobole spes Italicæ pacis diu conservandæ, veluti firmamento, nitebatur, oculorum morbo, mox febri correptus, utpote qui imbecillo admodum corpore esset, diutinaque vi mor-

bi

bi confectus, nullis superstitibus masculis, kalen. novembris ex humanis excessit; Viglevano cum decem aureorum millium proventu uxori ex testamento relicto. Eo defuncto, a Senatu Mediolanensi Insubrum gubernacula Antonio Levæ delata sunt, cunctaque Christiernæ viduæ nomine administrabantur, donec Cæsar de Ducis obitu certior factus, quænam sua esset voluntas significaret. Perculit Sforitiæ obitus vehementer Italos Principes, ac Venetos præcipue, quod susceptos antea labores, atque immensos prope sumptus irritos fuisse, frustraque per tot annos armis certatum, ut Italus Princeps in imperio Mediolanensi retineretur, animadverterent; ac tum animo præsentire videbantur, quanta inde rerum omnium perturbatio, quot clades luctuosæ consequuturæ essent; neque enim Italici generis, ad quem hereditario jure Insubrum ditiones pervenirent, Princeps erat ullus. Joannes Paulus Sfortia, Francisci defuncti haud ex legitimis nuptiis frater, Insubrum imperium jure sibi vendicare videbatur, quod tabulis, quibus a Maximiliano Imperatore patri illius tituli, atque insignia Mediolanensis imperii concessa fuerant, continerentur, ut, legitimis masculis vita functis, illegitimi quoque succederent. Atque ei non modo jurisconsultorum responsa favebant, sed Mediolanenses Sfortianæ familiæ addicti instaurari in eo pristinum suorum Principum decus summis votis exoptabant. Verum has surgentes spes Joannis Pauli obitus corrupit. Ad Cæsarem enim proficiscens, Florentiæ inter prandendum repentina morte correptus nonis decembris interiit.

1535 *Francisci Sfortiæ obitus.*

*Antonio Levæ Mediolanensis administratio delata.*

*Joannis Pauli Sfortiæ in Mediolanensem ducatum jura.*

*Joannis Pauli Sfortiæ obitus.*

Cæsar, fato Franciscum Sfortiam concessisse, Neapoli nuntio accepto, magnam inde capere molestiam præsetulit. Viduam neptem ad se proficisci jussam, omnibus grati animi significationibus excepit. Senatui nihil magis curæ erat, quam ut Italiæ pax retineretur, neque ex Sfortiæ obitu novandarum rerum causæ insurgerent; id vero eo potissimum obtineri, Insubribus Duce dato, arbitrabatur: sæpius Cæsarem ad pacem Italiæ conservandam hortabatur; Principem titulis, atque insignibus Mediolanensis imperii decoraret, qui præsentis rerum status studiosus, nihil communi otio, ac tranquillitati adversum appeteret. Carolus nihil magis cupere, quam Italis Principibus, ac Venetis præsertim gratificari; quid

*Veneti Cæsarem ad Ducem Mediolanensi instituendum hortantur.*

1535 e re communi fore existimarent, libere enunciarent. Patres multa, ne quem sigillatim nominarent, permovebant, cum neque satis perspectam Cæsaris voluntatem haberent, neque immatura cujuspiam nuncupatione in aliorum Principum vellent offensam incurrere; cum Franciscus Galliæ Rex priscum in Insubres jus a Valentina Vicecomite deductum repeteret; atque inde haud obscura bellorum initia eruptura inspicerent, quorum fama cum in dies majora incrementa sumeret: licet Cæsar cunctationibus Italos distineret, neque adeo facile præpotens in Gallia Cisalpina imperium abjecturum constans fere omnium esset sententia. Attamen petenti, ut jampridem Clementis obitu instauratum fœdus Bononiense, denuo, defuncto Sfortia, renovaretur, Veneti adsensere, atque iisdem conditionibus percussere, Paulo Pontifici, ac Mediolanensium futuro Duci se adjungendi facultate concessa; Pontifice de Venetis conquerente, quod Neapoli rem ad exitum perduxissent, quæ in adventum Cæsaris Romæ, se ipso quoque præsente, tractanda fuerat.

*Fœdus inter Cæsarem ac Venetos cōfirmatum*

Interea Franciscus Galliarum Rex veteri, neque ullis eventibus intermisso Mediolanensis imperii potiundi desiderio, arma movendi occasiones quærere; lustrare copias; undique socios, atque amicos sibi asciscere non desinebat. Venetorum quoque animos solicitare, ut vel priscæ cum Gallorum gente amicitiæ memores, vel ingentibus præmiis, ac pollicitationibus illecti, veteris societatis jura innovarent; atque ob eam causam Biovium, virum sibi intimum, ut Senatus mentem exploraret, Venetias miserat. Senatusconsulto Regi ob illius propensam in Rempublicam voluntatem gratiæ actæ: ceterum amantem pacis Rempublicam, præteritisque bellis adhuc pressam, & afflictam, in novos turbines se conjicere non posse; ea præsertim tempestate, qua Christianorum Principum saluberrimo concordiæ vinculo animi jungendi forent, ut communibus consiliis, ac viribus hæreses nimium in christianæ reipublicæ perniciem, ac pestem sese efferentes prosternerentur. Verum Franciscum nulla impedimenta a concepta de imperio Mediolanensi sententia remorari poterant. Id ut

*Franciscus Rex Biovium ad Venetos mittit.*

tu-

1535

*Franciscus Rex in Sabaudiæ Ducem infensus.*

tutius faceret, in Carolum Sabaudiæ Ducem primos belli impetus vertere statuit, ut per illius fines expeditum sibi in Italiam iter pararet; in quem complures inferendi belli causas præferebat: atque in primis quod Niceam, & Herculis Monœci portum, a Gallorum Regibus certa pecunia Ducibus oppignerata, flagitanti, ac persoluta pecunia redimere contendenti restituere noluisset. Huc accesserat infensus in eum animus, qui licet Francisco avunculus esset, uxoris tamen Lusitanæ, quæ Joannis Regis, atque Isabellæ Caroli uxoris germana soror erat, illecebris depravatus, assiduisque fatigatus precibus, ab auctoritate, ac nutu Cæsaris totus pendebat. Itaque cum ad bellum omnia composuisset,

## M. D. XXXVI.

1536

*Philippus Sciabottus Allobrogum fines invadit.*

ANni proximi initio Philippus Sciabottus, *Admirallus*, ut vocant, Dux a Rege declaratus, Transalpinis oppidis quæ ad Allobrogum fines pertinent, nullo negotio potitus, Alpes transgressus, nonnulla Subalpinæ regionis oppida, Taurinum nempe, Fossanum, Pinarolum, & Cherium occupavit; ac nisi, eductis Mediolano copiis, Antonius Leva cuncta diripientibus, ac vastantibus Gallis obstitisset, Vercellæ quoque, atque potior Subalpinæ ditionis pars in Regis potestatem pervenisset. Cæsar his rebus permotus, de bello adversus Gallos gerendo maturius consulere cœpit; ingenti cura delectus equitum, & peditum in Germania haberi jussit; ne ullam in partem Helvetii penderent, sed tantum belli spectatores essent, curabat. A Maria sorore, quæ Belgio præerat, ad copias e Germania evocandas, Belgarumque, & Sequanorum equites instruendos, quantas maxime pecunias præstare posset, flagitabat. Nam duplici præpotenti exercitu æstatis initio se in Gallias irrumpere velle crebris, iisdemque certis sermonibus usurpabat; hisque de rebus, Venetias Roderico Davalo misso, Senatum certiorem fecerat, petieratque, ut copias, quibus ex fœdere nuper icto ad Mediolanense imperium defendendum obstrictus erat, in promptu haberet. Itaque ut sex peditum millium delectus Antonii Tifernatis, bellicarum machinarum præfecti, Babonis Naldi ducis, aliorumque ductorum habere-

*Cæsaris bellici apparatus in Gallos.*

*Rodericus Davalus a Cæsare Venetias missus.*

*Venetorum decreta de militum delectibus.*

1536 tur, Senatus jussit: his quingenti levioris armaturæ milites adjecti; atque ut in Brixiensium finibus ad Asulam oppidum convenirent, mandatum est; ut Ollio trajecto, Cremonæ urbi, cujus propugnandæ munus Venetis obtigerat, præsto essent: atque ob id Feltrius imperator e suis ditionibus Venetias evocatus est, ut quamprimum adventum in castra maturaret. Sed ob Joannis Lotharingi Cardinalis adventum, de quo mox dicetur, cum Sciabottus a belli cogitationibus, atque victoriæ, quam manibus tenebat, cursu ad pacis spem sese convertisset, primosque Gallorum impetus inhibuisset, restincto animorum ardore, languente militum solertia, substitisset, copiæ a Venetis coactæ ad propensum illorum in Cæsarem animum, constantemque ad fœderis conditiones servandas voluntatem tantummodo valuere.

*Urbinas Venetias evocatur.*

*Cæsar in Cardinaliũ collegio de Francisco Rege conqueritur.*

Appetente vere, Cæsar Neapoli discedens, nonis aprilis Romam ingressus, ac quatriduum in urbe commoratus, in Cardinalium Collegio, in quo Paulus Pontifex solemni ritu amictus aderat, gravissimam orationem habuit: multa vetera, atque recentia in Franciscum Galliarum Regem exaggerans, quod Caroli Sabaudiæ avunculi sui oppida in Transalpinis, & Subalpinis regionibus per summam injuriam occupasset, ut inde iter sibi ad Insubres invadendos tutum sterneret, quos, ni ipse vltro concederet, armis petiturus videretur: verum neque postulanti concessurum, neque passurum, ut Sabaudiæ Dux suis ditionibus exutus, diutius ipsius vires ad certissimam illi opem ferendam exposceret. Hæc, atque alia adeo concitate, atque ex ardenti pectore verbis erumpentibus protulit, ut adderet, nolentem se ad bellum rapi, quo innocentes populi irarum, atque Principum indignat[illegible] animi immeritas pœnas daturi essent: ad singulare certamen Franciscum provocrare velle, ut illorum controversiæ una eademque acri dimicatione definiretur. Tum vero Pontifex ad clementiam Cæsaris fervidam mentem quamlenissimis verbis revocare contendit: neque enim ignarus quorsum acerrima hæc summorum Principum dissidia processura essent, ut aliqua concordiæ ratio iniretur, summopere laboraverat, atque ut Joannem Lotharingiæ Cardinalem Romam ea de causa mitteret, a Rege petierat. Is cum amplissimis de pace ineunda man-

*Cæsar, Frãciscum Regẽ ad singulare certamen provocare se velle asserit.*

1536

mandatis, trajectis Alpibus, Taurinum profectus, Admirallo, ne ulterius arma proferret, suaserat, spe haud modica exorta, ut inter armorum strepitus pax eo lætior, quo minus expectata effulgeret: in id quoque adnitentibus Venetis, qui summovere bellorum incendia ab Italia cupiebant. Neque Cæsar a pacis studiis aversus omnino videbatur, cum Carolo Engolismensi Duci Mediolanense imperium beneficiario jure se traditurum significaret. At ea res, petente Rege, ut Henrico Aurelianensi Duci concederetur, ad exitum perduci non potuit: id apertis verbis Cæsare pernegante, ne Catharinæ Mediceæ uxoris obtentu, Mediolanensi dominatu auctus, Hetruriæ quoque, atque Urbinatum ditionibus nova semper meditantem animum adjiceret. Itaque ostentatæ parumper concordiæ conditionibus abjectis, Cæsar Roma discedens, per Hetruriam iter arripiens, lustratis nobilioribus illius provinciæ urbibus, tandem Apennino trajecto, ad Astam urbem contendit. Ibi Fossanum ab Antonio Leva expugnatum fuisse, Franciscum Salassiorum Ducem a Gallo deficientem ad suas partes traductum invenit: summaque virtute, ac militari scientia clarissimos quosque duces ad se vocatos, in quibus eminebant Hernandus Toletanus Albanus Dux, Alphonsus Davalus Vastius Marchio, Ferdinandus Gonzaga, de bello administrando consilia inire cœpit. Nam prospero rerum initio accensus jam omnino sibi Gallias invadendas statuerat, exploratam, & plane certam victoriam sibi pollicitus, si Regem nihil hostile in suo regno metuentem, adhuc imparatum aggrederetur; qui Helvetiorum auxiliis destitutus, & Belgas in suos fines irrupturos pertimescens, minime in aciem descensurus, ut justo marte confligeret, videbatur.

*Cæsaris propositio de Mediolanēsi ducatu Engolismensi Duci tradendo.*

*Fossanum a Leva expugnatum. Salassiorum Dux ad partes Cæsaris accedit.*

Cæsar itaque per maritimas Alpes, ac Tendanos colles cum copiis Provinciæ fines ingressus, a Savonæ portu Andrea Auria cum classe subsequente, primo impetu Antipolim urbem ultra Varum amnem cepit, ac diripuit. Mox nonnullis oppidis deditione in potestatem receptis, ad Aquas Sextias cum exercitu consedit, pendens animi quonam potissimum, an ad Massiliam, vel potius ad Arelatum oppugnandum arma converteret; & in ancipiti consilio cum haud paucos dies commoratus

*Cæsar in Provinciā bellum infert. Antipolis a Cæsare capta & direpta.*

1536 ratus esset, praeclarae gerendarum rerum occasiones effluxere. Nam Rex, qui repentino Caesaris adventu commotus ea, quae ad bellum necessaria forent, minime expedire potuerat, interea colligendi vires opportunitatem nactus, Lugdunum se contulerat; Germanorum, & Helvetiorum magnis coactis copiis, non modo ad sustinendos Caesareanorum impetus, verum etiam ad bellum inferendum se comparaverat; ac Italicorum ducum ope, qui Mirandulana in ditione magnam militum manum coegerant, novos motus Genuae moliebatur. Copiae Caesaris, quae ad Aquas Sextias castrametabantur, multis incommodis vexari, ac fame laborare coeperunt, cui cum gravitas caeli accederet, & per militum vulgus morbi grassarentur, ita ut passim ob frequentia funera castra exhaurirentur, summis undique difficultatibus circumseptus, de invadenda Gallia consilia abjicere coactus, conatu Gallico frustratus, Genuam reversus est; cum Antonius Leva, paci semper adversus, turbidorumque consiliorum auctor, supremum in Gallia diem obiisset. Per eos dies Caesar Fulgosius, qui tunc Veronae cum ala leviorum equitum morabatur, cum Senatus injussu ad Gallicas partes fovendas Genuam contendisset, militari stipendio, ac dignitate exutus, perpetuo exilio a Senatu damnatus est, Francisco Galliarum Rege de Venetis plurimum conquerente, quod illius consiliis, & conatibus adversarentur. Caesari Genuam adventanti quatuor oratores missi, Nicolaus Theupolus, Marcus Antonius Venerius, Marcus Antonius Cornelius, Antonius Capellius.

*Franciscus Rex Lugduni vires cōtrahit. Gallicarum partium milites in Mirandulano. Morborum vis in Caesaris castris. Caesar Genuam regreditur. Antonii Levae obitus. Caesar Fulgosius a Venetis exilio damnatus. Veneti oratores ad Caesarem.*

Atque iisdem fere diebus Caesar Petrum Gonzalum Mendozzam ad Patres misit, ut de belli eventu, de reditu in Hispaniam certiores faceret, propensumque ad pacem cum Gallo ineundam animum significaret: Regi trimestre spatium ad deliberandum statuisse, an Mediolanensi imperio Engolismensem Ducem, Christierna ex Francisco Sfortia vidua uxore accepta, praefici vellet; ni oblatam conditionem reciperet, Ludovicum Lusitaniae Principem, aut Emanuelem Caroli Sabaudiae Ducis filium Insubrum titulis decoraturum. Ea in re Senatus sententiam exquirere, & ad strictiora foedera Italorum Principum flagitare, ut Italiae pax, ac tranquillitas nullo hostium conatu labefactari, aut interturbari posset. Senatus a Me-

*Petrus Gōzalus Mendozza, Caesaris orator ad Venetos. Caesaris variae propositiones de Mediolanēsi ducatu conferendo.*

a Mediolanensi Duce nuncupando abstinebat; novo se adstringi fœdere, Bononiensi excepto, nolebat. Pontifex licet a Senatu de Cæsaris consiliis, & quantis undique periculis Christianæ res jactarentur, admoneretur; attamen ob Camertium negotium denuo susceptum minime parem ad tantam rem conficiendam ardorem afferebat; quamvis Ascanio Columnæ Cæsar Genua discedens Italicarum rerum negotia demandasset, cum medium inter Carolum, ac Franciscum Paulus se futurum ostenderet. Itaque Senatus acriori cura angebatur, quod superioribus nova, atque acerbiora bella suboritura, eodemque præteritorum annorum clades revolvendas animadverteret; cum intestinis dissidiis Ottomanorum quoque virium potentia, ac robur immineret, quos magnas undique copias cogere; classem triremium numero majorem instruere; in Christianos expeditionem moliri, Byzantio nuntiabatur. Dissentientes quoque, ac miserrime de religione certantes, & in se invicem insilientes Principes, ac populi existebant; ut nisi labentibus, & prope ruentibus rebus opportuno aliquo remedio subveniretur, nobilissimas reipublicæ christianæ partes teterrima pestis invasura foret. Quamvis enim Concilium a Pontifice indictum esset, Mantua civitate in id potissimum delecta, multis difficultatibus hoc summum afflictis rebus subsidium præpediebatur, ut Veneti avitæ Catholicæ religionis studio incensi Vicetiam urbem Synodo concelebrandæ tribuerint. Quibus tandem commotus, atque incitatus Pontifex, legatos in Galliam, & Hispaniam mittere statuit. Augustinus Triultius ad Franciscum; Marinus Caracciolus Cardinales ad Cæsarem proficisci jussi; qui de communi inter Christianos Principes concordia; de fœdere adversus Turcas iciendo; ac de concelebrando Concilio agerent.

1536

*Cæsar rerū Italicarum negotia Ascanio Columnæ demādat.*

*Concilium prius Mantuæ postea Vicetiæ indictum.*

*Pontificis legati ad Cæsarem & Galliæ Regem.*

Variis, atque dubiis adeo casibus humanæ res veluti insano ludibrio miscentis cuncta fortunæ jactantur, ut nil certum hac incerta mortalium vicissitudine, totque incassum insumptis laboribus videatur, dum illi, penes quos summa rerum potestas est, imperii augendi, ac reliquis dominandi inexplebili adeo cupiditate ducuntur, ut bella e bellis serendo in populorum perniciem, urbium cladibus, & provinciarum excidiis acerbos calamitatum omnium fructus, nullum tranquillitatis,

nul-

1536 nullum otii, ac laborum præmium percipiant. Horum omnium non tam novitate mirandum, quam funestis, atque exitialibus cladibus deflendum ea tempestate spectaculum vesana concitati animi rabie Principes præbuere. Inde reserata barbaris hostibus christianæ reipublicæ viscera; illecta, ac vocata ad certum nostrum exitium Turcarum arma; & Respublica Veneta, in qua præter ceteros Principes pacis ingens studium extiterat, eodem cum reliquis turbine rapta, ac disjecta est: & post triginta, atque amplius annos, quibus pace cum Ottomana gente fruebatur, difficile, & periculosum bellum suscepit; cujus initia, & eventus scribenti mihi, ut rei, quæ Patrum nostrorum ætate gesta est, memoriam illustrem, paulo altius nonnulla repetenda sunt, ut belli causæ, ac veluti semina accurate inspiciantur.

Defuncto, ut diximus, absque liberis Francisco Sfortia, Insubrum Duce, cum Veneti de Italiæ statu vehementer soliciti essent, a Carolo, qui tunc Neapoli morabatur, petierant, ut ad præsentem Italiæ pacem, statumque retinendum Mediolano Ducem daret. Cæsar nihil Italiæ pace antiquius sibi esse; ea in re Venetæ Reipublicæ, aliisque Italis Principibus gratificari velle certa adseveratione pollicebatur. Inde de instaurando Bononiensi fœdere agere cœperat, quod statim iis conditionibus, quæ Bononiæ pactæ fuerant, renovatum est; in quibus, ut sex peditum millibus ad Ducem, quem Cæsar designasset, defendendum, atque interea dum novum Principem eligeret, ad præsentem Insubrum statum conservandum Respublica obstringeretur. Varie ea de re agitatum est; neque Cæsar, ut Carolum, tertium Francisci Regis natum, Engolismensem Ducem, Insubrum titulo insigniret, alienus videbatur. Verum rebus Italiæ compositis, Hetruria ad suas partes pertracta, Venetis sibi fœdere adjunctis, cum nihil sibi pertimescendum censeret, id secum ipse immobili animi sententia statuerat, ut prædiviti, atque opulenta Insubrum regione, vel ad Italiæ principatum retinendum, vel ad reliquas illius provincias subsidiis connectendas, situ valde opportuna, nullis casibus exueretur; veritus, ne Franciscus, ea parta, Genuensium, & Florentinorum turbatis rebus, sibi aditum ad Neapolitanum regnum invadendum patefaceret: itaque valido

cum

cum exercitu Provinciam ingressus, Galliæ regnum adortus fuerat. Quæ res ingenti adeo ira, atque indignatione Francisci Regis animum incenderat, ut nihil, quod ad acerrimum hostem oppugnandum, ac proterendum spectaret, prætermissurus videretur. Venetos sæpius adversus Cæsarem solicitaverat, haud obscura belli præmia pollicitus, modo amplissimi regni vires, ac socios ostentando, modo, ne potentiæ Cæsaris nimium fiderent, suadendo.

*1536 Francisci Regis adversus Cæsarem consilia.*

Sed cum eos nuper Cæsari fœdere sociatos sibi adjungere non posset, & absque illorum ope Mediolanensi imperio potiri difficile admodum fore animadverteret, rem antea per suos nuntios inchoatam denuo cum Suleimano agere cœpit, ut præpotentis Principis animum, ac vires in Cæsarem concitaret: quo duo potissimum se consequi posse rebatur; alterum, ut Veneti, qui pacem cum Turcis colerent, ne sibi infensum Suleimanum redderent, atque in se ipsos illius arma lacesserent, a Cæsare juvando abstinerent; alterum, ut, classe ad diripienda Apuliæ loca emissa, Neapolitani regni incolas magno terrore concuteret, atque Caroli conatus ab Insubrum imperio ad tuendum regnum Neapolitanum averteret. Itaque ad Suleimani mentem flectendam licet Joannes Forestus, ordinarius Regis legatus, omne studium, atque operam adhibuisset, attamen quo vehementius elati Principis animum nova benevolentiæ, atque honoris significatione mulceret, Seraphinum Gozium, Epidauriensem, Byzantium proficisci jussit, qui una cum Foresto nihil, quod ad Suleimani animum Regi conciliandum attineret, prætermisere. Vires, ac potentiam illius mire extollere; peragratas triumphis provincias; devictos populos; remotissimas nationes cladibus afflictas; præferocis, ac victricis gentis impetus vel ad decus augendum, vel ad victoriæ spem maturandam certiori eventu niti non posse, quam si ad nimiam Imperatoris potentiam moderandam, & coercendam, quæ jam cunctis pertimescenda immineret, adhiberentur: haud difficile immensis Suleimani viribus futurum, classe Neapolitanum regnum invadere, parum ad vehementiores bellorum impetus sustinendos instructum; populos superbæ dominationis Hispanorum pertæsos, ac rerum novarum cupidos; facili ex Epiro ad Hy-

*Seraphinus Gozius a Gallis Byzantiũ missus.*

*Gallorum cum Suleimano adversus Cæsarẽ officia.*

1536 Hydruntem maris trajectu exercitus ad certam prædam ituros. Hæc, atque alia Gallici oratores, ut Suleimani iras in Cæsarem acuerent, differebant; quæ cum ab Ajace, & Luphtibejo, quorum ingens erat auctoritas, exciperentur, insito Christiani nominis odio perciti, in aures, atque animum Regis instillabant, ut præclaro suorum majorum exemplo, qui eximias de Christianis victorias retulissent, arma victricia in eosdem converteret; Albægrecæ, Rhodi, Pannoniæque trophæis nova decora adjiceret; Caroli fastum, atque arrogantiam contereret; ad Italiam invadendam invitari ducum consiliis, militaribus vocibus; ac fato prope ipso admonente, trahi; Salentinorum extremam illius regionem, a conspectu Epirotici litoris parvo maris tractu sejunctam, exiguo labore occupari posse; nondum sexaginta annos effluxisse, cum abavus Mahumetes, Hydrunte capto, universam Italiam summo terrore affecisset; quo tempore, nisi præpropero ereptus fato invictus Imperator haud dubiam spem adventantis victoriæ corrupisset, magna ad totius Europæ imperium fundamenta jecisset. His purpuratorum suasionibus Principis animus supra gentis superbiam gloriæ cupiditate incensus, vehementer commovebatur; atque ab Asiatico bello, quod, longo terrarum tractu emenso, per invia, saltuosa, ac deserta loca exercitus ductando, conficiendum erat, ad Europeum se convertit; cum præsertim potentissimum Christianum Regem suam opem adversus Christianorum Imperatorem obnixe petentem, aspernari, regiæ suæ dignitatis, qua supra cunctos mortales inani opinione se tolleret, minime esse censeret. Itaque Gallicis legatis pollicetur, cum primum anni tempus ad militares actiones obeundas se aperuisset, classe, ac terrestribus copiis Byzantio eductis, adversus Cæsarem arma illaturum.

*Ajax & Luphtibejus Suleimanum in Christianos ingendunt.*

*Suleimani decretum de bello Cæsari inferendo.*

At quoniam complura de Turcarum rebus nobis erunt postea dicenda, admonet hic locus, ut de illorum initiis, institutis, viribus, bellandi genere brevibus nonnulla attingamus. Constans opinio est, Turcas a Scythis, qui nulla stabili sede, nullis oppidis patentes campos vage ac sparsim trans Tanaim amnem incolunt, originem duxisse. Huic rei fidem facit, quod initio Pontum atque Cappadociam ingressi, exinde ad reliquas finitimas regiones transiere: huc accedit vitæ morumque

*Turcarum origo & incrementum.*

que ſimilitudo, corporis habitus, & cultus, equitandi, ſagittandique ratio, communis quædam ac patria rei militaris diſciplina (quodque omnium maxime argumento eſſe poteſt) linguæ ejuſdem uſus, loquendique cognatio. Hi primum parva manu latronum more, paſſim excurſionibus propinquas regiones deformantes, ignobile nomen ſortiti, confluentibus ſubinde ad prædæ famam multis mortalibus, opportunis quibuſdam montibus, clauſtriſque, unde faciles irruptiones fieri poterant, occupatis, adeo excrevere, ut, auctis viribus, ſublatiſqu animis, æquo marte adverſus finitimos de agrorum poſſeſſione decertarent; ac mox ſive Græcorum negligentia, ſive humanarum rerum fatali quadam lege, vel potius Divino, a quo regna atque imperia de gente ad gentem transferuntur, nutu, adeo celeri curſu ad eximiæ potentiæ culmen pervenere, ut Pontum non modo & Cappadociam, verum etiam Galatiam, Bithyniam, Pamphiliam, Piſidiam, utramque Phrygiam, Cilices, Cares, univerſamque eam Aſiam, quæ minor vocatur, uſque ad Ioniæ, & Græci maris litora, dum alios alii duces, & varia auſpicia per factiones ſequuntur, in ſuam poteſtatem redegerint. Donec trecentis abhinc circiter annis Ottomanus quidam, neque magni cenſus, neque clari inter ſuos nominis, gregariorum militum manu collecta, in ſeditionem verſus, graſſari paſſim, vaſtare, prædabundus excurrere, nec tantum Chriſtianis hoſtis, verum ſuæ quoque gentis hominibus infeſtus, cuncta diripere cœpit. Atque ex domeſtico bello, inteſtiniſque diſſidiis occaſionem nactus, aſcitis undique, qui prædæ, & rapinarum cupiditate, ceteroſque opprimendi tetro, & inſano deſiderio flagrabant, eam brevi auctoritatem, nomenque ſibi comparavit, ut oppida aggreſſus, alia vi caperet, alia deditione ſubigeret, nonnulla ad metum ceteris incutiendum everteret.

1536

Ottomano vita functo, Orchanes filius ſucceſſit, qui auſis, dominandique cupiditate patri non inferior, diſciplinæ rei militaris gloria eminentior, non modo inchoatum imperium auxit, ſed illius latius provehendi fundamenta liberis reliquit. Horum natu major Suleimanus Baſſa, dum pater adhuc viveret, * qui atque inter Græcos de ſucceſſione Imperij diſceptaretur, ab altero ex Aſia accerſitus, cum exercitu primus omnium Helleſpontum trajicit, enervatiſque dimicantium inter ſe

1536 se viribus, integer fessos, fractosque adoritur; Callipolim oppidum in Cherroneso ad Hellesponti fauces situm occupat. Ex humanis vero sublato duobus mensibus ante patris obitum, Amurathes, alter frater, imperium obtinuit, qui strenue atque prospere in Europa, & in Asia rem gessit, Adrianopolim occupavit, & magnam Thraciæ partem subegit. Cum autem bellum Serviæ Despoti sævum intulisset, copiis ejusdem non semel profligatis, tandem per fraudem in castris cæsus, Bajazetem, & Jacupum filios post se reliquit. Jacupo procerum consiliis interfecto, ne qua inter fratres contentio oriretur, res universa ad Bajazetem rediit, qui brevi Thraciam omnem, Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, Bœotiam, Atticam sibi adjecit. Sigismundus, superioris Pannoniæ Rex, ac Imperator, Danubium amnem cum exercitu transgreditur; verum priusquam universis collectis copiis, atque ex ordine militari instructa acie cum hoste manum confereret, tumultuose fusus castra, atque impedimenta relinquere cogitur, acriterque hoste insequente, in fugam conversus, vix, parvo lembo Danubio trajecto, evasit. Exinde instauratis, & confirmatis animis, Turcæ audaciores, efferacioresque facti, majora agitare, ac moliri cœperunt: nam Bajazetes Byzantium diuturna adeo, ac difficili obsidione vexavit, ut Calojanes Imperator subsidia a Christianis Principibus imploraturus in Italiam, atque in Galliam proficisceretur; dum interea reliqui cives fame pressi, & subsidiis destituti, acrius undique urgentibus, & circumfrementibus barbaris, de deditione, nulla spe salutis sibi relicta, cogitarent: quod procul dubio contigisset, nisi Tamerlanes Scytarum Rex, qui torrentis in morem prævalidis stipatus copiis, citato cursu devolvebatur, Bajazetem in Asiam revocasset, collatisque signis, ingenti edita Turcarum exercitus strage, vicisset, victum in potestatem redegisset; in qua captivitate non multo post excessit. Ex filiis Mustaphas unus in acie cecidit, reliqui patris ob calamitatem alii alio fugerunt: tandem, rebus compositis utcumque, Suleimanus primus regnum est adeptus, qui dum res pristinum in statum restituere aggreditur, a Musa fratre bello petitus post biennium interiit. Musæ postea, cum quadriennium prope exegisset, Mahumetes primus frater bellum intulit, imperioque dejectum ob-

obtruncari jussit. Is virtute non modo, & armis, verum astu, ac technis Turcicas res vehementer auxit; Flaviis, sive Flavis, sic enim appellari volunt Valachi, ferocissimis, & bellicosissimis trans Danubium, Euxinum versus mare, late imperantibus, crebris excursionibus labefactatis, gravia tributa imposuit; Turcarum Regulos nonnullos in Asia vi oppressos ditionibus exuit. Eo extincto, Amurathes secundus patriis fretus opibus, ac viribus, Thessalonicam Græciæ civitatem vi captam, expugnatamque diripuit; Aetoliam, atque Epiri partem occupavit; multa Illyricorum oppida vel deditione, vel armis subegit, devicto ad Varnam Ladislao Sarmatiæ Rege. Summa cum reipublicæ christianæ jactura formidolosior effectus, Corynthiacum isthmum (*Hexamylum* vulgo vocitatum) expugnavit, atque evertit; inde in Peloponneso aditu patefacto, Græcos calamitatum variis generibus afflixit, oppidis captis, ad prædamque militibus expositis, ingenti illis imperata pecunia, pacis leges præscripsit. Mahumetes subinde filius hujus nominis secundus Byzantinam expeditionem diu animo meditatus, castello prope litus ad Bosphori ostium, mira dissimulatione usus, incredibili celeritate extructo, atque munito, fœderum religione spreta, bellum Græcorum Imperatori terra, marique intulit. Post quartum & quinquagesimum diem, extrema edita pugna, Constantino Paleologo confosso, principibus, optimatibusque viris (qui mos feræ gentis est) miserandum in modum fœde jugulatis, celeberrima totius orbis urbe est potitus. 1536

Exin Turcarum vires ejusmodi incrementa suscepere, ut Christianis Principibus deinceps metuenda, & formidanda extiterint. Byzantio enim occupato, quo nulla toto terrarum orbe civitas opportuniore loco sita est, magna reliquis Ottomanicæ genti ad gloriam, atque imperium augendum opportunitas accessit. Quemadmodum superius etiam a nobis memoratum est, ut modo si maritimum Turcicarum ditionum ambitum inspicias, ab Illyrici, quos cum Republica habent, finibus in Epirum procurrant; Peloponnesi, & Græciæ litora legendo Byzantium usque, centena millia passuum vicies emensi perveniant. Inde Euxini maris circumflexu usque ad extremos Europæ fines provehuntur. Eadem maris vastitate usque in Aegyptum ad Nilum amnem, quo Asia ab Africa sejungitur, *Turcarum imperium, opes, & situs.*

tur,

1536 tur, extenduntur. Africæ vero litora excurrendo universum eum tractum, qui usque ad Gaditanum fretum protenditur, paucis quibusdam, quæ Hispaniarum Regi parent, exceptis oppidis, Turcæ possident, qui sane universus circuitus octogies centena millia passuum complectitur. Neque minori ambitu terrarum, qui a Turcis possidentur, tractus patent; nam licet penitiora Africæ non attingant, atque a Lepti Alexandriam versus deserta habitatoribus loca inspiciantur, uberrimi tamen, atque feraces sunt Aegypti agri, imperiique Turcici fines adeo sese efferunt, ut oceanum usque australem pertingant, atque a rubro mari per Adeni, & Gemeni regna ad Euphratem fluvium, atque ad ostia Tigridis in Persicum sinum influentis porrigatur. Latissimos vero ad Tigrim limites cum Persis habent, propius ad Caspium mare accedentibus: exinde Albanis, Colchis, atque aliis nationibus finitimis terminos usque ad Tanaim, qui Asiam ab Europa disterminat, protendunt. In Europa vero cis, atque ultra Danubium Turcarum ditiones protrahuntur. Pannoniæ, Crovatiæ magnam partem obtinent, Canisiaque his nostris temporibus capta, quatuor dierum non amplius itinere ab Italia distant.

Tot maris, ac terræ tractus Turcarum Regis parent imperio, quod nullis coercitum legibus in subditos exercet, perque præfectos, qui *Beglierberghi* vocantur, administrat; ii viginti numero, plures modo censentur. Maris præfectus accedit, qui maritimis oris, atque insulis præest. Navalibus, ac pedestribus opibus mirum in modum Turcæ pollent: centum ac quinquaginta quinque millia equitum alunt, quorum octoginta millia in Europæ finibus, sexaginta in Asia continentur, *Spachi* eorum lingua vocitantur; iis agri ( *Timaros* dicunt ) tribuuntur, ex quorum proventu equos in bellum expeditos sustentare queant; neque ob id quidquam de regiis thesauris decedat; reliquis autem, qui millia quindecim censentur, ære publico stipendia solvuntur. Pedestrium copiarum robur in prætorianis, qui *Janizzeri* vocantur, militibus situm est; duodecim circiter millium numerum efficiunt; horum fortitudine, ac bellica virtute ingentia Turcæ facinora edidere. Incredibili cura educantur, atque a teneris annis militaribus studiis assueti, corpus laboribus, animum spernendis periculis,

ad

ad præclara quæque audenda promptum, atque expeditum assuetudine nanciscuntur. Præfectum illorum *Agam* dicunt; per varios militiæ gradus evecti ingentes divitias, & auctoritatem sibi comparant, ut supremas quandoque dignitates adipiscantur. Ante Byzantium captum nullum Turcis maritimarum rerum studium, nulla disciplina; mox cum ad amplificandum imperium, maritimum quoque robur necessarium esse animadverterent, navalia extruxere, in quibus magnum triremium, atque aliorum navigiorum numerum compingi, & instrui curarunt, quæ ad ea conficienda requiruntur, eorum regionibus abunde suppeditantibus, cum e ponto Euxino incredibilis lignorum copia suppetat. Verum neque præfectorum, nautarumque virtute, neque navigiorum forma, neque remigum, & epibatarum militum usu cum nostris comparandi sunt. Tria porro hominum genera Turcicas ditiones incolunt, Asiam, atque Africam *Musulmani*, idest recte sentientes (ita enim Turcæ vocari volunt) licet in ea Mauri numero præstent. In Europa plerique Christiani sunt, in quos ita sæviunt, ut intoleranda quæque perpeti coacti, prorsus desperati vitam agant, neque bello, aut pace ad ulla publica obeunda officia vocentur, iis tantum adhibitis, quibus stipendia publica conferuntur: quo militiæ genere si exuantur, ægre novos delectus, vel supplementum copiarum addere valeant: hoc sane incommodo Christiani Reges, ac Principes eximuntur, cum ex frequentissimis regionibus, ingentique multitudine refertis innumeri, classico concinente, ad stipendia accipienda convolent. 1536

Ceterum, quod magis mirere, illud est: tantam, tamque immensam imperii molem iis hominibus inniti, qui sacrosanctæ christianæ religionis mysteriis a sui ortus primordiis initiati fuere: penes hos arma sunt, ab iis regna, & provinciæ administrantur. Illud enim ex prisca consuetudine inolevit, ut quotannis fere per provincias mittantur, qui adolescentes ex Christianis parentibus prognatos deligant, quos nonnunquam a patrum complexu, matrumque sinu per vim, inaudito crudelitatis exemplo, abstractos, Byzantiumque abductos, illecebris, ac præmiorum proposita spe, ad suæ religionis instituta allicere contendunt; ni obtemperent, sæpe invitos

1536 circumcidunt, atque Christi sacra ejerare cogunt. Accidit præterea, ut vel devictis, ac domitis provinciis, vel terra, marique prædabundi excurrentes, multos mortales captivos efficiant: iisdemque artibus tenella ætate ephebos in suam sectam pertrahunt, atque ex iis, qui præclara indole indicia futuræ virtutis præseferunt, sæpius Regi dona exhibentur. Ex omni numero selecti, quos vel oris decus, ac pulchritudo, vel membrorum firmitas, atque artuum robur ad certum egregie factorum decus ortos significant, intra septa regia educantur; pro cujusque virtute in spem amplissimarum dignitatum aluntur, atque ad primum *Visiratum*, qui post Regem summus honos habetur, adspirante fortuna, extolluntur. Qui vero inferioris notæ, cum quintum ac vigesimum annum attigerint, ex iis prætoriani milites, *Janizzeri* nempe, eliguntur; neque præter hujusmodi hominum genus, alii ad honores, ac stipendia regia admittuntur, licet posterioribus temporibus vel gratia, vel pretio nonnulli ex indigenis Turcis ad militaria munera, atque ad gubernacula provinciarum pervenerint. Sed quemadmodum arma, atque imperitandi ratio penes eos est, qui olim Christi sacramenta susceperant, ita quæ ad sectam, ac leges pertinent, ab iis, qui eorum religionem cum lacte hauserint administrantur. Ex quorum genere templorum, ac fanorum, quas *Meschitas* vocant, ad religionem procurandam rectores, ac æditui deliguntur. Eorum filii cum primum adolescere cœperint, legem, quæ *Alchorano* continetur, edocentur; inde juri populis dicundo in oppidis, atque civitatibus constituuntur. Exequendi jus ad eos, qui arma tractant, spectat, caput ac princeps religionis *Muphtis* est, a Rege delectus; is magnam auctoritatem obtinet, summaque in existimatione est: illum tanquam oraculum adeunt. Præcipiendi atque imperandi expers cum sit, cuivis tamen ex lege illum consulere licet, strictim re exposita, quid juris, atque æquitatis, exquirere: qui perbrevi responso (& *fa* appellant) quid censeat, significat: tantumque in eo ponderis est, ut illi contradicere sit nefas. Gravissimis de rebus quæ ad summam imperii pertinent, Rex, justitiæ, ac religionis opinionem affectans, ab illo senten-

tiam

tiam poscit, ut religione tactos subditos ad ea, quæ animo meditatur, conficienda facilius flectat; licet is assentando plerumque propensionem illius explorans, quo mentem inclinare perceperit, ei sententiæ adhæreat; quam etiam, si ita conducere videatur, probabili causa inventa, immutare solitus est, eodemque intendit, quo cupido Regis inflectitur. Pauca hæc de Turcarum origine, institutis, moribus dixisse sat sit. Nunc institutum ad opus redeamus. 1536

Cum Suleimanus, gloriæ avitæ æmulus atque heres, Gallicis rebus opem ferre statuisset, quo, Cæsaris potentia depressa aut valde imminuta, nancisceretur aliquam opportunitatem ad Italiam, aut etiam Germaniam armis invadendam, in eo Galliæ Regis legatis suadentibus; enixe laborandum duxit, ut Venetos ab amicitia, ac fœdere cum Cæsare inito sejungeret. Janusbejum regium interpretem ( *Dragomanum* a Turcis dictum ) Venetias misit, qui Senatui exponeret, ingenti cum terrestri exercitu, tum classe Byzantio moturum: Patres hortari, ut, quibus ille socius, vel hostis esset, eosdem sociorum, atque hostium loco haberent; se quæ ad Venetos spectarent inviolata, integraque conservaturum; in eadem, quam cum Republica hactenus pacem coluerat, permansurum. Hæc Suleimani legatio vehementer Senatum perturbavit, cui satis exploratum erat, quorsum Patrum animi pertentarentur, quibusve impulsoribus ea decreta legatio fuisset. Ac sane quamvis justa indignatione commoverentur, quod insueta, atque inexpectata liberæ civitati ea petitio fuerit; attamen veteri prudentia iracundiam se se efferentem cohibere, ac molestiam inde perceptam premere cum satius ducerent; re mature disceptata, ac discussa, paucis, gravibusque verbis Senatusconsulto responsum est: cum omnibus gentibus pacem sibi, atque amicitiam intercedere; eandem cum Ottomanis Principibus per multos annos constanter servasse; vigere idem in Senatu erga pacem cum Suleimano studium, ut majori declaratione minime ea in re opus esset. Responsum hoc haud graviter tulit Suleimanus, quippe qui multa, eademque illustria virtutis semina animo reconderet, ingeniumque in æquitatem propensum, atque ad justitiam proclive sortitus esset. Verum non deerant, qui amicum Principem in Rempublicam extimularent, oc-

*Janusbejus Suleimani legatus ad Venetos.*

*Senatus responsum.*

1536 casionesque maligne quærerent, quibus infensum Venetis redderent, ac sensim ad bellum aperte cum Republica pertraherent. Inde nonnulli Veneti mercatores, qui negotiorum causa Byzantii, atque in aliis Ottomanici imperii locis morabantur, falsorum criminum obtentu, in carceres detrudi jussi, eorum bona fisco adjudicata. Alexandri Contareni navis variis, iisdemque pretiosis onusta mercibus, non longe ab insula Cypro, cum falso piraticam dicerent, a Rhodiensibus triremibus capta. In Syria decumæ mercimoniis, quæ a Venetis asportarentur, impositæ: literæ Nicolai Justiniani, Reipublicæ apud Suleimanum legati, haud semel resignatæ. Quæ omnia a Turcis fieri compertum erat, quod Rempublicam fœdere cum Cæsare infestissimo illorum hoste adstrictam esse moleste ferrent; ob idque Mustaphas, præcipuo inter purpuratos loco, haud obscuris verbis eam ob causam Venetos iratum Suleimanum experiri, illius vires, atque impetum merito in se provocasse significaverat.

*Veneti mercatores & eorum mercimonia a Turcis intercepta. Alexandri Contareni navis a Turcis capta. Decuma Turcis Venetis mercatoribus imposita.*

Hæc alieni, atque hostilis animi haud dubia argumenta Patres magnopere commovebant, gravissimique belli onus Reipublicæ incumbere providebant; quamvis eodem tempore Thomas Mocenicus extra ordinem legatus ad Suleimanum, ut partas illi in Perside victorias gratularetur, missus, perhumaniter habitus fuisset, atque Ajax illi inclinatum ad veterem amicitiam servandam Suleimani animum testatus esset: modo paribus, ut decebat, officiis propensæ in illum Reipublicæ voluntatis signa ederentur; quam semel pollicitus esset fidem nunquam fallere consuevisse; quæ adversus mercatores, ac Venetorum navigia acta fuerant, ea injussu Principis contigisse. His per literas Byzantio missas intellectis, in ancipiti rei exitu ambigui Patres versabantur; hinc injurias illatas non obscura belli indicia, inde benevolentiæ signa in Thomam Mocenicum legatum, & Ajacis de pace sermones æstimantes: cum plerisque verisimile non videretur, Suleimanum, qui Principum Christianorum vires, studiaque optime nosset, præcipiti consilio bellum Venetis inferendo, adversus se duas classes incitare, ac Rempublicam, quam amicam habebat, simul cum Cæsare hostem experiri velle, quæ per triginta sex annos pacem cum Turcico imperio constanter servasset, atque in neutram inclinando partem, æquabili temperamento ita se gessisset, ut nulla inde Otto-

*Thomas Mocenicus extra ordinem ad Suleimanum orator.*

ma-

manis Principibus damna, aut incommoda pervenissent. Sed nondum vulgata Suleimani expeditione, multa non in vulgus modo, sed inter prudentes, ac rerum humanarum haud ignaros variis sermonibus dispergebantur; nonnullis in regnum Neapolitanum arma comparari; aliis in Adriaticum sinum classe immissa, Segniam petiturum dicentibus. Neque deerant, qui crederent, Chariadeni suasionibus, atque impulsu ad delendam ignominiæ notam superiori anno a Cæsare in Tunetana expugnatione ceptam, in Africam universum belli apparatum effusurum. Plerique bellum adversus Venetos moturum minime vana adseveratione ajebant; Corcyramque insulam, maritimis rebus olim florentem, atque ad invadendam Italiam loco opportuno sitam, oppugnaturum. 1536

## M. D. XXXVII.

INsigne ineuntis anni M. D. XXXVII. exordium immane Laurentii Medicei facinus effecit, quo Principi optime de se merito & propinquo necem, hosti vero longe infestissimo principatum, sibi tandem perniciem imprudenter conflavit, cum decus intempestive ac dementer peteret restituendæ pristinæ Florentiæ libertatis. Nam gratia, qua maxima pollebat, turpiter abusus, assentatione fœdisque obsequiis Ducem Alexandrum in obscœna flagitia & fraudes inductum sibi ita devinxit, ut insidianti caput stolide committeret. Rei gestæ series celebris est, atque pervulgata, & a scriptoribus multis prodita memoriæ; hæc pauca memorasse satis mihi fuerit ad propria eademque gravissima multum festinanti. Cum de bellico Turcarum apparatu fama augeretur, triremes, atque omnis generis navigia aut ædificari, aut sarciri, ut ad trecentorum numerum accessura viderentur; machinas ad bellum opportunas, atque in primis ad expugnanda oppida, atque urbes accommodatas, sedulo instrui; commeatus studiose colligi; Græciæ summum præfectum, quem *Belgierbegum* Turcæ vocant, Byzantio profectum, ad Scopiam Macedoniæ urbem, quam Heracliam Sinticam fuisse nonnulli affirmant, pervenisse; magnum undique militum numerum cogere, Suleimanoque castra pa- 1537

1537

*Veneti apparatus ad bellum Turcicum excipiendum.*

rari; illum veris initio Aulonem venturum, qua in urbe panis nautici ingens in classis usum copia parabatur. Senatus cum barbarorum fidem jamdiu suspectam haberet, non amplius cunctandum ratus, totum se ad belli studia convertit: delectus militum haberi; ditionis maritimæ oppida majoribus præsidiis firmari; tormentarium pulverem, commeatus, quæque ad hostium impetus sustinendos necessaria, atque opportuna viderentur, quamprimum mittenda curavit: in peramplo navali, quod egregio, ac prope stupendo opere exædificatum, magnum navigiorum, atque omnis generis fabrorum, & artificum numerum, qui publico ære aluntur, continet, intentiore cura veteres triremes refici; novæ ad quinquaginta numerum ædificari; majoresque triremes, præcipuum belli pondus, summa solicitudine instrui, ut centum triremes in usus belli adornarentur, decretum.

*Hieronymus Pesareus classis imperator.*

*Andreas Capellius, Hieronymus Bragadenus, Jacobus Cornelius Procuratores.*

*Veneti decumas a Pontifice petiit.*

Classis imperator Hieronymus Pesareus deligitur; pecunia summo studio conquiritur; atque ut privatis opibus ad patriam juvandam aliquo honoris præmio cives divitiis florentes allicerentur, tres divi Marci Procuratores creantur, Andreas Capellius, Hieronymus Bragadenus, Jacobus Cornelius: singuli duodecim aureorum millia in ærarium congessere. A Pontifice ex sacerdotiorum decumis ducenta aureorum millia petita, ab eodem varias nectendo moras dilata. Artificum civitatis collegia certum remigum numerum in armandas triremes tribuere jussa: oppidis, quæ Veneti ducatus limitibus comprehenduntur, triremes imperatæ; Clodiensibus binæ, trierarchorumque eligendi jus concessum; Lauretanis, atque iis, qui Caput aggeris incolunt, totidem; Murianensibus, adjacentibusque parvis insulis itidem duæ.

*Praeconsultores a Senatu aliis adjecti.*

Atque ut magnarum rerum negotia exactiori indagine, ac maturiori prudentia discuterentur, majoribus Præconsultoribus tres adjecti fuere, quos *Adjunctos* vocarunt: magistratum primi iniere Thomas Mocenicus, Nicolaus Bernardus, Marcus Antonius Cornelius, longo rerum usu inter insignes Senatores connumerati.

*Supplicationes Venetiis habitae, & frumenta egenis tributa.*

Auxiliis ab humana ope, atque industria petitis, vetere, ac religioso Reipublicæ instituto ad Deum Optimum Maximum ac superos versæ mentes; ad templa tota civitate supplicationes habitæ; in pias preces cunctis civita-

tis

tis ordinibus effusis, egentibus religiosis viris frumenti sextarii ad quadringentos ex publicis horreis tributi. 1537

Cæsar eodem tempore gravi cura cum Neapolitano regno, ac Siciliæ, tum Africanis rebus prospiciendum ratus, magnam Hispanorum militum manum in Italiam traduxerat; Andreæ Auriæ classis præfecto mandaverat, ut quanta posset diligentia triremes in omnem belli aleam pararet, ac quamprimum Neapolitanas, Siculas, & Melitenses sibi adjungeret. Verum multa in id tempus inciderant, quæ Cæsarem variis curis distractum, ne cunctos nervos in Turcicum bellum intenderet, remorabantur. Nam cum Alphonsus Vastius, magna vi fere omnibus iis oppidis expugnatis, quæ superiori anno in Subalpinis Galli ceperant, Taurinum, quod reliquum erat, oppugnaret; debilitata, ac prope eversa suorum fortuna permotus Galliarum Rex, incredibili celeritate coacto Germanorum, Helvetiorum, atque Italorum exercitu, Lugdunum se contulerat: inde Henrico filio cum Momorantio, expeditaque copiarum parte præmisso, ipse cum Germanorum circiter septem, Helvetiorum sex, Italorum quatuor millibus subsequebatur, præter Vascones, ac Gallos, succedente graviori equitatu, atque bellicis machinis, Alpes quamprimum transgressurus. Quibus Regis conatibus ut Cæsar obviam iret, illumque ab Italia invadenda revocaret, in Belgio ingenti numero copias tum pedestres, tum equestres cogi jusserat, ut ab ea parte finitimas Galliæ regiones aggrederetur. Huc quoque accesserat, quod Regem Genuense bellum moliri percrebuerat; qua ex re illius Reipublicæ cives perterrefacti, discessum Auriæ cum suis triremibus in ea universæ urbis trepidatione, ac periculo permittere nolebant.

*Alphonsus Vastius Taurinum oppugnat. Franciscus Rex Lugdunum profectus copias colligit. Cæsaris bellici apparatus in Belgio.*

Suleimanus Byzantio egressus, Thracia peragrata, ac Macedonia emensa, Scopiæ parum commoratus, per Albanos arrepto itinere, cum universo exercitu ad Aulonem pervenit. Nec multo post Luphtibejus, & Aheneobarbus cum classe ab Hellesponto egressi, Maleæ promontorio superato, ad Ficerium, oræ Leucadiæ portum, perennibus fontibus valde aquationibus opportunum, substitere. Trecenta, atque amplius navigia numerabantur, in quibus ducentæ ac viginti tri-

*Suleimanus ad Aulonẽ exercitum ducit. Luphtibejus & Aheneobarbus cum classe ad Leucadem.*

1537 remes ; reliquæ biremes , myoparones , atque alia minora navigia : militum extra ordinem ad decem millia , qui duodecim præfectis , quos *Sangiacos* vocant , parebant , ac quatuor prætorianorum millia ( *Janizzeros* appellant ) censebantur . Universæ classi Chariadenus præerat ; penes Luphtibejum , utpote qui Suleimani personam sustineret , illiusque vexillum gestaret , summa consiliorum , ac rerum erat . Cum adhuc incertum esset , in Neapolitanum regnum , an in Venetos terrestris , maritimique belli moles incumberet, quisque suis rebus consulere ; omnes barbarorum motus interiori cura observare ; nec dum certa expedire , aut inire consilia. Auria Genua solvens , Centumcellas prætervectus , cum pontificias triremes adhuc instructas non invenisset, in Mamertinum fretum se contulerat , ut ex Neapoli, Sicilia , atque aliis ex oris triremes , quas præstolabatur , cogeret : cum vero neque viribus , neque numero par ad certamen cum hoste incundum esset , cum selectis triremibus, reliqua classe relicta, in altum provehi , ac quotquot posset, Turcarum ditionibus incommoda, & damna inferre statuit.

*Andrea Auria consilium de incommodis Turcicis ditionibus inferendis.*

Veneti cum primum classem Turcicam Methonem attigisse, atque Pesareum imperatorem ad Corcyram pervenisse intellexerunt, inter ambiguas belli, & pacis spes, quidnam potissimum decernerent, quidve Pesareo mandarent, non satis expedire poterant : venientine, ut ferebatur, in Adriaticum sinum Chariadeno Corcyræ cum tota classe subsisteret; an anteverso itinere triremes Turcicas a tergo relinqueret. Erant qui antevertendum arbitrabantur, ne Reipublicæ oppida, atque urbes in sinu Adriatico sitæ Turcarum prædæ, ac libidini objicerentur, ac ne triremibus, quæ in Dalmatiæ ora, atque Venetiis parabantur, aditus ad reliquam classem intercluderetur. Alii contra minime tutum, nec e Reipublicæ dignitate fore censebant, Corcyram, Ionii maris insulas, ceterasque Reipublicæ ditiones nimis prono in timorem consilio deserere. Nonnullis media quædam ratio probabatur, nempe ut, divisa classe, sinum Adriaticum Turcis ingredientibus, Pesareus imperator cum Alexandro Contareno legato, ac quadraginta selectis triremibus in Ionio circa Corcyram moraretur; reliquas ad triginta cum Francisco Paschalico altero

le-

legato in oram Dalmatiæ mitteret: Chariadeno cursum in Apuliam intendente, ne Corcyra discederet; verum Divi Angeli promontorio superato, atque in Picenum, & Flaminiam navigante, illum quæcumque moliretur diligentissime observans, insequeretur. Aliis denique illud placebat, ut anceps consilium, quod variis rerum eventibus interturbari poterat, imperatoris prudentiæ permitteretur. Inter has dissentientium Senatorum sententias illam Senatus est amplexus, qua Pesareum Corcyræ subsistere juberetur. Mox (quod antea factum non memorabatur) ut alter classis imperator ad sinus Adriatici tutelam deligeretur, Senatusconsulto decretum est, penes quem, Pesareo absente, summa auctoritas foret, præsenti obtemperaret; Joanni Viturio id munus majoribus comitiis delatum est. Is statim in Dalmatiam profectus quadraginta sex triremes, præter biremes sex, coegit. Pesareo quinquaginta quatuor triremes, ac duæ naves majores aderant; harum alteri, quam *Galeonum* vocabant, Albertus Contarenus, alteri Jacobus Armerius præerat. Verum adhuc in ambiguo versabantur, an totius cogendæ classis auctoritas Pesareo tribueretur, an incerto inter pacem, ac bellum tempore sejunctas maritimas vires esse præstaret: eam rem omnem diversis sententiis in Senatu agitatam permittere imperatori placuit.

1537

*Mandata Senatus ad Pesareum classis imperatorem.*

*Joannes Viturius legatus in Adriatico est imperio.*

Interea nullum officii genus Cæsareani prætermittebant, suadendo, rogando, flagitando, ut Senatum ad classem cum Andreæ Auriæ triremibus conjungendam impellerent; haud parva vel ad Reipublicæ Venetæ incolumitatem, ac dignitatem, vel ad totius christianæ incrementum inde profectura: ne Suleimani amicitiam semper suspectam, Caroli Imperatoris, cujus mirifice propensus in Rempublicam animus extaret, societati anteferrent: conjunctis Venetorum maritimis viribus, quæ prisca navalium rerum disciplina numero, & robore plurimum possent, cum Cæsareana classe, quid non audendum? quæ victoriæ præmia ex insolenti hoste non referenda? Ad id quoque Andreas Auria Pesareum hortabatur, ingentia illi, ac prope confirmata certi eventus decora, assueta jactatione ostentans. At Senatum, quin Cæsareanorum postulatis assentiretur, id præsertim permovebat, quod ultro grave cum potentissimo hoste bellum suscipiendum non arbitraretur; ac nondum atrox

*Cæsareanorum officia, ut Venetam classem sibi adjungerent.*

quid-

1537 quidpiam in Rempublicam Suleimanum gerentem lacessere, tutum suis rebus minime censeret. Ex hac nutantium consiliorum varietate ad pristinam spem Venetos sibi obstringendi erectus Galliarum Rex, Guidonem Rangonium Venetias misit, qui secretius Collegium, Decemvirum magistris præsentibus, adiit. Multa de Francisci in Rempublicam benevolentia, de iis, quæ a Gallis superiori tempestate egregie pro Venetis gesta fuerant, graviter est loquutus: mox de præsenti rerum statu accurate disseruit: tandem, ut a Cæsareano fœdere abstractum ad Galli amicitiam Senatum flecteret, vario, ac multiplici orationis genere usus est. Nonnunquam, ut imperii cupidine tactos Patres alliceret, Cremonæ urbem, universum Abduæ Glareanæ tractum, præmia belli Mediolanensis ostentabat. Regis auctoritatem, ut Flaminiæ urbes ad pristinum Reipublicæ jus revocaret, pollicebatur; Hydruntem, Brundusium, Monopolim, Tranium, Pulinianum, atque eam Apuliæ oram, quæ olim Venetis obtemperaverat, accessuram. Modo Regis certam operam ad belli Turcici, quod tunc Venetis haud ambiguo cunctorum judicio immineret, suspicionem discutiendam spondebat; inde summa cum dignitate controversias, quæ cum Suleimano intercederent, mercatoribus libertate tributa, sublatis mercimoniorum decumis, Alexandri Contareni navi restituta, componendas fore. Hæc a Rangonio Patribus exposita varia animorum agitatione excepta fuere: re sæpius in consultationem adducta, hujusmodi decretum Præconsultores ad Senatum tulere, quo Rangonio responderetur: Quammaximas Senatus posset Regi de propenso illius in Rempublicam animo, regiisque pollicitis agere gratias: ceterum quod ad societatem attineret, ex iis, quæ superioribus tempestatibus a Venetis gesta fuerant, haud obscure qui illorum animus, quæ mens in amplissimum regnum esset, inspici posse; si occasio se obtulisset, paria Rex a Venetis expectaret.

*Oratio Marci Antonii Cornelii.* Unus e Præconsultorum numero Marcus Antonius Cornelius, continentis Sapiens, erat, qui *rejiciendam prorsus Gallorum societatem, Rangonioque significandum censeret, ob instauratum nuper cum Cæsare fœdus, quin aliquid illi adversum pacisceretur, fide publica Senatum obstringi: at pro sua*

*in*

*in Galliarum Regem observantia , ac studio , atque illius in* 1537
*Rempublicam benevolentia sibi polliceri quidquid officiis , &*
*auctoritate posset , ut Reipublicæ Suleimanum conciliaret , adhibiturum . Quot , quantisque periculis Venetos objicerent , qui societatem ineundam cum Gallis censerent ,* Cornelius disserebat : *alienum esse a majorum instituto fidem semel datam violare , neu quisquam imperii amplificandi spe duceretur , ni prius immensos sumptus , innumeros labores , ingentia bella animo versaret , quæ procul dubio subeunda , atque in incertum victoriæ exitum jactandi forent : quanti Cremona , atque alia Abduanæ Glareæ oppida majoribus constitissent , expenderent , qui , cunctorum in se Principum invidia excitata , eosdem Gallos , quos ad incrementa imperii adjutores habuerant , acerrimos hostes experti fuere : inde quot Reipublicæ clades illatæ ; quibus agitata , ac pene submersa fluctibus fuisset , neminem ignorare : sumpta non modo ad recuperandum imperium , sed ad Italiæ libertatem , ac decus tuendum generoso ausu arma olim fuisse ; ut Insubres in Ducis potestate retinerentur , decertatum ; Gallos bis vel ob Regis , vel ob filiorum libertatem absque socia , & fœderata Republica pacem cum Carolo sanxisse , ut eodem tempore terra , marique gravissimi belli pondus sustinere Veneti cogerentur : tandem nullis laboribus concussos ; pace oblata potius , quam quæsita , præteritis calamitatibus finem impositum : hanc ne vana spe latius dominandi corrumperent : cogitarent bellorum initia facilia admodum , exitus difficiles ; illa in nostra voluntate , hos in arbitrio fortunæ sitos esse : Regum ingenia , amicitias propria tantum utilitate emetiri solita : si Mediolanense imperium summis votis a Francisco expetitum a Carolo objiceretur , an non omnia fœderum jura , ut illo potiretur , ultro statim abjecturum ? quo casu quid Reipublicæ durius , quid acerbius evenire posset ? Neque vero quos spes non alliceret , eosdem Suleimani bellum minantis timore percelli oportere , atque Caroli fœdere abjecto , in nova Gallorum societate satis præsidii ad pacem situm esse existimare ; quos enim sponsores , aut vades de Suleimani animo Galli præstarent , quin , Cæsare infenso , latissimum iter ad Reipublicæ imperium invadendum sibi præmuniret , ambiguitate penitus abjecta , qua modo summopere vereretur , ne maritimis Ve-*

1537 *Venetorum cum Cæsare consociatis armis, neque ad certaminis aleam subeundam, neque ad obsistendum pares vires adhibere posset?* Hæc gravi admodum, ac vehementi oratione a Marco Antonio Cornelio disceptabantur, ut Senatum a Gallis penitus avulsum in Cæsareano fœdere retineret.

*Oratio Leonardi Haimi.* Contra vero Leonardus Haimus, qui majorum Præconsultorum numero erat, *acerbo nimis Senatus decreto amicum Reipublicæ Regem lacessere, neque moris esse, neque a Reipublicæ detrimento sejunctum censere: non eas esse temporum rationes, ut fœdera cum Gallis sancirentur; attamen minime illorum societatem spernendam: recondere inimicitiarum, atque odiorum semina summos Principes consuesse, quæ sæpius in auctores erumperent: id vero summo consilio, prudentissimo Senatus instituto, postquam præter ceteros Principes Imperator, & Galliarum Rex eminerent, effectum fuisse, ut quantum in se esset, illorum potentia, ac vires, æquabili veluti lance libratæ, consisterent, ne alter nimiis incrementis auctus, formidolosior ceteris fieret, adspirantisque fortunæ illecebris corruptus, in reliquos insurgeret: his artibus Rempublicam veluti e scopulosi maris æstibus ereptam fuisse: cur igitur modo vetustæ Gallorum gentis amicitiæ obliti, ita Cæsari vellent adhærescere, ut Regem Reipublicæ amantissimum, cujus difficillimis temporibus auxilia experti essent, omnino infensum sibi redderent? ac semina Italici belli eo perniciosiora jacerent, quod eodem tempore & propinquæ belli faces in Gallia Cisalpina accenderentur, & communes christiani nominis hostes ob nostra dissidia vehementius sævire, maritimaque ditionis Venetæ loca possent acrius invadere? Neque vero Galliarum Regis auctoritatem ad Suleimani animum placandum, ac periculosissimum bellum a Republica avertendum, parvi æstimandam, quem satis constaret ingentis hujus ex Hellesponto emittendæ classis auctorem fuisse. Unum Cæsarem utrosque communem hostem habere; in illum hæc arma parata, ni immaturo consilio in Rempublicam convocarentur. Quocirca difficillimis in rebus opportuna cunctatione utendum, sæpius evenire, ut quæ humanæ prudentiæ opem effugiunt, mora, ac tractu temporis discutiantur.* Hæc, orationis summa gravitate, atque auctoritate ad mitigandos Patrum animos, ne nimio ardore conci-

tati

tati extrema consilia amplecterentur, ab Haimo afferebantur Senatores in Cornelii sententiam frequentes ivere, Rangoniusque, uti ille censuerat, v. kalen. julii dimissus est. 1537

*Guido Rangonius legatus a Venetis dimissus.*

Dum hæc gererentur, nuntii supervenere, classem Turcicam Corcyræum fretum prætervectam, tribus bombardarum ictibus amice, lege militari arcem consalutasse; totidem tormentis displosis, nostros amicitiæ signa reddidisse, classisque præfectum, atque insigniores duces ab imperatore Pesareo de more varie donatos, sui Regis pacis cum Venetis servandæ studium testatos; quod re ipsa præstitere, duobus Epibatis ad unius triremis malum appendi jussis, quod nonnullos Acroceraunios captivos fecissent: edicto insuper cavere, ne quis Venetorum subditis detrimenti aliquid inferret; qui secus fecisset capitali pœna plecteretur. Quæ cum Senatorum animos ad spem pacis erexissent, classis imperatoribus injunctum est, ut ab iis, quæ Turcas in nostros elicere possent, abstinerent, congressus illorum devitarent, sin casu in ipsos inciderent, cuncta benevoli animi signa ederent; haud exigua spe freti, Suleimanum bello regnum Neapolitanum petiturum. Jam enim Luphtibejum, & Chariadenum ad Salentinorum voluntates explorandas miserat; qui cum Brundusium, & Hydruntem firmis munita præsidiis intellexissent, ab Hydruntino promontorio in sinum Tarentinum flectentes, Castrium oppidum, Mercurini, Catinariæ Ducis, deditione receptum, adversus pactam fidem fœde diripuerant, homines, ac pecora toto Salentino litore Turcis intercipientibus, ut universa ora a Tarento Brundusium usque magno timore concuteretur. Hippagogis equites in terram descenderant; aditum, cuncta vastantes, Suleimano præmuniverant. Ipse moræ impatiens in Italiam, quæ ob oculos versabatur, iter moliebatur, ut tandem qui diu suspensas mortalium mentes detinuerat, expeditionis finis conspiceretur. At vel nostrorum temeritate, vel fortunæ malignitate, vel certe irato, quod negari non potest, in mortalium errata Divino Numine, vehemens, ac immanis illa procella in Venetos delata est: cum ex parvis initiis paulatim surgentia maximarum rerum momenta eam pestem Reipublicæ intulerint.

*Mandata Senatus ad classium imperatores.*

*Castrium a Turcica classe captum.*

*Suleimanī decretum de Italia invadenda.*

Nam Simeon Nassius, urbe Jadera ortus, triremi Dalmaticæ

1537

*Simeõ Nassius, Jadertinus trierarchus, navigium Turcicum demergit. Janusbejus a Suleimano ad Pesareum mittitur.*

ticæ præfectus, cum forte in Turcicum navigium, quod commeatu onustum ad Aulonem iter intendebat, incidisset, ac nautæ usu recepta consuetudine vela, uti superiori, demittere noluissent, majori tormento excusso, disjectum, ac perforatum demersit. Ea re vehementer commotus Suleimanus, iracundia repressa, Janusbejum, qui superiori anno Venetias profectus fuerat, cum duabus triremibus ad Pesareum Corcyræ commorantem misit, qui unius trierarchi insolenti facto jura pacis abrupta conquereretur; meritam illi pœnam infligi; damna illata, quæ ad triginta aureorum millia accederent, sarciri peteret.

*Janusbejus a Venetis trierarchis in fugam versus ab Acroceraunis capitur.*

Iam triremes, quibus Janusbejus vehebatur, in conspectu Corcyræi litoris erant, cum quatuor nostrorum triremium præfecti, qui freto præerant, Justus Gradonicus, Michael Grimanus, Jacobus Medius, Hieronymus Michael, nulla a Turcis honoris causa de more salutatione accepta, repente indignabundi hostiliter aggressi, primo impetu in fugam Turcas vertere, qui perterrefacti in propinquum Acroceraunium litus sese ejecere; ex iis complures una cum ipso Janusbejo ab effera gente, atque ipsis in primis Turcis infensa, capti fuere. Pesareus imperator ea re mirum in modum perturbatus, ut qua posset fortunæ malignitatem

*Janusbejus Francisci Zeni opera liberatur.*

prudentia corrigeret, Franciscum Zenum trierarchum ad Acroceraunios misit, ut Janusbeji libertatem ab ea gente peteret, in id haud parva pecuniæ vi tributa, quam facile ab agrestibus hominibus, Veneto nomini addictis, nulla mercede impetravit. Quæ omnia XIIII. kalen. sextilis datis literis ad Senatum significavit. Janusbejus cum diro infortunio elapsus ad Suleimanum pervenisset, graviter de Venetis conquestus,

*Suleimani officium cũ Jacobo Canali legato.*

multa in illos, præteriti casus dolore, atque ira percitus, acerbe effudit, ita ut Suleimanus indignatione exæstuans, Jacobum Canalem Reipublicæ legatum ad se vocaret, atque in Venetos acriter inveheretur: an ea esset Reipublicæ mens, exquireret, quam in pacem cum illo servandam adeo propensam significaverat; an potius cuncta hostilia in illius ministros, ac triremes edita fuissent: mitteret statim Corcyram, qui rem, uti accidisset, diligenter referret; ea intellecta, tum apertius, quid sibi videretur, enuntiaturum. Canalis de toto eventu ab eo, qui Corcyram missus, reversus fuerat,

edo-

edoctus, Suleimanum adit; quæ acciderant, non maligno in illum Venetorum animo facta, sed fortuito evenisse commemorat. Quis enim talia Senatus voluntatis, ac mentis conscius in amicum, & præpotentem Regem de industria perpetrasset? ob maritimas leges importune neglectas malum, illud erupisse; constanter Venetos pacem cum Ottomanis inviolatam omni tempore servaturos. At Suleimanus nihil Canalis oratione permotus, antiquæ pacis specie se deceptum, atque illusum dicens, Reipublicæ gravissimum bellum minatur; ni damna statim sarcirentur, noxii pœna afficerentur, atque classis imperator, in quem facinoris omnem culpam congerebat, plecteretur: ad hæc explicanda, ut nuntium Venetias mitteret, petiit. Canalis Alexandrum Ursinum, ut de his omnibus Senatum doceret, poficisci jussit; ni aliqua animadversione in facti auctores uteretur, procul dubio irati Suleimani arma, quem implacabili animo in Rempublicam cerneret, expectaret. Nam reliquis illud quoque accesserat, ut Andreas Auria, viginti octo triremibus apprime instructis, Zazynthi, ac Cephaleniæ litoribus adnavigans, varii generis Turcarum navigia, quæ annonam, atque victui necessaria Aulonem ad exercitum convehebant, capta diriperet; rursusque explorando maria Corcyram delatus, Janusbeji triremes a nostris nuper in fugam actas, vacuas, ac desertas abduceret; quæ res acrius in Venetos Suleimani animum incendit. 1537

*Alexander Ursinus a Canali legato Venetias mittitur.*

Per eos quoque dies Pesareus imperator certior factus, Aheneobarbum Zacyntho digressum, cum octoginta triremibus Corcyram petere, ut omnes congrediendi occasiones vitaret, cum classe Euripo egressus, iter in sinum Adriaticum, ut Viturio conjungeretur, arripuit. Verum, repente furente noto, in oppositum Italiæ litus delatus, cum haud procul a terra abesset, ac nautæ ob noctis tenebras sistendas in anchoris triremes censerent, ut fessi longo itinere remiges recrearentur, atque repentino turbine oborto, neque præmitti ad speculandum celoces, neque ex triremium carchesiis, tenebricosa nocte prospectum impediente, dispici maria a longe possent; forte prima quindecim triremium acies, quæ ab Alexandro Contareno legato ducebatur, improviso in regiam

*Hieronymus Pesareus classis imp. in sinu Adriaticum proficiscitur.*

giam

1537 giam triremem, cui Bustanes trierarchus præerat, incidit; quam ipse piraticam arbitratus, incitatis remigibus, magno impetu aggreditur. Acri pugna oborta, acerrime utrinque dimicatur, cum Turcæ, spe salutis abjecta, immani, ac desperato robore in præsens letum ruerent: tandem, cæde illorum ingenti edita, triremis in potestatem Contareni concessit, atque profundo mari demersa est; pauci, qui se inter transtra abdiderant, e Turcis incolumes evasere: Bustanes ipse fortiter pugnans occubuit. Id Contareni factum ad privatas inimicitias nonnulli referebant, quod illius navis ex oriente pretiosis onusta mercibus regrediens, a Turcis prædonibus intercepta esset; ut inde justam iram, ac dolorem publicæ causæ antetulisse videretur: cum alii ex adverso quæ acciderant, incertis rerum navalium casibus, nocturnisque erroribus tribuerent, Contarenique consilium memorarent, quo classem ad fortuitos incursus vitandos in Cretam abducendam censuerat. Pesareus eadem tempestate compulsus, Apuliæ propinquam oram legens, crebris, ignibus tormentorumque fragore signa dari, ut incolæ ob Turcicæ classis metum in tuta loca sese reciperent, suspicatus: mox Turcis ad suas triremes evocandis ea signa edita fuisse cognitum est; statimque classis in altum provecta nostris sese obtulit. Magna in trepidatione tunc imperator versari, sese ex illius conspectu fuga proripere, indignum Veneto nomine videbatur: prælio decertare, atque horæ momento in incertum pugnæ exitum se committere, ex sententia Senatus non erat. In ambiguo discrimine tutius imperatori a congressu abstinere visum. Itaque amice classe consalutata, cum de more alterna signa non redderentur, contorqueri proras orientem versus jussit, ut Corcyram appelleret. Tunc Aheneobarbus, veluti hostis, nostros insequitur, atque irrequieto cursu per sexaginta passuum millia insectatur, ardenti in vindictam animo, ut Bustani cædem, Janusbeji fugam, atque alias injurias, quas sibi a Venetis illatas alta mente retinebat, fortuna felicius adspirante, ulcisceretur. Incolumis tamen cum classe Pesareus Corcyram se recepit: in recensenda classe quatuor triremes desideratæ, quæ vel quod graviores reliquis essent, vel quod tardius proras obvertissent, ab hostibus oppressæ in illorum

*Suleimani regia triremis ab Alexandro Contareno capta.*

*Hieronymus Pesareus Corcyram se recipit.*

po-

1537

*Venetæ triremes a Turcis captæ. Veneti trierarchi a Chariadeno capite plexi.*

potestatem concesserant; duæ Venetæ, quibus præerant Joannes Maurocenus, & Aloysius Contarenus; e Zacyntho una; e Corcyra altera. Cuncti earum præfecti, mox indicto bello, Chariadeni jussu, qui barbara crudelitate nostrorum sanguini inhiabat, securi percussi fuere; eodemque supplicii genere Baptista Gritus, qui in Contarena triremi captus fuerat, affectus est.

Hoc eventu licet expiatæ, quæ a nostris Turcis illatæ fuerant, injuriæ viderentur, tamen vehementius Suleimani commotus animus, ad pacem cum Venetis abrumpendam incitabatur, facilesque iis præbebat aures, qui Venetis infensi, illi ad bellum statim inferendum faces admovebant; cum dicerent, classem Venetam ad eam oram navigasse, ut Turcas a suscepta Apuliæ expeditione averteret, improvisoque classem adorti, ignibus immissis concremarent. Eam suspicionem Andreæ Auriæ literæ, quæ in Suleimani manus pervenerant, auxere, quibus imperatorem Venetum de Turcarum itineribus certiorem reddebat: opportunum adesse tempus, quo sejunctam illorum classem, ac nihil ejusmodi opinantem opprimerent. Eæ literæ, ut ferebatur, ab Auria parvæ celoci traditæ fuerant, jussaque ejusmodi iter tenere, ut per hostium angustias in eorum potestatem incideret, atque Venetos ita suspectos redderet, ut consociare vires cum Cæsareanis cogerentur. Iis, quæ nuper acciderant, Venetias allatis, vix dici potest quanta animorum commotio Patrum non modo, verum totius civitatis ordinum extiterit: minime ferendum plerisque censentibus, paucorum temeritate Rempublicam ad bellum cum potentissimo hoste rapi; proinde de auctoribus pœnas sumendas esse, ne privata facinora in exemplum ad publicum exitium traherentur: aliis contra dictitantibus, fortes cives, qui pro Republica vitam innumeris periculis objectarent, deterreri minime oportere: Venetam dignitatem, ac decus a barbaris hostibus ludibrio habitum, egregie vindicatum fuisse; miserrimam illorum civium vicem dolere, qui intrepidi sanguinem, atque vitam pro patria effundere parati, dum acerrime pro libertate cum hoste certarent, ipsis vincula, & immerita supplicia essent pertimescenda. Hæc diu suspensos Senatorum animos, ne quid ea in re decernerent, te-

*Andreæ Auriæ literæ ad Pesareum missæ, ad Suleimanum allatæ.*

1537

*Alexander Ursinus Suleimani mentem Senatui exponit.*

tenuere: tandem, cum Ursinus Venetias delatus mentem Suleimani Senatui aperuisset, iratum illius animum mitigandum, atque leniendum Patres censuere. Itaque Senatus decreto, ut a Triumviris capitalibus de Alexandro Contareno legato, Nassio Jadertino trierarcho, ac Justo Gradonico, qui triremibus iis præerant, quæ Janusbejum in fugam verterant, atque de aliis, ad quos ea noxa pertineret, quæstio haberetur,

*Mādata ad Pesareum de trierarchis, qui Janusbejū aggressi erant.*

*Alexander Contarenus in jus vocatus.*

Pesareo imperatori mandatum, ut Jadertinum, Gradonicum, atque alios, quos deliquisse arbitraretur, vinctos Venetias mitteret. Alexandro Contareno, ut Jaderam se reciperet, jussum, relictaque triremi, Venetias statim se ad Triumviros capitales sisteret. Nec deerant, qui Pesareum se magistratu abdicare oportere arbitrarentur, quod Jadertini trierarchi impunitate omnibus, quæ postea acciderant, occasionem præbuisse videretur; tantique pacem cum Suleimano æstimarent, ut nihil, quod ad illam servandam spectaret, prætermittendum censerent. Attamen in Senatu imperatoriæ dignitatis decus, ac mortalium ea de re judicium plus valuit.

*Alexander Ursinus ad Aulonem ad Suleimanū mittitur.*

Alexander Ursinus Aulonem, citato itinere, jussus contendere, qui Suleimano significaret, Senatum propediem ad illum legatum missurum, ex quo ea, quæ acciderant, se invito evenisse, inclinatamque Reipublicæ mentem ad pacis jura, & conditiones servandas, intelligeret.

*Vincentius Grimanus ad Suleimanum orator designatus.*

Vincentius Grimanus, procuratoriæ dignitatis, legatus est designatus.

*Suleimani decretum de Corcyra invadenda.*

Verum antequam Ursinus Aulonem pervenisset, Suleimanus adversus fidem, quam Canali dederat, se ad Ursini adventum omnia relaturum, classem, Hydruntina oppugnatione relicta, universam Aulonem convenire jussit, ut terrestrium, maritimarumque copiarum impetum in Corcyram verteret: ad id præsertim Chariadeni suasionibus impulsus, qui acerrimo odio in Venetos invectus, Suleimanum ad bellum impellebat, recentemque cladem supra Cassiopæum Corcyræ promontorium, ad *Merleras*, quas vocant, insulas, duodecim Turcicis triremibus captis, aut demersis, ab Auria acceptam, in Venetos transferebat;

*Turcicæ triremes ab Auria captæ.*

*Turcica classis ad Corcyram appellit.*

quod illorum auxiliis fretos, ac prope in eorum sinu talia ausos Ottomanici imperii hostes, acerbe conquereretur. Classis igitur Hydrunto Aulonem coacta vj. kal. septembris ad fretum Corcyræ appulit: in ea, præter ma-

magnum triremium numerum, complures ad mille circiter equos transfvehendos hippagogæ erant. Insequenti die peditum, atque equitum exscensionem in terram Chariadenus molitur, ut undequaque ferro, atque igne agros vastaret, ac diriperet. Incolis cum valida Acroceauniæ gentis manu arcere a litoribus hostes adnitentibus, atrox pugna initur; utrinque multi cadunt: tandem numero potior hostis, exscensione facta, passim in cunctos mortales desævit; agros, & villas diuturna pace ad luxum usque ædificatas, immissis facibus, incendit; universum insulæ adspectum, cunctis evulsis arboribus, atque olivetis, quæ ingenti numero haud mediocres olei proventus edunt, incisis, deformavit. Ad Reipublicæ magistratus Chariadenus literas mittit, quibus significat: Suleimanum cum toto exercitu propediem ad insulam oppugnandam venturum, adversus hyemis asperitatem, ceteraque incommoda certaturum, neque prius quam urbe, ac tota insula potiretur, discessurum: hortari proinde præfectos, ut suæ, incolarumque saluti consulerent; neque potentissimi Imperatoris supremos conatus experiri vellent. Corciræ tunc præerant Simon Leonus, atque Aloysius Ripa; ille magistratus, quem *Bailum* vocant, hic vero legati munere fungebatur, qui summa virtute, atque animi ardore ad insulam tutandam se comparaverant, Senatumque ad certam spem prosperi eventus erexerant. Namque oppido universa insula nitebatur, quod & loci natura, & incomparabili arte egregie instructum, ac munitum, ad ingentes impetus hostium excipiendos, & sustinendos inexpugnabile censebatur. In eo præsidiarii milites mille ac quingenti externi, totidemque oppidani aderant; ad hæc quatuor triremium remiges a transtris in arcem vocati. Nam Pesareus imperator quatuor trierarchos, qui insulam tuerentur, reliquerat: ex iis Nicolaus Semiteculus oppidi portæ, tormentisque bellicis Aloysius Sanutus præficiuntur; Zachariæ Barbaro commeatuum cura traditur; triremes in Euripum demittuntur eo consilio, ut potius, quam in hostium potestatem concederent, demergerentur; annona in tres annos superesse in arce dicebatur. Universæ militiæ Jacobus Novellus rerum militarium usu præstans præerat; qui cum per eos dies morbo correptus obiisset, in ejus locum Babo Naldius præfectus, egregia in Rempublicam fide,

1537

*Corcyræ insulæ direptio.*

*Chariadeni literæ ad Corcyræ præfectos.*

*Simon Leonus & Aloysius Ripa Corcyræ præfecti.*

*Veneti trierarchi a Pesareo ad Corcyram relicti.*

 ac

1537

*Babo Naldius Corcyraei praesidii praefectus. Paulus Naldius a Senatu cum literis Corcyram mittitur.*

ac rebus Italico bello gestis clarus, qui suam operam in Corcyra defendenda obtulerat, suffectus est; atque grati animi ergo Paulo filio viginti in singulos menses aurei nummi Senatusconsulto decreti. Is statim Corcyram delatus, magistratibus literas Senatus dedit, quibus illos ad rem praeclare gerendam, ac pro patria omne periculi genus fortiter subeundum hortabatur; militum laboribus, Corcyraeorum fidei, & virtuti paria praemia pollicitus: magnum praeterea triremium numerum, ac milites in minime ambiguum subsidium parari; cum nihil Patribus magis curae, atque cordi esset, quam insulae defensio, civiumque, & incolarum incolumitas. His magis erecti praefectorum, ac militum animi intrepide ad hostium impetus excipiendos se comparaverant.

*Corcyraearum rerum expositio.*

Admonet hic locus, ut nonnulla de Corcyrae insula dicamus, quae inter Adriaticum, atque Ionium mare sita, non modo ad Epirum, & Graeciam, verum etiam ad Italiam vel propugnandam, vel invadendam valde est opportuna. Constat enim, Titum Quintium Flaminium, bellum Philippo Macedonum Regi illaturum, Corcyra trajecta, iter in Macedoniam intendisse. Maritimis rebus olim potens est habita, cum in magna illa expeditione Persarum adversus Graecos, triginta triremes pro Graeciae statu conservando instruxisse vetusta monumenta testentur. De illius ambitu non eadem est auctorum sententia; recentiores centum, ac viginti circiter passuum millibus definiunt; oblonga forma est, atque inter orientem, & notum protensa; qua parte septentrionem respicit, ab Epiro non longe abest. Verum inaequali tractu dividitur; nam ad occidentem, ubi Cassiopes portus situs est, duorum passuum millium intervallo a continente sejungitur; ad orientem ea pars, quae dicitur *Leuchimum*, viginti circiter millibus disterminatur. Sexaginta passuum millibus a Iapygio Italiae promontorio orientali longitudine distat. Interior insulae pars in continentem versa dimidiatae lunae formam fere conficit; medium promontorium, in quo arx sita est, sese in mare porrigit. Aeris salubritate, soli amoenitate vel priscis quoque ipsis ob Alcinoi hortos, atque delicias insignis, cum undique erumpentibus malorum medicorum, ac citriorum plantis abundet. Frumenti ferax, praesertim si ad glebae largitatem in-

cola-

colarum induſtria accederet. Univerſa, quæ meridiem aſpicit, montibus eſt aſpera; a ſeptentrione in planiciem extenſa, ea parte excepta, qua in media inſula, ut diximus, promontorium ſe mari inſinuat, cujus infima, ac declivia ſuo circuitu civitas occupat; amplis laxiſque ſuburbiis diſtincta, incolarum numero ea tempeſtate multum referta. Duæ arces in aſperioribus jugis montis ſitæ, urbem ad omnes impetus arcendos opportune muniunt, longiſſimoque tractu circumquaque omnia deſpectant, ut bellicarum machinarum vi terra, marique ad copias, claſſeſque ſubmovendas mirum in modum valeant. In oppoſita ad meridiem regione Angelocaſtrum arduo, atque editiore loco ſitum eſt, ad quod difficillimus acceſſus patet. Sponte Corcyræi ab hinc ducentos triginta ferme annos in Venetorum poteſtatem conceſſere; qui inſulam ſitus opportunitate, portuum numero, ac maritimis rebus valde accommodatam ſummo ſtudio munire, ac tueri adnixi ſunt. 1537

Cum igitur Suleimanus terreſtribus, maritimiſque copiis Corcyram adoriri ſtatuiſſent, præmiſſa claſſe, ipſe ab Aulone caſtra movens, Eante, quod modo *Vagiuſsam* vocant incolæ, amne ſuperato, ad Communitiam Buthroti regionis perſpicuis, atque uberrimis fontibus notam, pridie nonas ſeptembris pervenit. Buthroti præfectus Corcyra ortus, vi non expectata, ſponte oblatis clavibus, oppidum Suleimano tradidit, quem aurea veſte donatum dimiſit. De expeditione Corcyræa a Suleimano decreta nuntiis acceptis, bellum cum potentiſſimo hoſte ſuſcipere cum ſibi neceſſe eſſe Senatus animadverteret; licet ea tempeſtate centum triremium, aliorumque navigiorum numero claſſem inſtructam teneret; attamen cum ad tantam molem diutius ſuſtinendam Reipublicæ vires minime ſufficere viderentur, ad ſocietatem cum reliquis Chriſtianis Principibus ineundam animum adjecit. Sæpius ad eam rem Paulus Summus Pontifex, & Carolus Imperator Patrum animos incitaverant; verum ægre adduci potuerant, ut diuturnam, quam cum Turcis pacem habebant, abrumperent; vel ob ingentia negotia, quæ mercatores Veneti in eorum ditionibus gerebant, ex quibus divitiæ non modo privatis, ſed magni proventus, atque vectigalia Reipublicæ extabant; vel quod primi belli impetus uno atque eodem tempore multis in locis; nempe in

*Buthrotum a Suleimano captum.*

*Venetorum proclinatio ad ſocietatem cum Chriſtianis Principibus ineundam.*

1537 Dalmatia, Epiro, Peloponneso, atque in iis insulis, quæ in Ionio, Aegeo, ac Cilico mari Reipublicæ parebant, excipiendi essent: quæ sicuti Venetos a fœdere ineundo deterrebant, ita cum a Pontifice, & Cæsare minime improbarentur, sæpius suadendo, si quo pacto sibi illos adjungere possent, non destiterant.

*Cæsaris ad Joannem Antonium Venerium adhortationes.*

Cæsar Joanni Antonio Venerio legato classem Auriæ ad nutum Reipublicæ præsto futuram, pollicebatur; maritimis Reipublicæ, suisque consociatis armis, ad præclara peragenda haud difficilem aditum parari posse: ademptas a barbaris superioribus tempestatibus Venetorum urbes victoriæ decora rursus illis accessura: nihil se cupere, aut magis in votis habere, quam christianæ religionis incrementum, Dei immortalis debitos honores, quæ uti veræ, ac solidæ gloriæ fundamenta reliquis omnibus anteferret. His Cæsaris colloquiis in spem adductus Senatus, quam tantopere expetiverant, occasionem nactos Principes non prætermissuros, Marco Antonio Contareno, apud Paulum Pontificem legato, imperavit, ut de bello Reipublicæ inferendo susceptam a Suleimano sententiam, terrestri, maritimoque apparatu Corcyræ invadendæ conatus exponeret: tempus illud advenisse ostenderet, quo adeo expetitum fœdus iniri adversus barbaros posset: peteret itaque, ut ad Auriam literas daret, quibus illi significaret, ut, octoginta triremibus, ac quinquaginta navibus coactis, Brundusium peteret; ibi Venetam classem, quæ centum triremibus, decem majoribus, ac nothis, tribus galeonibus, decem armatis navibus constaret, opperiturum: junctis viribus ad Corcyræ opem ferendam se conferrent; quæ si pessimo quodam fato in communium hostium potestatem venisset, ambigi non posset, quin gradum sibi ad Siciliam, atque Italiam oppugnandam struerent: ad hoc ut triginta peditum millia Pontificiis, Cæsareis, ac Venetis stipendiis cogerentur, viginti Germanorum peditum millia in Italiam accerserentur. Statim Senatus literis acceptis, Marcus Antonius Contarenus Pontificem adiit, iis, quæ in mandatis habebat, expositis. Summa perfusus lætitia Pontifex ingentes Deo immortali, ac Cælitibus gratias egit, quod jamdiu opportunum Christianis Principibus in perpetuos, atque acerrimos hostes socia ar-

*Mandata Senatus ad Marcum Antonium Contarenum.*

ma

ma jungendi tempus obtuliſſent ; reſervatum id illius ponti- 1537
ficatui decus, ut toties a barbaris illatæ chriſtianis regnis clades egregio conatu vindicari poſſent : neque vero ambigere, quin Deus Optimus Maximus, res noſtras miſeratus, barbarorum faſtum, atque arrrogantiam effringeret. Ceterum quod ad Senatus poſtulata ſigillatim attineret, ut triginta peditum millium delectus haberetur annuere ; Auriæ literis acceptis, decem, quæ illi contingerent, millia conſcribi juſſurum. Quatuor triremes ad Centumcellas tenere, Hieroſolymitanæ religionis nonnullas Neapoli conſiſtere ; cunctas Brunduſium miſſurum. Ut novem Hiſpanorum peditum millia, qui in regno Neapolitano erant, ſub ſignis continendos curaret, certos homines ad Proregem Neapolitanum miſſurum. Atque, ut inde rerum præclare gerendarum initia ſumeret, unde omnia divina, & humana bona mortalibus manant, proxima die ad Divini Flaminis auram ſupplicibus votis invocandam ſacra miſſarum ſolemnia in divæ Mariæ Majoris baſilica concelebraturum.

*Venetorum officia cum Chriſtianis Principibus adverſus Turcas.*

Quæ Pontifici Senatus de Turcarum conatibus indicarat, eadem Carolo Imperatori per Joannem Antonium Venerium, Franciſco Galliarum Regi per Chriſtophorum Capellium oratores exponit : addit ad pacem ineundam ſuaſiones, ne potentiſſimorum Principum diſſidiis acrior hoſtis vehementius in chriſtianæ reipublicæ compages ferrum adigeret. Andreas Auria, qui ut obvius Gallis fieret, Maſſiliam verſus navigaverat, de iis, quæ acciderant, certior fit ; ad Cæſaris claſſem cum Veneta conjungendam inflammatur ; illius auſpiciis haud dubiam ſibi victoriam de hoſte polliceri Senatus declarat. Ad Ferdinandum quoque Romanorum Regem, atque ad Imperii proceres datæ literæ, quibus hoſtem nuper Pannonicis victoriis exultantem terreſtribus, quibus plurimum poſſent, viribus arcendum, ac debellandum incitarentur. Aedilibus injunctum, ut quotquot Venetiis Turcæ eſſent, eos cuſtodiæ traderent ; bona in tabulas publicas referrent ; neminem, niſi, datis vadibus, ſe Venetiis non exiturum, liberum eſſe permitterent. Multa undique omnis generis navigia ære publico conducta ; claſſis quoque imperatoribus mandatum, ut naves, quæ in Epidauri portu eſſent, avehi curarent, ne Turcæ, quorum ea Reſpublica ſtipendiaria eſt, maritimis illius viribus in nos uterentur.

*Turcæ & eorum bona Venetiis detenta.*

1537

*Jadera & Nauplium præsidiis munita. Uscochis facultas prædas agendi permittitur.*

rentur. Ducenti pedites Jaderam, totidem Nauplium in Peloponneso subsidio missi. Dalmatiæ præfectis demandatum, ut edicto publico Uscochis, alias invisæ genti, libere excurrendi maria, ac prædas agendi facultatem permitterent. Singulis Reipublicæ magistratibus, qui maritimis ditionibus præerant, jussum, ut, præcipuis, atque insignioribus viris ad se vocatis, Senatus sententiam de hostium impetu fortiter sustinendo patefacerent; ad patriæ defensionem, ad justa pro Veneta Republica arma induenda cohortarentur, spiritus acuerent; quæ de illorum virtute, ac fide in Patrum animis esset opinio, gravi oratione significarent.

*Franciscus Maria Urbini Dux suam operā Reipublicæ defert.*

Eodem tempore Franciscus Maria Feltrius, Urbini Dux, terrestrium Reipublicæ copiarum imperator, Venetias accessit; Principi ac Patribus, quæcunque ad retinendum, vel propagandum Reipublicæ imperium spectarent, atque in se sita essent, summo animi affectu detulit; opes, ditiones, vitam denique ipsam, quam si post anteactos labores pro Veneta Republica & pro christiani nominis gloria effundere contigisset, quid magis vel ad præsentium laudem, vel ad posterorum gratiam promerendam illustrius, ac præclarius sibi accidere potuisset? Guidum Ubaldum filium ad omnes belli casus objiciendum, a suo latere nunquam digredi passurum; uxorem in urbe relicturum, ut ædes illi tribuerentur, rogare: se reliquis solutum curis, belli munera ardenti, quo semper Rempublicam animo fuerat complexus, naviter, atque intrepide obiturum: non diffiteri, in Andrea Auria navalium rerum usum vigere, maritimis e preliis, atque oppugnationibus, hinc fortasse adjutum, multa virtutis specimina edidisse: se nihilominus scire, superioribus annis, atque in Numidica præsertim expeditione, eundem non semel lapsum in errorem esse. Hæc Princeps Gritus in Senatu de more Patribus exposuit: Urbinatis caritatem in Rempublicam summis laudibus ornavit; bellicam virtutem usu confirmatam, gravissimis, difficillimisque temporibus testatam, extulit: neque vero sibi minora maritimo, quam terrestri bello de egregio imperatore polliceri. Addidit, si ita e Republica esse Patres censerent, atque in se ipso arduis hisce, ac turbulentis temporibus aliquid opis situm esse existimarent, ultro se ad classem iturum, omnibus peri-

*Andreas Gritus princeps se, opesque suas Senatui exhibet.*

*Urbinati a Venetis ædes dono data.*

periculis vitam objecturum; quæcumque ipsi adessent opes, pecuniæ; quidquid argenti, egregiæ supellectilis, ea omnia patriæ lubenti animo offerre. Tandem gravi oratione ad ea, quæ Urbinas Reipublicæ detulisset, amplectenda, quibus opportune uteretur, Senatum est cohortatus; suasorque mox ferendi a Collegii Patribus decreti fuit, quo sancitum est, ut decem aureorum millibus coemptæ publico nomine ædes, Duci dono tribuerentur. Atque ut in belli sumptus pecunia suppeteret, a magistratibus Reipublicæ debitores ad solvendum durius cogebantur: cum Pontifice actum ut ecclesiasticorum bonorum decumas vendi liceret: vectigal molendinarium, sex singulos in sextarios assibus adjectis, ad decennium in urbe auctum. 1537

*Pecunia a Senatu cōparata, vectigalia imposita.*

# Finis Libri Quarti.



EPI-

# EPITOME.

*Corcyram omnibus viribus Turcae aggressi, paullo post soluta obsidione, discessere. Scardonam in Dalmatia Pesareus deditione in Reipublicae fidem recepit. In Peloponneso Nauplium, & Epidaurum Turcarum praefectus Cassinus frustra tentavit. Pluribus Aegaei insulis, quae in Venetorum ditione erant, Chariadenus Byzantium revertens, foedissimam vastationem intulit. De instauranda cum Suleimano amicitia magnis contentionibus actum in Senatu est. Foedus inter Paullum III. Pontificem, Carolum Caesarem, & Venetos contra Turcas ictum est, Angliae, & Galliae Regibus id moleste ferentibus. Cassinus Nauplium arctissima corona, & operibus cinxit. In Illyrico variante fortuna pugnatum est. Sicensium virtus, & singularis erga Rempublicam fides enituit. Ad Caesarem Galliae Regi jungendum Pontifex Niceam profectus est. In decem annos induciae factae. Farnesiorum res mirifice auctae. Marcus Grimanus, Patriarcha Aquilejensis, pontificiae classis praefectus Nicopolim haud prospero eventu adortus. Andreae Auriae, supremi universae foederatae classis praefecti, seu ignavia, seu avaritia, bis ad Ambracium sinum delendae turcicae classis occasio e manibus amissa est. Neocastrum ad Rhizonici sinus fauces a Venetis expugnatum, Hispani contra foederis leges, Auriae jussu, occupavere. Praeterea Francisci-Mariae, Urbinatium Ducis, mortem, Camertium ducatum ab ejus filio Pontifici, auctore Senatu, traditum, Andreae Griti, Venetiarum Principis, obitum, Petri Landi in ejus locum successionem continet, bellicosque in annum insequentem apparatus.*

HI-



# HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI

## LIBER QUINTUS.



DUm hæc Venetiis ſummo ſtudio fierent,
Romæ de fœdere adverſus Turcas ineundo 1537
ſedulo agebatur. Res magnæ molis erat;
quæ non facile explicari poſſet: multæ maritimæ, ac terreſtres copiæ ad hoſtem invadendum cogendæ erant, quem ſuperioribus victoriis intumeſcentem aliqua felicis eventus ſpe adoriri difficile admodum, ob ingentem de illius potentia conceptam opinionem, cenſebatur. Triremes ducentæ, omnis generis cum majora, tum minora navigia ad claſſem conflandam requiri videbantur; quinquaginta peditum millia, quatuor equitum paranda erant. Multa de fœderum conditionibus, quota pars ſingulis pecuniæ, virium maritimarum, ac terreſtrium contingeret, diſceptandum erat. Quæ cum mora egerent, præſentemque opem Corcyræorum rebus expoſcentibus, cunctatione ad claſſes conjungendas mi-

1537 minime opus esset, Pontifici Christianorum Principum fœdus,
*Fœderis cōtra Turcas publicatio.* quo adversus Suleimanum bellum indiceretur, in aliud tempus conditionibus rejectis, promulgari placuit: id Romæ, ac Venetiis summa celebritate, & mortalium frequentia actum est. Gaspar Contarenus Cardinalis, Pontifice, universo Cardinalium collegio, ac Principum legatis præsentibus, in divi Petri basilica, missarum solemnia sacrificia peregit; mox latino sermone habita est oratio, qua & Deo immortali gratiæ de inita societate, & ad egregie pro republica christiana operam navandam, fortiter adversus barbaros pugnandum, incitamenta continebantur. Cæsaris, ac Reipublicæ oratores, Venetique Cardinales, de more Pontificis pede deosculato, atque ad oris osculum admissi, ab eo una cum Cardinalis Sanctæ Crucis, viro Hispano e Franciscana familia, convivio excepti fuere. Venetiis quoque Senatus decreto in divi Marci basilica, & singulis civitatis templis sacra peracta, ac supplicationes habitæ sunt.

*Venetorum bellici apparatus.*

Patres inde majori solicitudine ad bellum necessaria comparare; complures militaris disciplinæ scientia clari, atque in Rempublicam summa observantia propensi fortunas, atque industriam offerre: inter hos Gabriel Ripa, qui Jaderæ publicis stipendiis merebat, ad subsidium Corcyræ inferendum suam operam detulit. Mercurius Bua, in Peloponneso natus, multis clientibus, atque amicis stipatus, in ea provincia complura ad Reipublicæ incrementum se gesturum pollicitus est. Alexander Vitellius annuo duorum millium aureorum stipendio inter Reipublicæ præfectos conscriptus. Ut majores triremes, ac naves Alexandro Bondimerio, Galeonis præfecto, parerent, decretum. Urbinati imperatori decem aureorum millia ad pedites decem mille conscribendos, quot Reipublicæ contingerent, tributi. Pesareo imperatori præcipitur, ut, Nicolao Bondimerio, sinus præfecto, ad illius custodiam relicto, cum universa classe Brundusium iter faceret, ut, ibi maritimis fœderatorum coactis viribus, Corcyræ subveniretur. A Proregibus Siciliæ, ac Neapolis petitum, ut quamprimum quinquaginta tormentorum magistros cum suo præfecto, ac quingentos pedites Corcyram sumptibus Reipublicæ mitterent: a Neapolitano præfectus tormentarius cum nonnullis magistris, ac sulphu-

*Mandata Senatus ad Pesareum classis imperatorem.*

rei

rei pulveris cadis: a Siculo aliquot peditum vexilla transmissa. 1537.

Andreæ Auriæ, qui tum Neapoli erat, literæ dantur; iis petitur, ut Brundusium cum classe profectus, se nostris adjungat. Epistolis per Gasparem Basalum Venetorum negotiatorum, qui tunc Neapoli morabantur, consulem redditis, nihil Auria permotus; modo se Massiliam, ut cum Gallica classe confligeret, modo Genuam, ut triremes reficeret, iter sibi habendum dicere. Basalus flagitare, ut tantisper subsisteret, donec Roma Cæsareanorum mandata de consociandis classibus ad subsidium Corcyræ subvehendum acciperet. Ad hæc Auria: sæpius Pesareum, Reipublicæ imperatorem, ut arma ad Chariadenum opprimendum sociaret, invitasse: quando nullo negotio cum octoginta triremibus per Corcyræum fretum transeuntem, haud dubia victoriæ spe adoriri, ac superare in eorum potestate esset; id Pesareum renuisse, mandata Senatus, ut in neutram inclinaret partem, habere dictitantem: quod præcipuum Ottomanorum maritimum robur incolume evasisset, culpam ad Venetum imperatorem pertinere; inde de reliqua illorum oppugnanda classe spes recisas, quam, si cum Chariadeno pugnatum esset, ad Aulonem delevisset: tandem Venetorum consilia improbare, quod medii inter Christianorum imperatorem, ac Turcas se gererent: classi Venetæ se adjungere nullo pacto posse; jam armatas naves dimisisse, triremibus pontificiis, & Melitensibus protectionem permisisse; modo per remigum paucitatem, ac lassitudinem sibi id non licere. Ad ea Basalus: quod Pesareus ad Aheneobarbum debellandum maritimas Venetorum vires cum Cæsareana classe non conjunxisset, mandata Senatus obstitisse: consiliorum rationes Pontifici, & Cæsari expositas, probatas fuisse; nunc, immutatis rebus, hostes Corcyram adortos; fœdus Romæ, ac Venetiis percussum: cur in præcipua insula defendenda ardentes alioqui spiritus in ipso tepescerent? cur locum, in quo tantum momenti ad Italiæ incolumitatem situm erat, immaturo consilio desereret? an non tantum auctoritate, ac præclare gestarum rerum fama terroris hostibus afferre posset, quantum si perpaucæ illæ naves, ac triremes, quas se dimisisse ajebat, adessent? Visus aliquantisper commoveri Auria;

*Senatus ab Andrea Auria, ut classem cum Pesareo conjungat, petit.*

*Andreæ Auriæ responsum.*

qua-

1537

*Andreæ Auriæ decretum Genuam proficiscendi. Pauli Pontificis literæ & Cæsaris oratoris officia, ut Auriam de sententia dimoverent.*

quapropter, Gaspare dimisso, rursus quid ea in re agendum esset, expendere velle ait. Non longe progressus Basalus, veredarium cum literis obvium habuit: itaque statim conscensa trireme reversus, illas, multis adjectis suasionibus, ac precibus Auriæ detulit. Verum neque his inflecti illius animus potuit; cum statutum sibi esse affirmaret, Genuam ad classem instaurandam statim pergere, naves cogere, reliqua ad belli apparatus necessaria expedire; in Hispaniam, ut de Cæsaris mente certior fieret, scripturum; interea de fœderis conditionibus singillatim agi posse. Pontifex, Auriæ tergiversatione audita, ut quantum in se esset, præceps consilium moraretur, literas ad illum sua manu exaravit. Cæsaris orator per dispositos equos Centumcellas iter habuit, ut litora illa legentem Auriam ab incepto cursu detineret, pontificiisque literis traditis, Cæsaris mentem exponeret: at jam illo prætervecto, Pontificis tantum missis literis, Romam rediit. Iis Venetias allatis, Patribus infausta ea initia belli videbantur; inexpectatoque Auriæ consilio præclara spes, quæ ad fœdus tam cito percutiendum incitaverat, non modo imminuta, verum prorsus abjecta videbatur. Attamen cum in magnis, atque arduis rebus impedimenta sæpius animi firmitate, & consiliorum constantia superentur, Senatus statim Cæsari quæ acta essent, significavit, atque ut de consocianda classe mandata mitteret, flagitavit. Agitatum deinde, an, Auria in mare Ligusticum profecto, Senatus decretum, quo Brundusio Pesareus proficisci jussus fuerat, abrogari opporteret. Franciscus Donatus eques, Consilii Sapiens, ob id in primis abrogandum censebat, quod undique percrebresceret, Chariadenum cum triremium manu in sinum Adriaticum venturum: neque tutum arbitrabatur, Dalmatiæ universam oram immanissimi hostis crudelitati, atque avaritiæ indefensam objicere. Vincentius Capellius collega e contra, nova Pesareo mandata dare, neque dignitatis, neque utilitatis publicæ esse; fama de jungendis Brundusio classibus pervagata, haud parum terroris hostibus injectum, quibus, Pesareo, Brundusio relicto, in sinum Adriaticum penetrante, animi augerentur, ubi Auriæ discessus causas, abjectaque de jungendis classibus consilia intellexissent: tutius quoque in Brundusii portu classem eo anni tempore de-

*Senatus officia, ut Cæsar mandata de socianda classe mitteret.*

ti-

tineri posse. Itaque de priori Senatusconsulto nihil mutatum est. 1537

Dum hæc geruntur, atque omnia ad bellum cum potentissima gente summo studio, ac solicitudine comparantur, Suleimanus, qui jam, ut diximus, pridie nonas septembris Buthrotum pervenerat, vigintiquinque peditum millia, ac triginta bellica tormenta Corcyram transmiserat, ut quæ Aheneobarbi avaritiæ, atque odio superfuerant, novis afflicta cladibus diriperet, ac incenderet. Ajax supremus Bassa, quem *Visirum* Turcæ vocant, & Aheneobarbus speculabundi propius ad oppidum accedunt, ut opportuna ad oppugnandum loca deligerent, cum præfecti antiqua suburbia, ne si in hostium potestatem venissent, illis protecti ad mœnia tutius, ac facilius accederent, excindi jussissent. Hostes opere tumultuario munitiones quatuor ad urbis conspectum erexere, ut, turbine tormentorum excusso, muros quaterent, ac nostros e mœnium corona deturbarent. Sed ob intervallum, quod longius intercedebat, globorum impetu, prius quam mœnia pertingeret, remisso non modo, verum extincto, nihil nostris incommodi, aut damni inferebatur. Itaque triremibus circumvecti hostes, qua oppidum ad austrum spectat, mœniaque magis depressa sunt, ac nulla fluctibus moles opponitur, ad certiorem bene gerendæ rei spem loci propinquitate adducti, e proris majora tormenta displodunt, metu potius propugnatorum, quam damno. Nonnullæ ex iis triremibus a nostris, bellicis machinis ex oppido excussis, in mare altum demerguntur. Chariadeni triremis pila ferrea rostrum, ac tabulata, quæ a nautis *palmetæ* dicuntur, fracta, & comminuta sunt. Incolarum magna pars in totius insulæ consternatione, ac terrore, ut saluti prospiceret, in Euripum convenit; plerique potius fame confici, & ingenti imbrium vi, quæ per eos dies e cælo defluxerat, obrui, ac mergi, quam hostibus se tradere maluere; multi funibus in oppidum pertracti; compluribus, agrestibus præcipue hominibus, Angelocastri arx ad meridiem sita præsidio fuit. Verum cum neque terra, neque mari Turcæ proficerent, atque eam esse oppidi, portusque munitionem, ut prope inexpugnabilis videretur, animadverterent; morbi passim grassari in classe, commeatu exercitus laborare cœpisset: susceptæ Corcyræ

*Corcyrææ suburbia a Venetis diruta.*

*Chariadeni triremi a Corcyræis damna illata.*

*Turcica classis morbis & commeatus inopia vexata.*

rææ

1537

*Ajacis Bassa cum Canali sermones de pace Turcæ a Corcyræ oppugnatione discedunt.*

ræ expeditionis Suleimanus pertæsus, solvere obsidionem, auctore in primis Ajace, decrevit. Is Canali legato, qui adhuc in castris morabatur, ad se vocato significat, si Veneti damna Suleimano illata sarcire, injuriasque suis inflictas, uti a Reipublicæ mente alienas, vindicare velint, daturum quamprimum operam, ut, Corcyræ obsidione soluta, a Venetorum finibus classis, atque exercitus abducerentur, animusque Regis infensus ad pristinam cum Republica pacem instaurandam flecteretur. His Canali significatis, paulo post, tertio scilicet idus septembris, Suleimanus castra movens Corcyra discessit: sequenti die Chariadenus, tormentis triremibus impositis, cum classe tota solvit, miserrimæ plebis septem millibus omnis sexus, & ætatis in servitutem abductis, ingentique omnis generis animalium præda: in Buthrotia regione, atque in Paxo insula, quæ exiguo intervallo a Corcyra distat, atque olim illi conjunctam, a maris æstu secretam fuisse ferunt, barbaricæ crudelitatis fœdis vestigiis relictis. Constat Suleimanum ab Apuliæ expeditione ad Corcyram oppugnandam consiliis, atque adhortationibus Chariadeni, Veneto nomini infesti, impulsum fuisse; atque ab incepto non alio, quam rei difficultate, ac prope desperato exitu deterritum, cum oppidum turritis munitum propugnaculis, perampla fossarum latitudine, locorum situ ad hostium conatus repellendos, aut eludendos in primis esset accommodatum: his vigil cura, atque industria præfectorum accederet; immensis prope iis diebus e cælo pluviis demissis, quæ omnem Turcarum impetum, autumno propemodum senescente, restinxere. Pontifex cum de hostium discessu loqueretur, dixisse fertur, jure Andream Auriam obstinatæ mentis pœnas dedisse, cum ex repentino Neapolis discessu eam laudis gloriam amisisset, quam, si Brundusium se contulisset, universam sibi procul dubio ventosa jactatione usurpasset.

*Caccianerii, Ferdinandi Regis præfecti, ad Saccum de Turcis victoria.*

Contigit per hos dies, ut Caccianerius, Ferdinandi Romanorum Regis præfectus, ad Saccum amnem, prælio magna Turcarum manu devicta, insignem de hoste victoriam retulerit. Quapropter in divi Marci basilica a Principe, ac Senatu ob liberatam Corcyram, & superatos ad Saccum Turcas Deo Optimo Maximo, Cælitibusque gratiæ actæ: ibidem a Venetiarum summo Antistite missarum sacrificiis rite peractis, suppli-

pli-

plicationes ad omnia templa habitæ, publice, ac privatim cœnobiis, & piis collegiis egestate pressis largitiones factæ. Pesareus imperator a Senatu jubetur, ut nisi belli aliquo graviori obeundo munere detineretur, Corcyram peteret, ut incolarum, atque oppidanorum, quantum in se esset, præteritas clades solaretur, Senatusque benevolentia testata, ad spem meliorem erigeret: pecunia quoque publica coempta ad suburbia reficienda materia, atque transmissa. Scardonæ tunc Pesareus imperator erat, qui, paucis ante diebus cum Viturio consilio inito, in sinum urbi propinquum classem intulerat, expositisque in terram militibus, oppidum adortus fuerat. Septem circiter passuum millibus a proximo litore Scardona distat, clara olim civitas, non longe a Sico urbe remota, potius situs opportunitate, quam opere munita; nam uti ad omnem adjacentem regionem vexandam valde est opportuna, ita tenui muro, atque infirmo septa, licet duas haberet arces, hostiles incursus diu sustinere non poterat. Itaque Veneti, propugnaculis toto muro decussis, dum irrumpere in oppidum parant, hostes, impetu non expectato, deditionem Pesareo classis imperatori fecere; qui, ut milites victoriæ insolentes reprimeret, vitam, resque oppidanorum incolumes tueretur, ne qua a militibus injuria inferretur, unicuique abeundi, quo vellet, facultas esset, edicto cavit. Verum milites prædæ iniquo victoriæ præmio inhiantes, non sine ingenti incolarum cæde oppidum diripuere: in eo tumultu Jacobus Mudaccius, unus e trierarchis Cretensibus, est interfectus; complures in penitiora loca se recipientes cum in armatorum e Sico globum incidissent, profligati, ac deleti sunt. Oppido Franciscus Salomonius menstruo quadraginta aureorum stipendio ab imperatore præficitur, donec quid e Republica videretur, Senatus constitueret: nam altera arcium diruta, ut circumjecta regio tutius in Reipublicæ potestate contineretur, de reliqua munienda actum est: postea re maturius discussa, ut mœnia funditus everterentur, Senatus decrevit; ne Turcæ, repetita possessione, instaurandi, atque muniendi oppidi rursus occasionem arriperent.

*1537*

*Supplicationes & largitiones a Senatu habitæ.*

*Scardona a Pesareo capta & direpta.*

Eodem tempore Joannes Viturius, alter classis Venetæ imperator, Franciscum Lauretanum, Donatum Cornelium, & Pau-

1537 *Gabriel Ripa copiarum Jadertinarum praefectus.* *Nicolaus Bōdimerius sinus Adriatici praefectus.*

Paulum Vendraminum, triremium præfectos, ad Obroatium oppugnandum misit. Extat oppidulum illud cum arce a mari sex passuum millibus: Argyrutum priscis fuisse fertur: inde Turcæ Uscochis conjuncti cum vicina loca, ac maria latrociniis, & cædibus infesta reddidissent, tutum ibi perfugium & receptum habebant. Quapropter ab Jadera exiguo illius maris sinu circumvehi copias jussit, Gabrielemque Ripam, Veronensem, copiarum præfectum, cum sexcentis navalibus sociis, ac vigintiocto triremium remigibus ad oppidum oppugnandum mittit. Nicolao quoque Bondimerio, sinus Adriatici præfecto, mandat, ut cum biremibus nonnullis, ac triremibus, quibus tormenta bellica ad verberanda mœnia opportuna conveheret, præsto esset. Veneti oppidum adorti peracre certamen cum hostibus iniere, qui cum paucitatem virtute, ac fortitudine superarent, pugnam intrepide sustinuere, donec fessi, pristino ardore remisso, oppido nostris relicto, in arcem se recepere. Quoniam vero, muralibus tormentis nondum in terram expositis, majore nixu quatere oppidum non poterant, minutisque pilis nihil proficiebatur, Viturium que statim Corcyram petere Senatus jusserat, Ripæ nuntiandum curavit, ut nisi quamcelerrime arcem in suam potestatem redigere posset, oppido, ac suburbiis incensis, ad se regrederetur. Duas ob id triremes ad milites excipiendos misit, qui cum terrestre iter per aspera montis juga habere maluissent, superventu Amurathis, qui cum triginta Turcis equitibus arce exierat, ac tumultuariam Uscochorum peditum manum sibi adjunxerat, in fugam conjecti, cæsi complures, multi capti fuere. Gabriel Ripa, conscenso equo, cum nullum neque ducis, neque militis officium præstitisset, turpi fuga salutem quæsivit: inde cum a Pesareo Senatus decreto de militari crimine quæstio haberetur, haud multo post in ipsa prætoriæ prora capite pœnas dedit. Sed nihil æque ea tempestate Patrum animos extimulabat, quam ut Corcyra insula, quæ jam barbarorum conatus, & vires felici eventu experta fuerat, ita in posterum muniretur, ut si Suleimani animum illius denuo invadendæ cupido incesseret, pro fortissimo Italiæ muro objiceretur. Urbinatum Ducis, cui Antonius quoque Tifernas adstipulabatur, ea erat sententia, ut quamprimum oppido adjacentia loca diruerentur, ac mons, quem *Castratarum* vocant,

*Obroatium a Venetis invaditur.*

*Gabriel Ripa capite damnatus.*

*Senatus decretum de Corcyra munienda.*

so-

solo æquaretur : duo propugnacula, quæ extrema latera cingebant, protenderentur : fossæ e regione sitæ ampliores fierent. Nihil ex iis demoliri oportere arbitrati, ne si in sequentem annum denuo hostes insulam adorirentur, aditus ad oppidum pateret: ut hæc perficerentur, quinque Corcyram triremes contendere, illarumque remiges in opere insudare Senatus jussit. Michael ex Divi Michaelis oppido, ædificandarum arcium peritia clarus, cum quingentis fossoribus, quinquaginta lapicidis eodem ire jussus : decem aureorum millia, quæ in oppido instaurando, ac muniendo insumerentur, transmissa. Classis imperatores, atque celebriores maritimi præfecti Corcyram se contulere, ut de iis, quæ ad munitionem attinerent, decernerent, & Corcyræorum animos, uti a Senatu jussi fuerant, confirmarent. 1537

Suleimanus, Corcyræ obsidione soluta, per Acarnaniam, & Aetoliam Byzantium reversus, Cassino Peloponnesi præfecto mandavit, ut, quam maximis posset ex propinquis regionibus copiis collectis, Nauplium, & Epidaurum, Veneti imperii in Peloponneso urbes, aggrederetur. Reliquæ ea tempestate hæ civitates Reipublicæ in ea provincia erant, cui superioribus ætatibus cum universæ imperasset, ad isthmum prævalido muro extructo, peninsulam adversus barbaros tutata fuerat: proximo vero bello cum Bajazete gesto, Corone, ac Methone amissæ fuerant; Nauplium, & Epidaurum, vel situs natura, vel opportunitate portuum, vel civium egregia, ac spectata in Venetos fide, summi momenti censebantur. Nauplio Victor Garzonius magistratum, quem *bailum* vocant, gerebat, vir longæva ætate, ac multarum rerum usu præstans. Is omnibus, quæ ad oppidum defendendum necessaria erant, sedulam operam navaverat; cum illud quoque opportune per eos dies accidisset, ut Hieronymi Cornelii navis ad urbem appelleret, quæ commeatum, ac pecuniam in usus belli magistratui detulit; ad hæc quatuor aureorum millia, frumenti sestarium duo millia a Senatu Nauplium missa. Epidaurum quoque milites, atque argenti vis, ac sexcenti frumenti sestarium subsidio transmissi. Verum Cassinus frustra Epidauriorum pertentatis animis, cum aliquos dies ad Nauplium castra habuisset, difficillimam fore expugnationem ratus, cum neque ad vim inferendam, neque ad circumcingendam obsidione urbem pares copias haberet, discessit.

*Suleimani mãdata ad Cassinum Peloponnesi præfectum.*

*Victor Garzonius Nauplii præfectus.*

*Turcæ Nauplii & Epidauri oppugnatione deserunt.*

1537 Eodem tempore, cum Luphtibejus intra Hellespontum se recepisset, Chariadenus cum septuaginta triremibus, triginta partim biremibus, partim myoparonibus, ne aliquid ad effundendam in Venetos animi rabiem prætermitteret, per Aegæum mare prædabundus excurrens, multas ex Cycladibus, quæ Veneto obtemperabant, occupavit, ac diripuit: in his Scyros e regione Pegasici sinus sita, portuosa, octoginta mille passuum ambitu, ubere admodum solo, olim incolarum frequentia insignis, quatuor oppidis distincta; tunc vero populorum infrequentia pristinum cultum, ac decus amiserat. Pathmos parvo circuitu universa montibus, & collibus distincta, nec non metallorum venis scatens, Joannis Apostoli atque Evangelistæ cælestibus visibus illustrata, quos, dum a Domitiano exilio damnatus esset, in ea insula e fonte Divinitatis exhausit: inde cœnobium illius nomine extructum, templumque erectum est, quod hodie magna cum religione invisitur. Aegina quoque, non longe ab Eubœa sita, incolarum numero, ac portu conspicua, cui prætor publico nomine præerat; ab ea captivorum ad septem millia abducta fuere, quod vix credibile videretur, nisi ad vetustatis fabulas respiceremus, quibus ad Aeaci infortunia lenienda formicæ in homines mutatæ dicuntur, ut inde accolæ Myrmidonum nomen assumpserint. Nea insuper, quam quadraginta passuum millia ambiunt, easdem injurias, & clades perpessa, glebæ insita a natura proprietate insignis, ut quocumque deferatur, venefica animalia arceantur: in potestate Pisanæ gentis patriciæ eo tempore erat: nam cum orientale imperium, Venetorum, ac Gallorum consociatis armis, Byzantio expugnato, a Græcis ad Latinos translatum fuisset, tertiaque fere illius pars Venetæ Reipublicæ accessisset, in ea rerum omnium agitatione Senatusconsulto civibus permissum fuerat, ut privato sumptu Aegæi insulas occupare, suique juris facere liceret: inde pleræque Cycladum ad privatos attinebant. Inter has Astympalea, octoginta octo passuum millium circuitu, ubi liberam fuisse civitatem Plinius memorat, Quirinis obnoxia, eodem turbine jactata est, quam olim a piratis pene destructam Joannes Quirinus ea tempestate instauraverat, qua Constantiense Concilium anno

*Aegæi insulæ a Chariadeno occupatæ.*

anno M. CCCC. XXXIIII. celebratum fuit. Paros marmorum præſtantia illuſtris, poetarum carminibus inſignis, quæ candore adeo præſtant, ut e longinquo nivis ſpecie obtutum fallant: Marpeſus mons reliquis ſublimior cum aquarum ſcaturigine, tum marmoris excellentia clarus: ad ſeptentrionem Paron oppidum cum ejuſdem nominis portu habet, ibi fontem eſſe ferunt, quo album linum, vel corium immiſſum, nigredinem contrahat: quinquaginta milliarium ambitu conſtat: Veneriæ familiæ tunc parebat, quæ cum ad Bernardum Sagredum ſucceſſionis jure ſpectaret, ut illam adverſus hoſtes tueretur, eo ſe contulerat, quorum impetum cum fortiter per aliquot dies ſuſtinuiſſet, tormentario pulvere deficiente, oppidani deditionem facere coacti fuere: incolumes ab hoſtibus relicti, complures capti, inter quos ipſe quoque Sagredus, qui poſtea Epidaurienſis cujuſdam opera, qui ad tranſtra, dum olim trierarchus eſſet, remigio diu vitam traduxerat, libertatem eſt adeptus. Naxos, cui inter Cycladas principatus tribuitur, vitium copia olim Baccho dicata, Dionyſiæ, & ubertate frugum parvæ Siciliæ nomen ſortita, Joanni Criſpo parebat. Chariadenus cum ad inſulam appuliſſet, nuntium ſtatim ad Joannem miſit, qui diceret, ni deditionem faceret, hoſtilia omnia expectaret: oppidani, atque incolæ perterrefacti, cum impetum hoſtium perhorreſcerent, potiuſque in barbarorum miſericordia, quam in armis ſpem reponerent; Criſpus, annua quinque aureorum millium penſione pacta, ſtatimque in ſequentem annum ſoluta, in veteri ditione inſulam retinuit; licet a libidine, ac furore militum cuncta diripientium, & vaſtantium ſe accolæ eximere non potuerint, præda ſupra vigintiquinque aureorum millia abacta. Tenenſes natura loci, ac munitionibus, opera, atque impenſa haud exigua ſtructis, cum obſiſtere hoſtibus potuiſſent, aliorum exemplum, fortunamque ſequuti, oppidi, atque inſulæ tutandæ ſpe abjecta, ultro in Chariadeni poteſtatem conceſſere: paulo poſt factum pertæſi, ac rubore perfuſi, quod, vi non expectata, turpiter defeciſſent, ad Cretæ magiſtratus miſere, qui militum præſidium, & præfectos Venetos expoſcerent. Neque Cythera prima Aegei maris inſula, quæ a Cytherea nomen ſumpſit, Turcarum excurſiones, ac direptiones evaſit. Tot, tantiſque cladibus

1537

*Bernardus Sagredus a Chariadeno captus.*

*Joannes Criſpus, pěſione cum Turcis pacta, Naxũ retinet.*

*Tenos rurſus Venetorum imperium amplectitur.*

1537 Aegei maris insulis peragratis quamplurimis ; & prædivitibus onustus spoliis Aheneobarbus Byzantium se contulit.

*Franciscus Paschalicus classis legatus in Cretam mittitur.*

*Joannes Maurus cũ imperio Cretæ præficitur.*

*Andreas Gritus Cydoniæ præfectus.*

Cum vero de Cretica in sequentem annum expeditione rumor vulgaretur, Pesareo imperatori mandatum est, ut Franciscum Paschalicum, classis legatum, cum triremibus viginti in Cretam mitteret. Joannes Maurus cum summa auctoritate præfectus deligitur: Andreas Gritus Cydoniæ præficitur. Interea Collegii Patres decretum tulere, quo Carolo, de Corcyræ obsidione soluta, & pace cum Republica ineunda injectis a Turca sermonibus, scribendum censebant; statutum Senatui esse, fœderi subscribere; Romam facultatem ad illud iciendum mitteret. Adhortationes addebantur, quibus ad expeditionem in barbaros hostes ea virtute, qua sæpius præliis interfuerat, suscipiendam invitaretur: rem tanto Principe dignam, qua priscam superiorum ætatum memoriam, ac res præclare gestas æquare non modo, verum etiam superare posset: ceterum afflictis, & labentibus christianæ reipublicæ rebus unicum præsidium illud futurum, si, omnibus sublatis controversiis, cum Francisco Galliarum Rege pace inita, ambo adversus Ottomanorum gentem invicta arma, fœdere sociati cum Republica, sumerent: hoc uno certam victoriæ spem niti, qua barbaræ gentis jugum ab innoxiorum populorum cervicibus excuteretur, ac infesti cunctis Turcarum ausus, & conatus frangerentur.

*Joannis Donati, & Antonii Erizzii disputationes in Senatu.*

Joannes Donatus, qui prima juventa magistratum, cui maritimarum rerum cura committitur, a rerum navalium disciplina *Sapientis ordinum* nomen sortitum, gerebat, bini oratores ut mitterentur, suasit; alter ad Carolum; alter ad Regem, ut illos Senatus nomine ad pacem adhortarentur, atque octo dierum spatio itineri se darent; tantam rem per oratores melius, quam per literas confici posse: Pontificem, ut Rempublicam ad fœdus ineundum impelleret, nuntio legatum addidisse: Cæsarem Loppesio Soriæ ordinario oratori Petrum Gonzalium extra ordinem pro Italica societate misisse. Cur igitur, ut ad Principum tam difficillimo tempore conciliandos animos Senatus oratores non mitteret? quid egregii in hostes agi posse, dum distractæ, atque avulsæ Cæsaris vires Gallico gravissimo bello detinerentur? verendum esse, ne to-

tius

tius Turcici belli onus in Rempublicam incumberet. Antonius Erizzius, Donati collega, contra disserebat: ad novos oratores mittendos nihil urgere, cum paulo ante Christophorus Capellius orator in Gallias profectus fuisset, cui, ut pro pace inter Regem, & Cæsarem firmandam laboraret, injunctum fuerat: propediem Petrum Moccenicum, ad Carolum oratorem designatum, in Hispaniam iturum, qui eodem officii genere fungeretur, ut alias ingerere legationes supervacaneum esset; neque inde, nisi inanis rumoris aura captaretur, atque ad Suleimani iras in Rempublicam acuendas incitamenta submitterentur, spes, ac mentio pacis penitus præcideretur, ex qua saltem illud emolumenti capi posset, quod fœdus majori Reipublicæ cum utilitate, tum dignitate sanciretur. 1537

*Induciæ inter Cæsarē & Galliæ Regem.*

Dum inter præstantes juvenes pari eloquentiæ, & pietatis in patriam laude disceptatur, ex Hispaniis literæ supervenere: inter Cæsarem, ac Regem inducias in decem menses pactas fuisse, Heleonora Regis uxore, & Margareta sorore Navarræ Regina cum Maria Caroli germana, Pannoniæque Regina convenientibus, ut immania diuturni belli incendia induciis proximo ad pacem gradu restinguerentur: ea de causa, ut Belgio gravissimis bellorum cladibus afflicto præsentem opem ferrent, Cæsareani ad inducias descendisse ajebant, cum revera pecuniæ inopia adactos fuisse constaret, longinquis Peruanæ regionis argenti fodinis, atque ex Hispaniæ conventibus tardis tributis, immensis belli sumptibus haud paribus. Senatus frequens Collegii Patrum sententiam est amplexus: additæ ob inducias publico nomine gratulationes, atque adhortationes, quibus Principes ea tempestate, sæviente Turcico bello, ad præclarum, atque utile pacis, ac pietatis decus accenderentur. Ut in idem quoque summo studio niterentur, iisdem officiis cum Pontifice, & Galliarum Rege Senatus egit, quo, semotis Christianorum Principum dissidiis, armisque reconditis, majori animorum ardore bellum adversus communes hostes administraretur. Legati quoque ad Poloniæ Regem, & Imperii Electores designati, ut communi cum reliquis Principibus societati se adjungerent. Duo deinde patritii, Aloysius Badoarius ad Cæsarem, Franciscus Justi-

*Senatus officia pro pace.*

*Veneti legati ad Poloniæ Regem & imperii electores.*

*Aloysius Badoarius ad Cæsarē: Franciscus Justinianus ad Galliæ Regem legati.*

1537 stinianus ad Regem missi, ut omni studio ad concordiam ineundam illos hortari, atque impellere niterentur. Romæ, dum hæc gererentur, & quæ ad fœdus sanciendum spectabant, intentius atque acrius urgebantur, Marcus Antonius Contarenus legatus publica mandata petit. Collegii Patres iciendi fœderis decretum ad Senatum tulere, atque ut seorsim Contareno darentur literæ, ne conditionibus subscriberet, prius quam de iis Senatus mentem intelligeret.

*Aloysii Gradonici oratio.* Contra Aloysius Gradonicus graviter, & copiose disseruit: vetere majorum instituto ita comparatum esse, ut de gravissimis rebus, quibus salus, incolumitasque Reipublicæ contineretur, Senatus libere decerneret: modo, prisca immutata ratione, invitum, ac nolentem trahi, dum ii, qui fœdus amplectendum censerent, omnes cum Suleimano pacis tractationes abrumperent: hinc nullum Canali legato de redintegranda pace responsum, ut percusso fœdere, ad bellum suscipiendum Senatus impellatur. *An*, inquit, *Caroli dubia consilia non agnoscimus? qui mense septembri sibi datis a Senatu literis nondum respondit? An vero quæ maxime optamus, adeo facilia nobis esse suademus, ut quæ per tot annos dissidia Carolum, & Franciscum exercuere, ea momento componantur? Compertum illud est, Cæsarem Mediolanense imperium Regi numquam traditurum, ni loca munitiora detineat, donec Aurelianensis Dux in illius possessionem missus, beneficiario sibi jure obstringatur: Rex contra, nulla interjecta mora, liberos Insubres deposcit. Putamusne tantas maxima de re controversias adeo facile dirimi posse, ut discordes animi in mutuum adversus barbaros bellum conspirent? Quid porro Pontifex? qui, ut maxime incensus in communem societatem videatur; attamen de hoste invadendo, deque universa expeditione consilia ad anni sequentis kalend. majas rejicere se velle inquit, quo tempore in Concilio de religione agendum erit. Bellum interim in dies acerbius adversus nos committitur; loca maritima cæde, vastationibus, incendiis deformantur; populi miserrima servitute affecti, nihil non luctuosum, ac funestum præseferunt: præter*

*ter*

*ter Corcyræ obſidionem, in qua nihil a barbaris vel ad crudelitatem durius, vel ad avaritiam crudelius prætermiſſum eſt; Nauplii, & Epidauri urbes petitæ, agri vexati, Cyclades inſulæ, quæ Veneto parebant imperio, pene omnes occupatæ: & tamen qui adjutores ad immenſum hoc pondus ſuſtinendum nobis fuere? Bellum cum potentiſſimo, atque immani hoſte gerendum nobis erit, cujus terreſtres maritimæque vires tanta jamdiu incrementa ſuſcepere, ut formidinem Chriſtianis Principibus incuſſerint. Cur igitur de concordia cum hoſte ineunda prius non decernitur? quæ ſi æquis conditionibus obtineri queat, quis non certam pacem difficillimo, ac periculoſiſſimo bello antetulerit?* 1537

Ad hæc Marcus Foſcarus, Conſilii Sapiens: *quin penes Senatum ſumma totius Reipublicæ ſit, ambigere neminem; nihil ſubdole, aut ex compoſito a Collegii Patribus agi; an non Senatuſconſultum de fœdere factum fuiſſe? qui, cum Suleimanus a Salentinis in Corcyræos, mutata ſententia, expeditionem moliretur, Pontificem, & Cæſarem ad ſocietatem ineundam incitavit; fœduſque Romæ, ac Venetiis cunctorum Chriſtianorum plauſibus adverſus Turcas indictum eſt. An modo mandata flagitantibus minime reſpondendum? quæ prudenter decreta fuere, delenda prorſus, ac reſcindenda ſunt? Scilicet, quo univerſum in nos tantum bellum incumbat, nullis ſociis, nullis adjutoribus cum hoſte dimicemus; qui quo majoribus, uti Gradonicus aſſerere viſus eſt, viribus nititur, ut iis obſiſtere ſoli nequimus, eo magis reliquorum Principum amicitiam, & ſocietatem amplecti debemus. Mirandum non eſſe, ſi adhuc itineris longinquitate a Cæſare literæ minime acceptæ fuerint. At Pontifex ſe in concilio kal. maji de expeditione in Turcas agere inſtituit. Num igitur mittenda ob id ad legatum mandata non ſunt, quibus in rem Chriſtianam bene animato vehementiores gloriæ, atque utilitatis ſtimuli addantur? At Canalis literis reſpondendum; de pace cum Suleimano agendum eſt. Id porro Collegii quoque Patres cenſere, ab æquis conditionibus concordiæ non abhorrere: verum, quod maxime inſtat, id modo ut perficiatur, adnitendum. Quis enim barbaræ genti confidat, quæ teterrimo odio in Chriſtianos imbuta, nihil non quotidie in illorum exitium moliatur;* Marci Foſcari oratio.

*cujus*

1537 *cujus Imperator iniquum Reipublicæ immerenti bellum intulerit, atque ob regnandi libidinem jurisjurandi violatam religionem contempserit?* His, atque aliis a Foscaro dictis, subscribendi fœderi decretum Senatus probavit.

*Senatus decretum de fœdere subscribendo.* *Literæ in Senatu propositæ, ut Canali Byzantium mitterentur.*

Deinde de literis ad Jacobum Canalem legatum scribendis latum est, quarum sententia hæc erat. *Vehementer Senatum commotum fuisse, quod Suleimanus Corcyræ insulam invasisset; atque eo vehementius, quod Alexandri Ursini reditu, uti spoponderat, minime expectato, ut de iis, quæ acciderant, Senatus mentem intelligeret, veteris pacis, atque amicitiæ jura præpropero consilio abrupisset: neque vero Pesareum classis imperatorem in Salentinos profectum, ut suis rebus adversum aliquid moliretur, sed fortuito in Ottomanicam classem incidisse: verum Reipublicæ triremes male habitas, trierarchos captos, illatam immeritis necem, justo animi dolore conqueri: ceterum quæ de Suleimani propensa erga pacem voluntatate Ajax Canali renunciasset, ea Senatui probari, atque id sibi suadere, mercatorum bona, quæ in variis illius imperii locis essent, sarta, tectaque conservatum iri, ne ii, qui regia fide illecti maximas opes negotiorum causa in suas regiones importassent, pessimo exemplo, jure gentium neglecto, deciperentur.* Hæc summa literarum fuit: quibus ad Senatum perlectis, triduum Patribus, ut singuli de re gravissima secum reputarent, quod perraro fieri solet, concessum est; quo exacto, ut in suffragia iretur, propositis ad Senatum literis, Hieronymus Grimanus continentis Sapiens ita loquutus fertur.

*Oratio Hieronymi Grimani.*

*Exploratissimum est, Patres optimi, gravissima nos in re, ac difficillima versari, cum inter dubias belli, pacisque spes anceps animus huc atque illuc impellatur. Nam post triginta atque septem annorum pacem, quam cum Ottomanis Regibus servavimus, quo tempore multæ ab illis virium, multæ regnorum accessiones incredibili felicitate partæ fuere, in difficillimi belli aleam se committere quis maxime arduum, ac periculi plenum non arbitretur? quis non certam pacem ambiguis belli eventibus anteferat? Sed illud attente vos prospicere oportet, ne pacis nomine illecti, exili, atque, ut ita dicam, umbratili illius specie decepti, quæ vobis præcipue ad imperium, ac libertatem sustinendam necessaria sunt, inutili cunctatione,* ina-

*inanibusque verbis deseratis. Nisi vero vos magis barbarorum fide, cujus periculum sæpius fecistis, compositoque ad dolos, fallaciasque ingenio nitendum arbitramini, quam Christianorum Principum fœdere, cui nuper, ut Contarenus legatus subscriberet, mandastis, in quo communem hostem, sociatis viribus, aggredi statutum est. Quis enim nobis Suleimani inclinatum ad pacem animum pollicetur? Qui post Ajacis cum Canali de concordia sermones, non ita pridem Byzantium reversus, uno eodemque tempore diversis in locis acerrimum Reipublicæ bellum intulit; Cassinum præfectum Peloponnesi urbes expugnare jussit; Dalmatiæ oram vastari, ac diripi præcepit; in sequentem annum Corcyræ denuo, atque etiam Cretæ minatur. Neque tunc ad Scardonam, atque Obroatium gesta ad illum perlata fuerant; non urbem eversam, ac solo æquatam; suosque profligatos, non Obroatium expugnatum; quibus incensus, atque inflammatus animus quem iræ modum impositurum arbitramini? Et adhuc spem ex Canalis literis nobis confingimus, quæ tribus jam elapsis mensibus datæ fuere? ex quo tempore variis rerum eventibus, omnis immutata consiliorum ratio est, omnibus undique bellum circumstrepentibus. Quo fit, ut si prudenter, si recte Rempublicam turbulentis hisce temporibus administrare velimus, cuncta studia ad fœdus quamcelerrime conficiendum nobis conferenda sint; Reges ad concordiam adhortandi, ut pace firmior ad tuendam christianam rempublicam gradus muniatur. Videte obsecro, Patres optimi, ne si ii, quos inutiles cum hoste de pace sermones serimus (ut fere necesse est) ad Principum aures pervenerint, remissiores facti, atque priore animorum ardore restincto, fœdus, quod jam tenemus, summo Reipublicæ damno e manibus elabatur. Præceps occasio est; semel amissæ seras pœnitentiæ pœnas damus, quam ultro advenientem amplexi, ingentem bonorum, ac gloriæ cumulum excepissemus. Quo porro animo Pontificem, & Cæsarem in Rempublicam fore censetis, si dum cum iis de societate jungenda agimus, eodem tempore de pace cum hoste tractemus? An quisquam suspicionem ex illorum animis evellere poterit, vos tandem cum Turca consensuros? Quonam igitur sanciendi fœderis spes? quonam Christianorum Principum societas? quam tantopere Turcæ perhorrescunt, ut no-* 1537

1537 *nomine tantum perterrefacti spem pacis objiciant; eam si disjectam, ac dissipatam intelligent, quæ vobis pacis conditiones, vel qui bellorum impetus expectandi sunt? Quis vero ambigat, Franciscum Galliarum Regem, si de pace cum Suleimano Rempublicam agere persenserit, statim a concordia cum Cæsare ineunda aversum fore? spe haud infirma fretum, Carolo cum Suleimano potentissimo, atque acerrimo hoste decertandum esse: inde spes excident, quibus mortalium omnium subnixæ mentes ingentem de Christianorum Principum fœdere opinionem conceperunt. Quid itaque frustra in perniciem nostram verba jactamus? quid tempus terimus? hostibus arma, ferrum terra, marique parantibus, adhuc cunctamur, distinemur, in ancipiti versamur? Imminentibus rerum certis periculis, atque casibus ambigua consilia minime aptanda sunt; expeditis, ac certis sententiis, forti, & bene præparato animo opus est, quo uno disjiciuntur pericula, salus, atque incolumitas Reipublicæ continetur, ac sustentatur.*

Dixerat Grimanus, cum Marcus Minius Consilii Sapiens sic contra differere est adortus.

*Oratio Marci Minii.* *Quo magis ardua in re, atque, ut Grimanus inquit, ad deliberandum difficili versamur, eo magis nobis accurate providendum est, ne extrema consilia amplexi Rempublicam præcipitanter in immensos turbinum, ac procellarum fluctus conjiciamus. Id mihi efficere videntur, qui nullam pacis, nullam concordiæ cum Suleimano sanciendæ mentionem fieri volunt: non ad Canalem rescribi: sermones Ajacis negligi, atque certo, inevitabilique bello Rempublicam implicari. Quasi vero non illud apud cunctas gentes usu receptum sit, ut inter armorum strepitus, tormentorumque fragores pacis aliquando nomen immisceatur. Quis profecto vel in hoc augusto tot Patrum Senatu, vel in universa Republica est, cui si pacis æquis conditionibus cum Suleimano optio daretur, illam ultro lubens non amplexurus esset? Unus Grimanus præcidi illius mentionem oportere arbitratur; bellum, arma, ferrum tantum in ore habet. Contra censet maxima Patrum Collegii pars: si qua rerum cum Suleimano componendarum ratio est; si qua viget concordiæ spes, eam minime extingui, sed ali, & foveri debere; ne aliquando illius spretæ, atque abjectæ nos pœnitentia sub-*

*ſubeat. Neque vero eſt hic commemorandi locus, quot ſumptus, quot incommoda, quot clades ex Turcico bello nobis ſemper immineant. Enumerarem hic amiſſa oppida, urbes, provincias, populos in ſervitutem abductos; direptiones, incendia, vaſtationes; intercepta toto Mediterraneo fere mari commercia; & ſi quid aliud eſt, quod magis acerbum, ac grave menti ſubjici, & prope oculis cerni queat. Verum cum apud illos mihi habenda oratio ſit, qui longo rerum uſu, atque priſca prudentia edocti, nullos non humanarum rerum caſus intelligunt, reprimam me, atque illud unum vere, & conſtanter affirmare audebo, fœderi, quod Romæ agitatur, ea, quæ de pace ad Canalem ſcribuntur, minime officere. Immo illud quoque adjiciam, hanc unam ad fœdus e Reipublicæ dignitate, atque utilitate cito percutiendum viam eſſe, dum Principes veriti, ne Reſpublica pacem cum hoſte ſanciat, mora omni amota, in fœdus quamcelerrime deſcendent. Quod itaque fœderi adverſari Grimanus credit, id ego maxime favere exiſtimo. Neque ambigo propterea, reliquos in nos infenſo animo futuros, cum conſtet, eam quoque pacis tractandæ rationem Pontifici probatam fuiſſe; cum veriſimile non eſse diceret, Rempublicam, objectis ſibi de pace ſermonibus, adeo ſuæ prudentiæ oblitam, ut, iis prorſus neglectis, non tenui ſaltem filo appenſas concordiæ ſpes ad omnem eventum retineret. At ex illis, quæ in Illyrico contigere, iratum eſse Suleimanum pertimeſcimus. Num igitur, concordiæ rationibus prorſus rejectis, furenti, ut ajunt, addere calcaria volumus, cum potius lenire illum, ac mitigare oporteret? At Galliarum Rex, cognitis de pace ſermonibus, a concordia cum Carolo ineunda abhorrebit. Immo, ut ego arbitror, veritus Cæſar, ne Venetorum pace duplex illi a Suleimano, atque Franciſco bellum immineat, diſſidiis fine impoſito, Inſubrum imperio filio conceſso, mutuo ſe cum Rege fœdere adſtringet. Quid enim ardentius Rex exoptat, quam ut Mediolanenſi imperio, pro quo tot labores exhauſit, tantas potentiſſimi regni vires abſumpſit, potiatur? Id vero ſe pace facilius, & citius conſequi poſse certo ſcit. Cur igitur negligenda cum ſuperbo hoſte pax eſt? cur ne Canalis quidem literis reſpondendum? Etenim ſi juſta, atque honorifica pace bello finis imponitur, quis jure veſtra conſilia reprehendat?* 1537

*cum*

1537 *cum acerrimi hostis præpotentes vires terrestres, ac maritimas a vestris ditionibus submoveritis, atque e magnis Rempublicam periculis vestra prudentia eripueritis. Sin vero, pacis omni spe rejecta, belli pericula subeunda erunt, an non illud maxime vobis solatio erit, quod non voluntarium, sed necessarium suscipere bellum coacti fueritis?*

Cum Minius perorasset, Patres in alia omnia ivere, neque quidquam decretum est. Agitatum postea his ea de re dissentientibus sententiis in Senatu est; atque cum multa pro utraque parte disceptata essent, pares ferme patrum sententiæ fuere: nam primo ut decretum in aliud tempus differretur, duo suffragia pervicere: mox cum tertio decretum de conscribendis literis latum esset, quin decerneretur, duo item suffragia desiderata sunt. Ea re vehementer Patrum animi angebantur, atque illorum præcipue, quos magnarum rerum usus in Republica administranda assidue exercuerat, dum inter ancipites fœderis, ac pacis spes fluctuare Rempublicam animadverterent; quæ ad bella necessaria essent, minime expediri; hostes undique vires colligere, ut veris initio terra, marique Venetas ditiones invaderent. Erant qui minime fidendum Suleimano, paceque ad Rempublicam distinendam objecta, acrius parare bellum arbitrarentur; salutem, ac libertatem in fœdere cum Christianis Principibus firmando reponerent. Alii contra, qui societatem, jura, ac rationes perpenderent, quot difficultatibus implicarentur, dubiis illarum eventibus pacem quoquo pacto iniri posset, gravissimo bello anteponerent: hostis potentiam, vires Reipublicæ minime ad obsistendum pares, rerum præteritarum exitu edocti, æqua lance æstimantes.

Principum vero ea erat mens, ut quandoque ingentem rerum præclare gerendarum spem alerent; nonnunquam variis, ac diffidentibus consiliis, difficultate deterrerentur. Nam Carolus aliquando incensum adeo ad bellum cum Suleimano gerendum animum præseferebat, ut se ipsum illud adversus barbaros administraturum diceret: ex illo non amplificandi imperii opportunitatem, sed solidæ, ac nunquam intermorituræ laudis gloriam quærere: hac una contentum, quidquid justis armis ex hostium manibus ereptum esset, illud Venetæ Reipublicæ ultro tributurum, cujus vires, & potentiam, ut pro mu-

muro adversus barbaros extarent, augendas censere: quo expeditior arma in hostem induceret, inducias cum Galliarum Rege pepigisse. Vastius quoque Insubrum præfectus multa cum Fidelio a secretis Senatus his de rebus loquutus, Reipublicæ prudentiam, rectam, ac præclaram regiminis formam efferebat: Cæsaris in rempublicam christianam egregiam mentem, atque in Venetos singulare studium testabatur. Andreas quoque Auria sibi Cæsarem in mandatis dedisse significabat, ut aperiente se anno classem numero, & viribus quammaxime posset instructam educeret; tum ut fœderi, cui se Cæsar obstrinxerat, satisfaceret; tum ut ita poscentibus Reipublicæ rebus celerem, ac strenuam opem ferret. His Venetorum animos confirmare Carolus nitebatur, ut prorsus a pace aversos fœdere vinciret, eandemque cum illo subire fortunam compelleret; cum ejusmodi ingenio esset, ut sæpius mira dissimulatione intimos, atque abditos animi sensus obtegeret, & illi nil altius insideret, quam ut occultis quibusdam genii stimulis se supra Galliarum Regem efferret, armisque iterum Gallos lacesseret, ne ab imperii Mediolanensis possessione deturbaretur. Id porro ex multis non obscure elici posse videbatur, vel quod Senatus literis post tres elapsos menses responsum non dederat, vel quod e rerum eventibus firmiora consilia petenda duceret. Nam illud certum est, Vastium cum Fidelio de pace inter Principes, ac fœdere loquentem dixisse, postero anno expeditionem in Turcas fieri non posse, cum in tot sumptus Cæsari pecunia minime suppeteret; neque pertimescendum, ne hostis tam cito, quæ ad arduum ac difficile bellum exposcerentur, expedire posset. Byzantii quoque occulto egisse multis argumentis, innotuerat, ut a suis ditionibus Ottomanicæ classis impetum averteret, atque Chariadeni animum Hispani cujusdam, Siciliæ Proregis nepotis, quem ille captivum detinebat, opera pertentasse, ut, Turcarum Rege deserto, sibi adjungeretur. Resque agitata eo processit, ut Ahenobarbus libertate donatum in Hispaniam mitteret, qui inde reversus Cæsaris nomine regnum Tunetanum ea conditione detulerat, si illius opera Iapygiæ ora & Neapolitani a Turcarum maritimis viribus immunes essent; si vero, Mahumetana superstitione ejurata, in Christianam religionem nomen

1537

*Hispanorũ officia, ut classem Turcicam a suis ditionibus averterent.*

1537

*Hiſpanorũ cum Chariadeno tractationes.*

men daret, opulentum illi in Hiſpania principatum, atque alia egregii facinoris præmia liberaliter polliceretur. Conſtabatque Chariadenum per Mamertinum fretum tranſeuntem, cum accolas ſummis incommodis afficere potuiſſet, nullis damnis illatis, prætervectum. Hæc, ne multa pollicenti Cæſari certa fides adhiberetur, efficiebant.

At in Franciſco Galliarum Rege proclivis in pacem animus erat, quod ejus filius, Aurelianenſis Dux, abſque armis perampla Inſubrum ditione potiturus eſſet. Quocirca Franciſcum Juſtinianum, qui ad illum, ut diximus, pro pace miſſus fuerat, perhumaniter excepit; gratias Senatui egit; re ipſa quanto ſtudio, animique ardore ad pacem ineundam eſset, non modo Reipublicæ, verum univerſo chriſtiano orbi palam facturum, ad inducias deſcendiſse; Lotharingum Cardinalem, & Galliarum magnum Magiſtrum, ut quamprimum pax firmaretur, Narbonem ire juſſiſse. Rhodeſioque apud Rempublicam legato mandaverat, ut inclinatum in id Senatum ſedulis officiis foveret, atque incitaret. Verum, qui Franciſci geſta recenſebant, & quantum ille de graviſſimis rebus conſilia propria tantum utilitate metiretur, memoria repetebant, verebantur, ne repentina aliqua rerum mutatione optima inſtituta conſiliorum ratio interverteretur.

*Carpenſis Cardinalis, & Jacobatius legati a Pontifice ad Cæſarem & Galliæ Regẽ miſſi.*

Paulus III. Pontifex, vel ſuopte ingenio, vel Pontificio munere, totus in rempublicam chriſtianam incenſus erat. Addebantur frequentes Patrum adhortationes, ac preces, quibus mirifice ad præclara quæque pertractanda, atque efficienda impelleretur. De Principibus vero conjungendis negotio, quod illi parum proſpere ceſſerat, ſuſcepto, minime deterritus; ne quid ea in re, qua nulla major ea tempeſtate tractari poſſe videretur, prætermitteret, Cardinalem Carpenſem ad Cæſarem, Jacobatium ad Regem legatos miſerat, ut officio, ſuaſione, prece conjungere Principum animos, atque arma in communem hoſtem niterentur. Ob id a Senatu Pontifici gratiæ actæ fuere. Henrico quoque Angliæ Regi datæ literæ, quibus, ut ſummam auctoritatem ad conciliandos Principes ingenti chriſtianæ reipublicæ bono adhiberet, hortabatur, ſuorumque majorum exemplis, atque egregio fidei defenſoris titulo ad bellum adverſus communem hoſtem incendebatur.

Ma-

Marino Justiniano, ad Ferdinandum Romanorum Regem legato, imperatum est, ut priscis, ac recentibus a Turca illatis injuriis exasperatum acrius commoveret, atque ad dissidia cum Joanne Hungariæ Rege tollenda suaderet, quo expeditius arma in Turcas verteret, & a barbaris acceptas injurias generoso impetu semel ulcisceretur. Nam ad Turcarum vires frangendas nihil opportunius censebatur, quam ut terrestribus armis peterentur, ac Germani, feroces & bellicosos spiritus gerentes, ad pristinum Imperii decus gloriamque, cui aliqua respersa ab hostibus labes videbatur, instaurandam, unanimi impetu commoverentur.

1537 *Senatus officia cum Ferdinando Rege.*

Dum inter dubias belli, pacisque spes Senatus versaretur, atque Christianorum Principum animos ad concordiam cohortari, ad fœdus sanciendum incitare summo studio eniteretur; Alexander Ursinus XVIII. kal. januarii Venetias rediit, cum Jacobi Canalis legati literis VIII. ac VII. kal. novembris datis ex arce, ad Euxinum sita, in qua Suleimani jussu inclusus fuerat. Summa Ursini itineris, ac eorum, quæ gesserat, hæc fuit. Venetiis profectum ad Cherzegi præfectum se contulisse; ab eo duos itineris comites, qui Thessalonicam perducerent, datos: Reipublicæ legato non invento, Luphtibejum, & Ajacem supremum Bassam adiisse; a Senatu ad Suleimanum oratorem designatum, significasse, qui ea, quæ acciderant, præter illius mentem contigisse significaret: inde duobus aliis comitantibus Byzantium V. kal. novembris pervenisse; cum legato congressum, a quo Hadrianopolim proficisci jussus fuerat: ibi Suleimanum venationibus intentum offendisse: cum Ajace loquutum, primum mandata ad Byzantii gubernatorem impetrasse, quibus Canalem e turri educi, liberiore loco, custodibus tamen adhibitis, jubebatur: deinde ut statim Venetias contenderet, legatumque a Senatu miti curaret. Canalis autem legati literarum hæc erat sententia. Cum ipse in castris Suleimani ad Aulonem esset, ac Veneta classis in sinu Rhizonico prope Neocastrum moraretur, Janusbejum illi exposuisse, Suleimano, ut statim Byzantium peteret, decretum fuisse, rationes redditurus, cur, sæpius disertis verbis Venetorum de servanda pace voluntate testata, contra quæcumque ab hostibus proficisci possent, ea in subditorum navigia, resque suas

*Alexander Ursinus Byzantio Venetias redit.*

*Alexandri Ursini expeditio.*

*Jacobus Canalis, orator ab Hellespontiaca turri eductus.*

1537 committerent: Byzantium cum attigisset, in carcerem conjectum, deinde in Hellespontiaca turri detrusum, in qua antea Nicolaus Justinianus, cui ille successerat, & complures mercatores inclusi fuerant: eo in loco cum multis incommodis conflictaretur, ad Ajacem, supremum Bassam, & Janusbejum scripsisse: adversus fidem, ac jusjurandum teterrimo carcere contineri, eductum non ita exili animo esse, ut fugam meditari vellet; mortem minime expavescere, quam patriæ inservientem obire decorum arbitraretur: Ajacem per Ursinum illum edocuisse, si damna a nostris illata, quæ ad vigintiquinque aureorum millia essent, sarcirentur, haud difficile fore, per oratorem designatum pacem cum Suleimano instaurare; cui, ut tuto Venetias Byzantio commeari posset, facultatem, fide interposita, concessisse. Hæc Canalis captivi literis continebantur. Ursinus vero, potestate itineris legato ab Ajace impetrata, Neocastrum perrexit, atque ibi viæ comites, qui illum præstolarentur, reliquerat. Ea omnia ut Principum legatis enunciarentur, Senatus decrevit: Pontificio, atque Cæsareo adjectum: constantem de fœdere ineundo, multis quamvis de concordia conditionibus a Turcis oblatis, voluntatem in Republica manere: quocirca, ut, quæ bellum ingens requireret, in iis sedulo, atque enixe comparandis insisterent, orare, ac flagitare.

*Ajacis petitiones unde pax instauraretur.*

*Conditiones a Turcis propositæ Principum oratoribus significatæ. Senatus constantia in fœdere.*

## M. D. XXXVIII.

1538 INde cum omnes rationes concordiæ ineundæ penitus abjectæ viderentur, sedulo quæ ad maritimas Reipublicæ ditiones muniendas attinebant, curari Patres urgebant; triremium numerum augeri; conscribi milites; colligi commeatus; bellicos apparatus instrui. Naupliis milites in subsidium, atque annonam flagitantibus quadringenti pedites, bis mille sestarii frumenti, quatuor aureorum millia fuere transmissa: Classis imperatori, qui Corcyræ tunc erat, præceptum, ut quammaximam posset commeatus vim, ac bellicorum apparatuum mitteret. Epidaurum pedites præsidiarii ire jussi; ut frumenti sexcenti sestarii conveherentur, decretum: Cytheræ Aegæi insulæ præsidium auctum. Cretæ vero protegendæ cura haud parum Patrum animos solicitabat, cum incolas, proximis

*Veneti subsidia in Orientem mittere decernunt.*

mis insulis a Chariadeno fœde direptis, ac vastatis, tantus terror invasisset, ut nonnulli eo præcipites acti, seditiosos rumores dissiparent, quamprimum hostes cum classe appellerent, ultro deditionem facturos. Qua re cum plerique maxime commoverentur, atque urbium conventus, Cretenses parum sinceræ in Rempublicam fidei maculis aspergi animadverterent, legatos cum literis ad Senatum misere, quibus demisse petebant, ne paucorum infimæ gentis crimina, qui errore, atque ignoratione potius, quam prava mente in Rempublicam lapsi fuerant, quidquam de sua fide, & constantia imminutum censerent; opes, filios, vitam denique ipsam Senatui deferre, quam ultro intrepide pro Reipublicæ incolumitate, ac dignitate profunderent: orare, ut milite, ducibus, classe, annona, ceterisque ad bellum necessariis subveniretur, ut hosti insulam invadenti fortiter obsisterent. Legati perhumaniter habiti, coloniæ fide, atque constantia laudata, dimissi fuere. Mox quinque aureorum millia decreta, statimque missa; Pesareo imperatori in mandatis datum, ut Franciscum Paschalicum, classis legatum, cum selectis triremibus in Cretam iterum mitteret, tres quoque Nauplium proficisci juberet. Cretæ vero magistratibus datæ literæ, quibus nobilium, & popularium animi confirmarentur. Corcyram Stephanus Theupolus cum summo imperio missus; commeatus, tormentarii pulveris, atque aliarum rerum in usus belli ingens copia navibus delata. Valerius Ursinus in eadem insula universæ militiæ præficitur. Pesareo imperatori, ut opera quamprimum, uti decretum fuerat, ad oppidum muniendum perficenda curaret, jubetur; iis perfectis in patriam reverteretur; cui postea Vincentius Capellius successor a Senatu, ac majoribus Comitiis datus est. Ascrivium, Epiri urbs in penitiore Rhizonici sinus parte sita, validiori præsidio firmata; munitionibus erectis, tutior, & ad hostium impetus sustinendos munitior redditur. Dalmatiæ præterea oppidis, atque urbibus pedites, & annona subministrantur. Camillo Ursino militiæ præfecto, ut, recensitis militibus, ad duo selectorum millia redigeret, mandatum. Complures quoque tum e Græcia, tum ex Illyrico equites levioris armaturæ ad liberandos ab hostium incursionibus fines accersiti. Et quo in usus belli pecunia sufficeret, ut a terrestribus Venetorum

*1538*

*Cretenses legati ad Senatum.*

*Franciscus Paschalicus in Cretam mittitur.*

*Stephanus Theupolus cum imperatore Corcyræ legatus.*

*Valerius Ursinus præsidii Corcyrensis præfectus.*

*Vincentius Capellius Pesarei loco classis imperator.*

*Camillus Ursinus in Dalmatia militiæ præfectus.*

1538

*Vectigalia a Senatu imposita.*

ditionibus centum aureorum millia subsidii loco persolverentur, Senatus decreto scitum est: vectigal quoque ad molendum impositum, quo in singulos sestarios sex asses penderentur: pecunia Navali addicta. Ne ii, qui ære publico obstringerentur, ad urnas accederent, ut globulos ad magistratus sortiendos majoribus Comitiis sumerent, cautum: decumæ quoque universis civitatis ordinibus impositæ.

*Cæsareanorum & Gallorum ad pacem sanciendam cõventus. Conditiones a Gallis Cæsareis propositæ.*

Dum hæc ad bellum gerendum a Venetis comparantur, in Gallia de pace inter Carolum, ac Franciscum; Romæ de fœdere inter Pontificem, Cæsarem, & Rempublicam sanciendo agebatur. Salsulis, oppido inter Perpinianum, & Narbonam sito, Cæsarei, ac regii convenere: varie utrinque alterna fere spe, & desperatione agitatum. Nam initio summo ardore de concordiæ rationibus, multis hinc atque inde propositis, disceptatum fuerat. Verum cum res prope ad exitum perducta videretur, novis obortis difficultatibus, ad eadem initia revolvebatur, ac Principum animi veteri æmulatione, præteritarum rerum memoria, & casibus accendebantur. Galliarum Rex trium optionem Cæsari fecisse ajebat: primum, ut quæ ad Allobrogum Ducem spectarent ditionibus restitutis, Mediolanense imperium Aureliano filio Cæsar, Ferdinandi fratris filia connubio juncta, traderet; nuptias vel tunc, vel trium annorum spatio pro suo arbitratu celebraret; interea nemo de possessione decederet: alterum, ut, nulla re immutata, ambo iis, quæ modo obtinerent, oppidis potirentur: tertium, ut in decem annos induciæ protenderentur; interim ad opem reipublicæ christianæ ferendam, sociatis consiliis, atque armis convenirent, ac de controversiis dirimendis simul ageretur. Ab iis, quæ a Rege proponebantur, Cæsareanos initio minime abhorruisse constat; postea, singulis rejectis, quæ Madriti in Hispania captivus pepigerat, ut rata haberet, petiisse; Allobrogibus loca quamprimum restitueret; Cæsar autem Insubrum oppida per triennium retineret: ut indigna flagitantibus, qui Regis nomine agebant, a colloquio discedere, atque Narbonam se recipere cogerentur: quoniam vero in annum differri inducias Cæsareani postulaverant, Rex in id descendere suos jussit. Carolus e contra, quod a colloquio discessum esset, a Regis nimium obfirmato animo profectum, qui Allobrogum Du-

Duci ea, quæ contra jus, atque æquum interceperat, nollet reddere; sed, nondum aliis compositis, Mediolanense imperium statim peteret, neque sibi fidem satis haberet, qui tertium in annum pollicita de Mediolani imperio tradendo differret, ut Aurelianus interim connubio jungeretur, atque regiæ voluntatis periculum fieret, quam parum sinceram sæpius antea expertus fuisset: huic rei ni assentiretur, ad Pontificis auctoritatem rejiceretur. Itaque cum querelis, ac jurgiis res traheretur, atque a Salsulis ii, penes quos negotii peragendi facultas erat, discessissent, rerum præclare gerendarum fundamenta debilitari, ac prope everti visa sunt; & Pontifex, cum secessionem consequutam audivisset, hæc proloquutus fertur: *Fœderi absque Galliarum Rege non parum roboris, ac vigoris decessurum; verumtamen se eamdem semper cum republica fortunæ aleam subiturum.* 1538

Romæ eodem tempore de fœderis conditionibus disceptabatur: & licet in nonnullis convenissent; nam summæ præfecturæ dignitas, adsentientibus Venetis, Andreæ Auriæ tribuebatur; Pontifex vero, ut Reipublicæ gratificaretur, Marcum Grimanum, Patriarcham Aquilejensem, pontificiæ classis præfectum designaverat; tamen quotam quisque fœderatorum partem conferret, nondum decretum fuerat: neque pares singuli vires exhibere poterant. Cum vero satis constaret, Pontificem tertiæ non sufficere, sexta illi pars attributa fuerat; de reliquis quinque partibus, ut dimidium Cæsar, reliquum Veneti solverent, Cæsareani contendebant. Contra Venetis nimis durum videbatur, æquis portionibus cum Cæsare, cui tot regna, ac provinciæ parerent, in fœdus concedere. Senatus, re mature perpensa, e sex portionibus duabus se adstringere decrevit; id quoque supra Reipublicæ vires esse, Pontifici testatus: tres Carolum minime invitum in Reipublicæ opem collaturum sibi suaderi. Cæsar, ne majori cunctatione fœdus traheretur, suis, qui Romæ erant, illius percutiendi facultate data, sexta Pontifici, duabus Venetis portionibus relictis, dimidium sumptuum omnium præstare pollicitus est.

*Andreas Auria summus classis fœderatorũ imperator.*

*Marcus Grimanus, Patriarcha, pontificiæ classi præficitur.*

*Impensarum faciendarũ inter fœderatos divisio.*

*Janesinus interpres a Canali oratore Venetias missus.*

Hoc rerum statu Janesinus, Reipublicæ interpres, Venetias inexpectato advenit, quem Canalis legatus e carcere eductus ad

1538 ad Senatum cum literis Byzantio miserat. Is Neocastrum a duobus Bassæ hominibus deductus, ab Sangiaco, qui Neocastro præerat, Ascrivium a suis familiaribus perduci jussus est. Literarum hæc erant capita. Libertate impetrata, secum carcerem, atque ærumnas, quas perpessus esset, Ajacem indoluisse: Scardonæ eventus eas sibi calamitates ob iratum Regis animum peperisse: quod, vetustis pacis conditionibus abscissis, ad bellum ventum esset, magna molestia se affici: ceterum mirari de propositis a se concordiæ rationibus ne responsum quidem ullum tulisse: jam tertio Venetias nuntium mittere: adhuc tempus esse, quo res opportune componerentur: si Senatus velit, Regis iras molliturum, atque ejusmodi conditionibus pacem sanciri posse sibi suaderi, ut arctior Venetis cum Suleimano amicitia intercederet: sin vero oblatam concordiam respueret, triplo auctis viribus cum terrestribus, tum maritimis, acerrimo bello impetum in Venetos facturum; Græciæ, atque Asiæ robore coacto, veris initio in expeditionem iturum. His multa Canalis de bellicis Turcarum apparatibus adjecit, equorum, & camelorum ingentem numerum, milites undique colligi, trecenta navigia cunctis rebus instructa in promptu esse. Quæ legatus per literas Senatui significavit, eadem Janesinus de Ajacis mente retulit, cujus jussu cum Chariadeno colloquutum, qui uti amicus Rempublicam ad pacem fuerat cohortatus; quam si aspernaretur, se cum classe in sinus Adriatici penetralibus propediem futurum; dum Suleimanus cum ingentibus copiis Forijulii provinciam aggrederetur. Literis in Senatu perlectis, atque iis, quæ Janesinus retulerat, renunciatis, mox legatis, ut antea factum fuerat, patefacta fuere: Pontificis, ac Cæsaris oratoribus illud additum: in Senatu eandem mentem esse, ut neque allatis Byzantio rumoribus, neque ad pacem ineundam incitamentis permotus a fœdere conficiendo deterreretur; immo cunctos nervos in ea omnia, quæ ad tantum bellum suscipiendum necessaria essent, intenderet; ut illorum Principes ad paria facienda, acrioribus stimulis adjectis, inflammarent, atque impellerent, rogare.

*Jacobi Canalis literæ.*

*Canalis literæ & Janesini officia fœderatorii legatis patefacta.*

Literas Canalis legati, ac Janesini sermones magna animorum commotio, atque hæsitatio consequuta est; cum in plerisque, qui

qui belli acerrimi suasores erant, primus ille ardor, & impetus remitti, ac tepescere videretur: in iis vero, qui in pacem inclinaverant, illius perficiendæ acrius studium, & vehementior solicitudo insurgeret; cum præsertim conciliandorum Principum spes, quo uno omnium consensu christiana respublica nitebatur, Cæsareanorum, ac regiorum a Salsulis discessu, extincta fere censeretur: armis inter se potentissimis Regibus sævientibus, nihil egregium in communem hostem aggredi licere. His privatæ Canalis literæ ad Marcum Foscarum, cordatum virum, ac rerum gerendarum prudentia illustrem, accedebant, in quibus cum plura de potentia, & viribus Turcarum dissereret, tandem; ut pax cum potentissimo hoste iniretur, e Republica esse, arbitari se ajebat; neque ea se ullo aut carceris, aut interitus timore perterrefactum enunciare; quippe qui nihil præstantius, ac gloriosius ingenuo viro ad libertatem, & laudem nato accidere posse putaret, quam exiguam temporis hujus usuram perenni immortalitatis gloria compensare. Urbinas quoque imperator, rei militaris scientia æque ac prudentia vir clarus, cum de variis rebus in usus belli necessariis cum magnæ auctoritatis Senatoribus colloqueretur, sæpius inquit, oblatam jam tertium a Turcis pacem secum animo reputasse: prospicere bellicos cum Reipublicæ, tum fœderatorum apparatus seros, atque exiles fore: contra vero hostium prævalidos, ac citissimos: quocirca id sibi tutius, atque utilius, ut de pace ageretur, videri, imminentiaque mala, atque impendentes fortasse calamitates evadere. Eodem tempore illud quoque accidit, ut Hispanus ille, de quo supra memoravimus, Zacynthum appelleret, & profectum se in eam insulam exploratum affirmaret, an Chariadenus intra Hellespontum se recepisset; tamdiu ibi moraturum, donec per nuntios de illius navigatione, atque consiliis certior fieret. Re vera autem constabat, ut cum Ahenobarbo conveniret, missum: Tunetum, ac Guletam oppugnanti nulla impedimenta Cæsarem injecturum, denuo pollicitum fuisse. His fiebat, ut ambiguis maximarum rerum consiliis Patrum animi distinerentur: hinc Romæ pene ictum fœdus; fides sæpius adstricta objiceretur; inde pacis cum acerrimo hoste haud exigua spes, atqe gravissimi belli a cervicibus Reipublicæ depulsio se ostentaret. Re frequentibus consultationi-

*1538*

*Urbinatis sententia de pace cum Turcis ineunda.*

1538 bus agitata, major Collegii Patrum pars rursus de literis ad Canalem scribendis decretum tulit, quæ cum superioribus, de quibus sæpius disceptatum fuerat, ejusdem sententiæ erant: legato, ut de pace ageret, injungebatur: quamprimum tutum iter foret, Senatum legatum Byzantium missurum. Variis disceptationibus sex diebus acta res in Senatu est, ab VIII. scilicet, usque ad III. kal. februarii: aliis contra sentientibus, ac legem ferentibus, ut conditionibus fœderis subscriberetur, neque legati literis, neque nuntio quidquam responderetur. Eximii in arduis Reipublicæ negotiis versati Senatores pro utraque parte sententias dixere: inter ceteros Marcus Antonius Cornelius, qui ea tempestate admirabili eloquentia, ac vehementi dicendi vi floruisse dicitur, pro fœdere adversus pacem in hanc sententiam orasse constat.

*Decretum de pace agitanda propositum.*

*Oratio Marci Antonii Cornelii.*

*Etsi difficillimis temporibus, atque arduis in rebus perspecta virtus vestra, & constantia, Patres optimi, iis qui vera, ac solida prudentia nituntur, nullum ambigendi locum relinquere videtur, quin vos dubiæ, atque incertæ inani pacis spei fœdus diu inter Christianos Principes agitatum, ac probatum non antelaturi sitis; attamen haud satis mirari queo, tantam animorum mutationem consequutam esse, ut, qui modo subscribendi fœderi mandata dedimus, qui hactenus societatis vinculo in communem hostem Christianos Principes conjungere enixe laboravimus; nunc, perturbata consiliorum ratione, omnium, quæ gesta sunt, obliti, pacis oblatam speciem vel immodico terrore, vel nimia cupiditate commoti quæramus, atque complectamur; ut neque fidei, qua se in fœdus Senatus obstrinxit, meminerimus; neque eorum, quæ cum Pontifice, & Cæsare egimus, cogitatio mentem subeat. An vero summorum Principum nullam esse habendam rationem arbitramur? an justum in nos cunctorum Christianorum odium concitare non veremur, qui huc omnes intentissime oculos conjiciunt, atque hoc fœdere, quod molimur, incolumitatem, ac decus christianæ reipublicæ contineri arbitrantur? Quod percussum fere, ac firmatum si nostra culpa rescinditur, quis Rempublicam, uti publico bono adversam, vel potius hostem, omni maledictorum, & probrorum genere non perstringet? Sæpius*

*pius*

*pius hoc decretum, cujus modo gravissimi viri suasores sunt, ad vos latum est, neque unquam a fœdere ad pacem tractandam abduci potuistis. Canalis legati Aulona datis de concordia literis, cum dissentientibus sententiis non semel disceptaretur, nihil est responsum. Alexander Ursinus supervenit; pacem Ajacis Bassæ verbis obtulit; legatum, qui Byzantium mitteretur, petiit; eadem sententia permansit. Turcarum ad concordiam incitamenta Principum legatis aperuistis; constantiam in percutiendo fœdere significastis; illorum animos ad societatem ineundam inflammastis, ad bellicos apparatus acri, atque intentiori cura comparandos, ac perficiendos impulistis: postea Janesinus inopinato advenit, eadem attulit, de quibus nunc consilia inimus. An quidquam ob id præteritæ sententiæ immutatum? Cuncta iisdem legatis patefacta sunt; nihil silentio pressum; eadem in fœdere voluntas; iidem Principibus stimuli additi, ut Cæsareani ad impensarum dimidiam portionem persolvendam adducerentur. Num igitur omnia intervertenda? Quis porro iis de rebus, in quibus maximorum eventuum momenta consistunt, sibi actum cum Senatu velit? Igitur tot, tantaque obstinato labore exantlavimus; legatos ad Principes misimus; pecuniam in immensos sumptus profudimus; subscribendi fœderi facultatem Contareno oratori impertivimus, ut Pontificem, & Cæsarem ludificaremur, ut cunctorum odium in nos acueremus, in incertam pacis aleam cum ingenti periculo Rempublicam conjiceremus? Sint hæc illorum hominum portenta, ac monstra, qui nullam veræ virtutis, & prudentiæ imaginem agnoscunt, atque arundinum in morem tenui aura huc, atque illuc flectuntur: a vobis vero, Patres amplissimi, hæc exempla nomini vestro ingloria minime expectantur, qui per manus a majoribus traditam optimæ Reipublicæ administrandæ formam accepistis, ac studio, rerum usu, humanorum casuum accurata observatione perfecistis. Nam quis vobis futuræ pacis sponsor est? technasne, ac dolos barbarorum ignoramus? An satis fidere Ajacis, atque Chariadeni, acerrimorum nominis Veneti hostium, pollicitis possumus? An Suleimani vastos spiritus, jurisjurandique contemptorem animum non agnoscimus? qui ante Alexandri Ursini adventum, spreta fide, in Corcyræos arma movit; post Ajacis de pace* 1538

*cum*

1538 *cum Canali sermones, Peloponnesi urbes Cassinum præfectum jussit invadere; Abeneobarbum prædabundum totum Aegæum percurrere; insulas vastare, occupare, diripere; ingentem mortalium numerum miserrima captivitate affectum in pecudum morem catenis, & compedibus vinctos pertrahi Byzantium imperavit? Id vero agunt, id moliuntur, ut vos a Principum Christianorum societate abstractos facilius adoriri possint, atque tutius vincere, cum nihil æque ac fœdus reformident, quo uno frangi illorum potentiam, comminutum iri vires perhorrescant. Singulos aggredi separatim minime verentur, cum terra, marique præpotentes sint; ex conjunctis Christianorum Principum viribus certum sibi exitium impendere arbitrantur. Inde toties repetita pacis mentio; hinc ad legatum adhortationes; hinc Janesinus Venetias missus, ut vos pacis nomine alliciant, a ceterisque avulsos facilius labefactare, & opprimere queant. Has artes summo cum Reipublicæ damno majores nostri experti fuere, dum tecta dolis, ac simulata concordiæ specie a Mehemete decepti, Eubœam amisere. Ne idem nobis contingat, summo studio providendum est; ne fucata ista, atque adumbrata pax transversos agat, & a certis incolumitatis, ac libertatis præsidiis abducat. Nam, fœdere omisso, de duobus alterum pertimescendum videtur, aut eo gravius bellum, quod arma, ac ferrum barbara gens in nos tantum sæva manu stringet, solique impares ad illorum impetus excipiendos, & sustinendos erimus; aut summa cum ignominia, ac detrimento pax: miserum illud, atque acerbum; hoc vero indecorum, ac vix ingenuis viris ferendum. At, proh Deus immortalis! quæ pax? quo non bello tetrior, ac miserabilior? ex qua fructus quolibet bello acerbiores laturi simus: pax, inquam, precaria, quæ non sacramenti religione, non æquo virium pondere nitatur; sed tota ex barbaræ gentis voluntate pendeat, quæ intestino in cunctos christiana religione imbutos homines odio exardescit; illorum strages, exitium, ac funus parat, & meditatur; quæ victoria ex uno ad alterum invadendum iter sibi munit, cunctorum imperii, atque opum inexplebili siti corripitur. An ea pax dici potest, cui belli assiduus metus comes est? an qua sensim veluti tabe publicæ opes exhauriuntur? dum classem triremium numero, ac robore instru-*

*ctam*

*Etam in promptu habere cogimur; præsidiarios milites alere; oppida, atque urbes sumptu prope immenso, & insuperabili opere munire? An ea pax dici potest, in qua limitaneus frequenter hostis adest, prædas abigit, captivos abducit, cuncta infesta præ insita ferocia reddit? in qua negotiatores sæpe male habiti, vectigalia aucta, mercatores in carcerem conjecti, navigia capta, ac detenta sunt? An ea demum nomen pacis meretur, quæ otio milites corrumpit, nervos pristinæ virtutis frangit, atque egregios, quos a majoribus spiritus expressimus, penitus elidit? At sunt, quos grave, & periculosum bellum, ingens Suleimani potentia perterrefacit. Quid igitur? num despondere animum oportet? num æquas juxta, atque iniquas pacis conditiones accipere? Quo majus bellum imminet, quo potentissimus hostis vehementiori conatu nos aggreditur, eo minus a Christianorum Principum societate sejungi nos decet. Nonnulli immensa pene impensarum mole obruuntur. Quid si uni Reipublicæ totius belli pondus sustinendum esset? Non puto vos a majoribus vestris degeneres fore, quos nulla pericula, nulli sumptus terruere, quin maxima bella fortiter susciperent, atque obfirmata virtute conficerent. Modo laborum, atque impensæ socios habemus; haud parva belli subsidia a Pontifice expectantur, quem ducenta propediem aureorum millia ex sacerdotiorum proventibus liberaliter concessurum haud dubie novimus; triremes in usum belli conferendæ omnibus rebus adornatæ, & instructæ sunt; quotidie materies ex nemoribus ad remos, atque alia conficienda convehitur; tormenta bellica expediuntur; tormentarius pulvis, ceteraque instrumenta militiæ jam comparata sunt. At quæstuosissima toto Turcarum imperio commercia a Venetis haberi solita objiciuntur, ex quibus vectigalia Reipublicæ pendent, sine quibus bella administrari nequeunt. Quasi vero alia sit vectigalium, alia Reipublicæ ratio. Republica incolumi, publicæ, & privatæ opes augentur, ac sustentantur; eadem labefactata, quæcumque cives ædificant, moliuntur, navigant, cuncta eadem ruina convelluntur, ac corruunt. At ex Venetorum amicitia non parum utilitatis Suleimano accedit. Non inficior; dummodo suo arbitratu conditiones, ac leges pacis dicat; dummodo a reliquorum Principum societate abstractos, assiduo belli imminentis metu implicitos,* 1538

*tos,*

1538 *tos, paulatim viribus, ac pecunia exhaustos, opprimat. Sed, nondum inter Carolum, & Franciscum pace sancita, gliscentibus animo veteribus odiis, nil egregii in communem hostem ex fœdere proficisci poterit: immutato rerum statu, ad fœdus percutiendum non adstringimur. Quis porro aut Romæ, aut Venetiis id unquam objecit? quis ea conditione pacisci dicere ausus est? Sed neque prorsus de concordia Principum spes cecidere; adhuc res agitur; neque Pontifex, neque Respublica pro communi bono quidquam prætermittit. An vero vires, ac potentiam Cæsaris adeo imminutas censemus, ut ad utrumque bellum gerendum, si ita opus sit, sufficere non possint? Id cum multa, tum illud præcipue testatur, quod superioribus annis Africanam expeditionem molitus, in Provinciam quoque cum ingenti exercitu armatus penetravit. Sed vires hostium exaggerant; triremium, omnisque generis navigiorum numerum; milites, atque in iis prætorianos, qui prima militiæ rudimenta pueri accepere; equites, bellicos apparatus, ingentem argenti vim. Numero certe, ac virium magnitudine præpotente cum hoste nobis dimicandum est. At si summam earum rerum, quæ a fœderatis in bellum conferendæ sunt, contrabamus, non inferiores, superiores fortasse hostibus inveniemur. Verumtamen navigiorum numero, pecunia præstent: rerumne maritamarum peritia, ac virtute cum fœderatis erunt conferendi? quibus si multitudinem demas, solidam quoque virtutem, ac fastum dempseris. Qua enim in re adeo pollent, ut palmam nostris præripere audeant? Ducibusne? munitis oppidis, atque arcibus? militari scientia, aut prudentia, in qua non minus bello, quam pace excellere necesse est? Hæc nostris adeo suppetunt, ut parva manu ingentes hostium catervas vincere, ac debellare possint. Quid, quod undique tota non modo Italia, sed universa fere Europa eximii duces, & rerum gestarum gloria insignes in voluntariam militiam se nomina daturos profitentur, augustumque Crucis vexillum vestris auspiciis subsequuturos? Tot, ac tam præclaras gerendarum rerum opportunitates ii proterunt, & corrumpunt, qui, fœdere relicto, dubiam pacem sectantur; quos nec fides, nec Principum summo studio expetita societas, nec prævalido conatu, ac prope immensis sumptibus coactæ vires commovent; qui iniquam pacem justo bello*

*an-*

*anteponunt; quæque a seipsis, & christianæ reipublicæ proceribus præsidia ad libertatem, ac decus tuendum petenda forent, ea in teterrimorum hostium fide sæpius summo damno, & dedecore experta, ponunt; quos denique nulla ad præclara facinora spes attollit, nulla animi virtus, & constantia ad gloriam incitat. At vos, Patres optimi, quos Reipublicæ cura solicitat, qui semel interpositam fidem nullo unquam casu fefellistis, ambiguam, ac veluti veneno oblitam pacem abnuite, neve fallaci aura illecti, navim pelago committite, neu cunctorum Christianorum, qui a vestris consiliis pendent, spem frustremini. Aderit vobis Summus Pontifex; aderit Cæsar; pugnabit una cum Germanis Ferdinandus frater: nemo, ut credibile est, non in hujus gloriæ partem adesse volet: piis, ac religiosis votis aderit Deus immortalis, qui per tot sæculorum continuam seriem Rempublicam nunquam non ex summis periculis eripuit; aliquando, imperiis, ac provinciis delatis, insigni gloria cumulavit. Quid igitur moramur? quid cunctabundi hæsitamus? cur non statim, abjectis de pace consiliis, fœdus, quo incolumitas nostra nititur, divina ope implorata, non amplectimur.* 1538

Cornelii orationem Marcus Foscarus excepit, ac pro pace in hanc sententiam loquutus fertur. *Oratio Marci Foscari.*

*Ea est humanarum rerum conditio, ut variis jactatæ casibus non easdem semper sententias, non eadem consilia poscant; ac nonnunquam usu venit, ut ii, qui nimium propriæ sententiæ addicti inanem constantiæ laudem aucupantur, cum in magnas calamitates inciderint, tum seræ pœnitentiæ pœnas luant. Itaque non modo Senatusconsulta in amplissimo hoc consessu afferre, sed, nullam in partem inclinato animo, quæ e Republica sunt, audire, ac perpendere est opus; ne iis, qui opinione aliqua imbuti huc accedunt, illud eveniat, quod iis accidere solet, qui suffusis externo colore oculis intuentur, qui nihil sincerum cernere; nullum de visis judicium ferre valent. Nam si rerum præsentem statum recta mentis acie circumspicere velimus, non is mihi ejusmodi videtur, ut Suleimanum, pace jam tertio oblata, ne responso quidem dignemur. Ut enim multa in bellum a nobis comparata sint, quæ, si alium hostem haberemus, haud exiguam nobis spem prosperi eventus facerent:*

1538 *iis cum hostibus dimicandum est, quibus neque terrestres copiæ, neque classes deesse possunt, cum immenso fere terrarum spatio dominentur; Asia omnis in illorum potestate sit; Africa fere tota pareat; neque exigua Europæ parte potiantur. Fœderi vero, quo tantopere multi innituntur, quamvis non parum tribuam, attamen certum in eo rebus nostris præsidium collocare non ausim; cum ea sit societatum ratio, ut variis rerum eventibus interturbari, ac præpediri queant; atque alii sæpius sociorum fines, animos, & vires in diversa trahant; ac dum quisque suis rebus consulit, commune bonum negligatur; subsidia neque paria, neque eodem tempore, uti constitutum est submittantur; inde suspiciones; animorum alienationes; ex his dissidia; ex dissidiis denique leges fœderum violatæ ac desertæ: qui minores reliquis ad obsistendum vires afferre possunt, prædæ loco non hostibus modo, verum etiam sociis fuere. His fit, ut mente concipere nequeam, cur, abjectis pacis consiliis, in difficillimum bellum, quo nullum Respublica gravius, ac periculosius suscipere potest, ruere velimus. Venetæ ditiones in vicies centena millia passuum longitudinem protensæ, Turcis finitimæ sunt; neque certo in quam regionem hostis irrupturus sit, sciri potest: Corcyramne iterum invadat; Cretamne; Cyprum; Peloponnesi urbes; an Epirum; an Dalmatiam bello adoriturus sit. Hinc vobis immensi, ac prope incredibiles sumptus impendent; ingenti militum, triremium, bellicorum apparatuum numero opus est. Neque interea minus de terrestri imperio cogitandum, nisi aditum hostibus in Carnos, ac Forojulienses relinquere velitis; qui patrum, atque avorum memoria eam regionem direptione, incendiis, captivitate, omnique ærumnarum genere affecerunt. Hinc posteaquam Turcarum potentia adeo excrevit, ut pares cum illis Respublica vires conferre non posset, pacem bello antetulit, quam per triginta septem atque amplius annos a Bajazetis bello studiose coluit. Inde publicarum, ac privatarum opum incrementa fluxere, quibus hæc urbs aquis circumsepta, maritimis innutrita negotiis, mirum in modum floruit, atque Europæ Principum conspirationes eximia virtute depulit; terrestre imperium omne fere amissum brevi recuperavit; cum in diuturni, & gravissimi belli sumptus abunde pecunia ex vectigalibus collecta sup-*

*suppeteret, commeatus non deessent, quinqueremium navigatio* 1538
*per omnes mediterranei maris oras non intermitteretur: eadem rerum facies; nihil imminutus, aut deformatus civitatis status videretur. Cum superioribus annis bellum cum Cæsare, ac Ferdinando Respublica gereret, Suleimani in Austriam adventus impetus illorum avertit. Eadem tempestate cum tormentarii pulveris, & frumenti inopia laboraretur, cum nullibi asportandi facultas esset, Byzantio annona, ac pulvis sulphureus convectus est. Hi vobis fructus ex pace extitere. Contra vero vix enumerare possim, quot incommoda, quot damna, quot calamitates Turcico bello impliciti pertuleritis. Memoremne, quæ Mahemetis tempore contigere? Cum impetum potentissimi hostis a cunctis deserti sustinere nequiremus, Eubœam amisimus, pacis inde prope certæ spes oblata fuit, legatique Nicolaus Caucus, & Franciscus Capellius ob id Byzantium missi; sed ineundæ concordiæ rationes cum non essent expeditæ, tunc infecta re, mox interposito paucorum annorum spatio, ultro repetita pax multo sanguine, Epiri urbe, Scodra, alia loca ne memorem, nostris majoribus stetit. Percurramne bella cum Bajazete gesta? qui, quod Respublica Comitem Joannem Cernovicchium in suam clientelam recepisset, hostis effectus, universam Dalmatiam fœde vastavit; Naupactum occupavit; in Carnos penetravit: Tiliavento, & Sontio trajectis, usque ad Tarvisinos montes hostes pervenere, ex quibus urbis hujus situm contemplati sunt: neque hic malorum finis; Methone amissa, Pylus, atque alia Peloponnesi oppida erepta. Anno vero millesimo quingentesimo, a nostris Cephalenia, & Leucade captis, ut concordia iniretur, Leucas restituta est. Neque adhuc ea tempestate tot regnorum, & provinciarum accessionibus Ottomanicum imperium excreverat: non Syria subacta, non Aegyptus debellata, non Pannoniæ præcipuæ urbes occupatæ; non denique Persidis pars Sopho adempta, quibus adeo ingentes vires Turcis accessere, ut, nisi nosmetipsos decipere velimus, fateri necesse sit, nimium dispares nos ad certandum cum hoste esse, vixque fœderata cunctorum Christianorum Principum arma illorum impetus tuto excipere posse: præsertim cum is rerum status existat, ut, conventu dimisso, de pace nihil sperandum sit, sed acrior in dies inter*

*Fran-*

1538 *Franciscum Regem, & Cæsarem pugna instet, atque hoc quicquid est temporis, quo arma conquiescere deberent, ad illa vehementiori cum impetu movenda vim attulisse videatur. Quæ igitur hactenus ad ingens bellum suscipiendum jacta initia sunt? Disjunctæ sociorum vires; in novas cædes, & cruorem propensa intestina dissidia; argenti summa inopia; ad ducenta aureorum millia in singulos menses insumenda non suffectura; publicæ opes superioribus bellis attritæ; ex sacerdotiorum decumis vix triginta aureorum millia annua colliguntur. Hostis contra aliorum bellorum curis solutus, in hoc unum adnixus; classis jam in Hellesponti faucibus parata, atque instructa; quamprimum, ut fertur, Cretæ insulam petitura. Hæccine fœderis auspicia? hæccine egregia, & certa subsidia, quibus incolumitas, ac libertas Reipublicæ nitatur? Haud ambiguis periculis objicimur; hostis arma in nos tantum intenduntur: patent universæ Venetæ ditiones Turcarum incursibus, quæ reliquis Principibus pro tutissimo propugnaculo sunt: neque iisdem periculis; neque pari fortuna socii in fœdus coeunt. Cæsar tot curis distentus, Gallico bello lacessitus, regnandi inexplebili cupidine ardens, ac tantum de re vestra, quantum sua intersit, solicitus, vestri imperii accessiones, atque incrementa parum læto animo excepturus. De Andrea vero Auria eloquarne, an sileam? cui uti summo fœderis præfecto rerum omnium pondus incumbit? qui insito in nomen Venetum odio, arrogantia, ac fastu ad res vestras potius labefactandas, quam augendas natus, factusque videtur? Ut enim reliqua prætereram, ab hoc uno alia discite. Superiore anno, cum omnis retinendæ Corcyræ spes in consociandis classibus sita videretur, vestris literis, Pontificis adhortationibus, legati Hispani precibus retineri non potuit, quin, abjectis de conjunctione consiliis, Genuam contenderet. Verum, ut iis, quæ Cornelius objecit, paucis occurram; ea mihi duobus in primis contineri videntur, metu ne fidem deseruisse videamur, ne Principum in nos animos concitemus, cunctorumque Christianorum invidia laboremus; spe, qua tantum sibi nonnulli de fœdere pollicentur, ut victoriam de hoste prope se habere in manibus jactent. Sed acrior metus nos solicitare debet, dum ingenti potentia subnixum hostem; dum res nostras, ac sociorum dispicimus, atque il-*

*illud in mentem venit, quod a Cæsare dictum ad nos perlatum est : hoc anno nil hostile aggredi per socios licere ; ac rursus quod Pontifex perloquutus fertur, sine pace inter Cæsarem, & Regem nil egregii in commune bonum confici posse. At nondum obsignatis fœderis conditionibus, quis juste violatam a Republica fidem conqueratur? præsertim cum omnes de concordia cum hoste ineunda rationes rejicere; neque Pontifex; neque Cæsar ipse probarit. Sed illud veremur, ne posthac duriores ad socia cum Republica arma conjungenda Principes experiamur. Quasi vero, oppresso ab hoste, atque occupato Veneto imperio, non eadem calamitas ad ipsos pervasura sit. Metus profecto iste ad societatem semper cum vobis ineundam suasor, atque impulsor erit. At timent nonnulli, pacem cum hoste infidam, ac minime diuturnam fore; ad fallendum dolos, atque insidias strui. Arbitraminine, ni sibi amicam Rempublicam Suleimanus cuperet, ab eo toties vobis pacem oblatam? Fato quodam, & casu suscepta adversus vos arma recondere optat; unus illi juratus hostis Cæsar est; cum hoc tantum illi de imperio, ac gloria certamen. Brevi admodum pace utemur. Quis affirmat, cum per triginta septem annos pacem cum Turca habuerimus? quis porro exili futurorum eventuum ambiguitate sibi ad certos præsentium rerum fructus capessendos aditum præcludat? De metu dictum est. Spes accendit animos, & ad præclara quæque obeunda generosos impetus addit. Utinam vero eo statu res essent, ut alacri animo justa pro pietate, ac religione arma induti, priscam gloriam æmulari possemus : quis non summo studio justum in bellum incitaretur? Sed ita res se habent, ut magno pietatis loco ducendum sit, si a vestris regionibus, urbibus, oppidis, innoxiis populis, imminentis belli impetum avertere potueritis. Censeo itaque, cunctatione aliqua in fœderis conditionibus subscribendo utendum esse; interea de pace cum Suleimano agendum, atque æquas illius rationes ambiguo, incerto, ac periculoso bello anteferendas esse.* 1538

Præter Cornelium, & Foscarum pro utraque parte clarissimi ætate, ac rerum usu præstantes viri disseruere : pro fœdere Aloysius Raynerius, Gabriel Maurus, Matthæus Dandulus, Antonius Lauretanus, Joannes Franciscus Baduarius, Franciscus

1538 Barbarus, Pandulphus Maurocenus, Jacobus Justinianus, Leonardus Haimus: pro pace Thomas Mocenicus, Aloysius Gradonicus, Marcus Antonius Grimanus, Philippus Tronus, Joannes Delphinus, Franciscus Donatus, Victor Grimanus: ejusdem quoque sententiæ Andreas Gritus Princeps erat, cui præter in Republica administranda prudentiam, Turcicarum rerum cognitio, atque usus magnum auctoritatis pondus addebant. Tandem iij. kalend. februarii, cum in suffragia ad mediam noctem itum esset, duobus ea vicit sententia, qua, pace rejecta, in fœderis conditiones subscriberetur. Kal. februarii coacto Senatu, singulæ fœderis conditiones confirmatæ fuere; quarum summa hæc fuit. Nempe

*Decretum de fœdere contra Turcas ineundo.*

*Fœdus, ac societas pro rebus communibus tuendis, atque hostibus invadendis, adversus Suleimanum Turcarum Regem a Paulo III. Pontifice Maximo, Carolo V. Imperatore, Venetorum Republica iniretur. Bellum autem his opibus administraretur: triremibus ducentis, armatis navibus centum, quinquaginta peditum millibus; nimirum viginti Italorum; totidem Germanorum; decem Hispanorum; quatuor millibus ac quingentis in Sequanorum morem, instructis, equitibus; his tormentorum bellicorum, pulveris sulphurei, atque aliorum apparatuum vis adjiceretur: quæ omnia singulis annis veris æquinoctio in promptu essent.*

*Fœderis conditiones.*

*Pontifex triginta sex triremes, Cæsar octogintaduas, totidem Veneti instruerent, ut ducentarum numerus efficeretur: Pontifici triremes fabrefactas, armamentisque omnibus adornatas Venetus daret: Cæsar onerarias naves militarem in morem instructas, ad commeatus, pedestresque copias convehendas suppeditaret, ea conditione, ut, rationibus subductis, sociorum sumptus æquarentur, ac Venetis ea argenti vis penderetur, quam in triremibus supra octoginta duas instruendis insumpsissent. Totius impensæ ratio hunc in modum inter Principes distribueretur. Sextam Pontifex, ternas Cæsar, binas Respublica solveret; frumenta, & commeatus ex sociorum regionibus asportandi, æquo pretio persoluto, absque vectigali, atque portorio singulis facultas esset.*

*Societati Ferdinandus Rex Romanorum, cujus se vadem Cæsar præstaret, adjungeretur, hac lege, ut collectis copiis, a Pan-*

*Pannoniæ finibus Turcas aggrederetur : eadem quoque Franciscus Galliarum Rex contineretur, cui præcelsus, atque honorificus in fœdere locus relinqueretur : Pontifex, quantas ille in bellum vires collaturus esset, decerneret, quæ supra fœderatas essent. Principibus vero Italis, si in idem fœdus coire vellent, quotam quisque partem persolveret, cum Pontifex, declarasset, tantundem reliquis pro portione decederet.* 1538

*In id sedulo, atque enixe Pontifex incumberet, ut Poloniæ Regem, & alios Christianorum Principes eodem societatis jure vinciret.*

*Si qua inter fœderatos controversia suboriretur, de ea sententiam ferret.*

*Classis imperium, maritimarumque rerum cura penes Andream Auriam foret.*

*Si qua terrestris expeditio fieret, imperium apud Franciscum Mariam Feltrium, Urbini Ducem, resideret.*

Hæc summa capitum fuit, quibus Romam transmissis, ad VI. idus februarii in Vaticano probatis, fœdus firmatum est; adstipulantibus pro Cæsare Joanne Manrico Anguillario; pro Veneto Senatu Marco Antonio Contareno legatis, universo Cardinalium Collegio adsentiente. Seorsim de iis, quæ bello parta forent, decretum : *Quæ in fœderatorum alicujus potestate fuissent, statim illis traderentur : Byzantium, quæque ad imperium, sive ad regnum Neapolitanum loca spectarent, ea Cæsaris essent : iis, quæ olim a Venetis possessa fuerant, exceptis; Auone, ac Neocastro adjectis : Rhodus Hierosolymitanæ religioni accederet : insignis aliqua regio, aut provincia in Apostolicæ Sedis jus concederet : reliquis in quibus nullum jus fœderatis fuisset, juxta impensæ portionem, quisque potiretur.* Fœdere icto, ingens in Senatu de administrando bello solicitudo; ad Cæsarem statim in Hispaniam datæ literæ, quibus de inita societate certior fieret, petereturque, ut Andream Auriam Messanam, Antonium Auriam in Cretam proficisci juberet, ut conjunctis viribus cum nostris hosti ingruenti obsisterent, atque egregium aliquod facinus adversus Turcas aggrederentur. Ut in partem laborum, ac societatis Henricus Angliæ Rex asciscceretur, enixe laboratum; nihilque a Hieronymo Zuccato, a Reipublicæ secretis viro, prætermissum est, ut illum ad justa cum re-

*Fœderati, ut Angliæ Rex ad fœdus asciscetur, nituntur.*

1538 reliquis arma induenda impelleret. Verum ab eo, vel quia in sanciendo fœdere nulla facta mentio fuisset, vel quod nimiam Cæsaris potentiam suspectam haberet, nihil impetrari potuit; immo Zuccato introducto, mirari, inquit, hæc a se Senatum petere, qui paulo antea Vicetiæ a Pontifice Concilium indici passus esset, neque ullam illius in percutiendo fœdere rationem habuisset: ceterum vaticinari, ad eandem pacem, atque concordiam cum Suleimano Senatum rediturum.

*Francisci Regis orator ad Venetos.*

Neque minorem ob initam a Venetis societatem Galli molestiam cepisse videbantur: nam cum per eos dies e Gallica nobilitate vir Venetias accessisset, ut Regis nomine de dimisso conventu, ac de propenso illius in pacem animo Patres doceret, simulque Regis ad conciliandam cum Suleimano Rempublicam operam detulisset; addiderat, Regi fœdus minime probari, illudque, vel ingravescente Pontificis ætate, vel ob Cæsaris bello impliciti incerta subsidia periculis obnoxium censere. Mox, Senatusconsulto de fœdere confecto, ad Patrum Collegium reversus, acriter conquestus est; adversus Regem fœdus initum fuisse; illum, undique collectis auxiliis, omni aliarum rerum posthabita ratione, se, suaque defensurum. His Rhodesius ordinarjus legatus addidit: bellum Regi, licet tacite, a Republica indictum videri; nihil sibi, nisi discessum, superesse. Ad hæc Princeps: Fœdus in communem hostem. non in Regem, quem summo studio, atque observantia Respublica coleret, ictum. Tum a Senatu de singulari illius in Rempublicam studio gratiæ actæ; subiectumque, summis votis pacem inter Regem, ac Cæsarem optare, ut magnanimus Princeps, atque ad summum christianæ reipublicæ decus ortus, viribus præpotentis, & nobilissimi regni in egregium hoc opus intenderet: de more tandem donatus a Senatu dimissus est.

*Rhodesii Galliæ Regis ordinarii legati apud Venetos officium.*

In Cæsare quoque ambiguus in difficillimo bello gerendo animus videbatur: modo bello Gallico detineri, quin totis viribus adversus communem hostem uteretur; nonnunquam hoc anno pro defensione tantum laborandum; sequenti, comparatis, atque apprime instructis viribus, hostes in eorum ditionibus lacessendos. Joanni Antonio Venerio quoque significandum curaverat, adeo se proclinato in Rempublicam animo esse, ut, de

pace

pace cum Galliarum Rege firmanda spe abjecta, gravi, ac periculoso bello Rempublicam implicitam, & ne quid sibi adversum accideret, timentem, ad concordiam cum Turcis adhortaturus esset. Attamen hæc omnia Senatus ardor vincebat, atque in eo, quod semel sancitum fuerat, constans adeo, & ardens studium extabat, ut nihil, quod in belli usus opportunum, aut necessarium esset, prætermitteretur. Placebat in primis Andreæ Grito Principi, ut Andreas Auria, atque Urbinas convenirent, ut, de belli consiliis, ac rationibus inter se collatis sententiis, dissererent; latumque ab illo, ac sex viris de ea re ad Senatum est. Contra Marcus Minius, Consilii Sapiens, disseruit: ex illorum colloquio nihil, quod communibus rebus conduceret, expectari posse; bellicæ virtutis æmulatione dissentientes duces, veluti fomite addito, acrius exarsuros; cum præsertim Urbinas Auriæ primas partes minime concederet: inde mora, & cunctatione præsentem rebus opem poscentibus, hoste, ut ferebatur, Cretam invasuro, subsidia defutura. Ad hæc Princeps, *opportunum*, inquit, *tempus esse, quo de bello administrando, ac de iis, quæ objici possent impedimenta, disceptaretur; ne tum ancipiti, atque inani consilio, cum rerum gerendarum tempus instaret, de iis agendum foret: his, quæ difficillima se se offerunt initio, discussis, atque animadversis, maturam opem afferri posse; in medio rerum cursu singulis obviam ire, cunctis adesse, neque temporis, neque virium esse: infelici eventu ad Abduam commissum prælium testari, in quo dissentientes Petiliani, ac Liviani sententiæ exitiosam, & funestam cladem Reipublicæ intulere: neque rem tanti operis esse, quin cito expediri posset, ac bellum firmiori, & certiori ratione gestum exiguam hanc cunctationem compensaret: optima mente Urbinatem esse; neque verendum, ne in publici boni gratiam privatos affectus, & simultates minime comprimeret.* Senatui rem in aliud tempus rejicere placuit. Deinde Vincentio Capellio, classis imperatori designato, vexillum solemni ritu ex prisca consuetudine, inter missarum sacra, consuetis ceremoniis, delatum est: quo accepto, statim ad classem profectus est. Vincentio Fideli a secretis, ut Mediolano Genuam peteret, jussum, ut Andream Auriam ad classem quamprimum educendam impelleret; Antonium Auriam in Cretam statim con-

1538

*Vincentio Capellio vexillum imperatorium delatum. Vincentius Fidelis a Senatu ad Auriã missus.*

1538 *Triremium Dalmatarū instructio.* tendere curaret. Triremes ad classis supplementum in Dalmatia instructæ: in Pharo, & Arbæ insulis una; Absori, & Creptæ altera; Tragurii itidem alia: singularum suis civibus præfectura commissa: in Epiro quoque Versacius clarus vir triremem sibi depoposcit, aliis in supplementum remiges dare pollicitus. Binæ a Fossæ Clodiæ incolis, quibus Veneti trierarchi præessent, tributæ fuerunt.

Suleimanus interea, lustratis copiis, adornata classe, martio mense exeunte, terrestri itinere cum exercitu Byzantio movit; Luphtibejo maritima præfectura exuto, atque in Macedoniam ablegato, Chariadenum suffecit, cunctisque maritimis rebus, & expeditionibus præfectum solvere quamprimum iussit: quæ Venetis in Aegæo mari superessent, ea incenderet, ac diriperet; mox in Cretam cursum intenderet, incolas, omnemque regionem quotquot posset damnis, cladibusque contereret. Aheneobarbus igitur cum centum, & viginti triremibus Aegæum ingressus, quæ militum libidini, ac furori superfuerant, extremis quibusque crudelitatis, atque avaritiæ exemplis afflixit. Scythro capta, & deleta, Franciscum Cornelium, qui pro Republica magistratum gerebat, captivitate affecit: a Meliis, & Haxiis tributo accepto, Scyatum, ac Scopelon parvas, insulas, alteram duo & viginti, alteram duodecim passuum millium circuitu, aggreditur. Iis Hieronymus Memmus præerat, qui natura loci fretus, quod situ eminentiori, prærupto, ac difficili loco arx inerat, quæ sustinere aliquamdiu impetus hostium posse videretur, parvam manum præsidiariorum militum, atque incolas ad arma capienda, & ad patriam tutandam persuaserat. Ii primum hostium incursum fortiter tulere, in quo strenue dimicans Memmus sagitta ictus decumbere in lectulo coactus fuit. Inde restincta pugnandi laude, de deditione a flagitiosis hominibus (fraudene, an ignavia incertum) consilia agitata, qui, ne, conjuratione detecta, supremi supplicii genere afficerentur, horrendum facinus ausi, prætorium adiere, Memmumque decumbentem contrucidavere. Mox facinore vulgato, in magna omnium trepidatione, ac tumultu, hostibus funibus in arcem pertractis, turpem deditionem fecere. Facti indignitate Chariadenus, barbarus licet, ac Veneto nomini infensus, adeo commotus est, ut tanti criminis reos, & sontes statim ob-

*Chariadenus a Suleimano in Luphtibeji locum suffectus.*

*Chariadenus Aegæum ingreditur & ditiones Venetas diripit.*

*Hieronymi Memmi Scyathi & Scopeli prætoris virtus.*

*Hieronymus Memmus a præsidiariis occiditur.*

*Chariadenus Scyathum & Scopelon deditione recipit, & Memmi cædis reos obtruncari mandat.*

obtruncari mandaverit, ut iustas iniqui facti, ac meritas pœnas luerent. 1538

Aegæo direptionibus, & cladibus emenso, Chariadenus in Cretam iter direxit. Cum summa auctoritate, atque imperio Joannes Maurus insulæ, ut diximus, præerat. Is de Chariadeni adventu certior factus, quæcumque ad Creticum regnum defendendum spectarent, ea summo studio, pari virtute confecerat; cives, atque incolas suasionibus illexerat, urbes, atque oppida præsidiis muniverat, agrestibus hominibus privilegiis donatis, æreque publico obstrictis, in militiam nomina dantibus, solutis, triremes nonnullas armari jusserat; magno mortalium numero ex agris, atque pagis evocato, præsidia auxerat; loca, quibus aditus hosti pateret, occupari mandaverat. Et in his exequendis veteris coloniæ Venetæ nobilium, atque illorum, qui beneficii jure Principi obstricti sunt, sedula virtus, & ardens in Rempublicam studium extitit, ut Caliergorum gens, nobilitate, divitiis, atque auctoritate in Creta potens, supra vigintiquinque hominum millia brevi coegerit. His comparatis, hostis adventum, magna spe rerum bene gerendarum subnixi, præstolabantur; qui Cyamo promontorio (*Spatæ caput* a nautis hodie vocatur) superato, qua septemtrionem vergit, insulam prætervectus, usque ad Rhythymnam pervenit. Ibi cum aliquantisper, veluti urbem oppugnaturus, substitisset, ac bellicorum tormentorum, quæ e mœnibus fiebat, displosione, non parum læderetur, in Amphimalum portum, qui hodie *Suda* dicitur, se recepit; a cujus ingressu, quod nondum promontorium in faucibus munitum esset, prohiberi non poterat. Ibi militibus in terram expositis, prædabundus excurrere hostis cœpit, & Cydonem usque, quæ *Canea* hodie nuncupatur, pervenit. Ea urbs situs opportunitate, portu, civium numero inter præcipuas Cretæ censetur: arte ea tempestate parum munita, quod propugnacula, quæ ad austrum extruebantur, minime perfecta forent; ad occidentem solem vetusta mœnia, & parum valida, nullo fere in loco fossis egestis, apparebant. Andreas Gritus Cydoni præerat; mille circiter Itali pedites, Græcorum haud exigua manus urbis in præsidio erant; qui hostes nullo ordine, nullis munitionibus, aut propugnaculis tectos subire conspicati, undique e mœnibus majoribus, ac

*Ioannis Mauri ad Cretam propugnandam sedulitas.*

*Chariadenus Amphimalum portum ingreditur, milites in Creta exponit.*

1538 minoribus tormentis displosis, Italicæ duæ cohortes, eruptione facta, perturbatos hostes aggressæ, in fugam cum ingenti cæde conjecere. Eandem fortunam subiere, qui prædæ intenti longius a litoribus processerant, ab incolis aut interfecti, aut præcipites fugæ dare se coacti, ut tandem, multis suorum amissis, Chariadenus receptui cecinerit, ac reliquis, triremes ut conscenderent, jussis, spe frustratus, inceptum deseruerit. Pulsus Aheneobarbus, ut quoquo pacto illata sibi a nostris damna ulcisceretur; in orientale insulæ latus, cui Samonium promontorium nomen indit, conversus, centum triremes in Cyteum, tenue satis oppidum, misit; quod cum desertum invenisset, nonnullis sublatis bellicis tormentis, ac sulphurei pulveris cadis, agris vastatis, Turcicæ feritatis quacumque hostes pertransiere, vestigiis relictis, ne a Vincentio Capellio, quem jam Corcyram pervenisse, Cretensibusque opem brevi laturum ferebatur, ad certamen ineundum Chariadenus cogeretur, e Cretensibus litoribus abscedens, Eubœam versus iter flexit.

*Turcæ ab Andrea Grito, Cydoniæ præfecto, profligati.*

*Venetorum consilia de bello administrando.*

Dum Venetorum ditiones oppugnantur, incenduntur, ac diripiuntur, quidnam de bello administrando Vincentio Capellio imperatori mandaretur, sedulo, & accurate disceptabatur. Classe Turcica in Adriaticum sinum penetrante, anteverteretne Capellius, an a tergo insequeretur; illo maritimarum virium, quod præ ceteris maxime optandum erat, conjunctionem impediri; hoc indefensas eas omnes oras, ac regiones, quæ Adriatico mari alluuntur, hosti relinqui videbatur. Collegii Patres scribendum Capellio censuere, ut hostibus in Adriaticum irrumpentibus, in Illyrico iis, quæ sibi viderentur, præsidiis relictis, ultra Corcyram ad populos in fide retinendos; hostium commeatus intercipiendos; classem cum fœderatis conjungendam se contineret: hostes vero altius sese in sinum inferentes insequutus, quammaximis posset detrimentis afficeret. Constantinus Priolus ordinum Sapiens, ut decernendi ea in re facultas imperatori permitteretur, suasit; eo in primis ductus, quod superiori anno cum Pesareus extra Adriaticum sinum commorari jussus fuisset, ex eo potissimum belli origo fluxisse videretur. *Varios adeo, atque incertos eventus esse, ut plerumque par-*

*vis*

*vis successibus maximarum rerum momenta vertantur, quæ* 1538
*nullis humanæ prudentiæ viribus anticipari queunt: veteres Respublicas, quæ rerum gestarum gloria floruerant, bella ingenti cum virtute gesserant, ducibus summam administrandi belli permisisse; Romanos sæpius ea verba adjecisse:* Viderent, ne quid Respublica detrimenti caperet; *quibus in omnes casus intentos, ac providos duces facerent. Senatum perraro imperatoriam auctoritatem arctius adstringere solitum; cum fecisset, haud parva incommoda expertum: neque id temporum conditionem exposcere: commeatuum asportatione adversus fœderis conditiones a sociis interclusa, ut si classis nostra Turcicam insequeretur, annona fortasse laborandum esset; præeuntem ex urbe, atque aliis locis illi commeatus subministrari posse.*

Contra dicebatur: *magni referre, utrum in sinu Adriatico, an extra classis commoraretur, idque in earum rerum numero esse, quæ Senatusconsulto decernendæ essent; nec ex eo quidpiam de imperatoris auctoritate imminui: an vero hoc illi permittendum, quo potissimum imperii incolumitas niteretur? nam si antevertere hostes vellet, quonam illi tutus, nisi in hæc æstuaria, receptus esset? ubi navales turmæ domus invisendæ cupiditate, triremes desererent, reliqui commeatu insumendo urbem obsiderent; tot sumptus inutili desidia tererentur; cum parvis navigiis, non longis navibus, ob locorum situm, opus esset? Illyrici quin etiam, ac reliquos orientis populos, classe, unico belli præsidio, absente, animum desponsuros, hostis potentia perterrefactos, suis rebus consulturos: huc accedere, quod nostris in sinum Adriaticum se recipientibus, omnis de sociandis maritimis fœderatorum viribus spes abjiceretur, quo nihil vel ad potentiæ opinionem augendam, qua maxime bella administrantur, vel ad hostium impetus frangendos præstabilius effici posset: neque commeatuum inopiam pertimescendam, cum ex Creta, & Cypro ingens copia suppeditari possit; ac vix credibile esse, ut Cæsareani ex Iapigia, & Campania annonam ad classem sublevandam comportari non finerent. Quid vero ex ceteris rebus publicis peti exempla; cum illud constet, sæpius latissimam imperatorum dignitatem quibusdam veluti limitibus fuisse circumscriptam? sæpius nimia ducum au-*

*cto-*

1538 *ctoritate magna rebus publicis detrimenta illata esse? Romanos luculentos harum rerum testes existere: majores nostros nullis coactam terminis magistratuum potentiam, uti nonnunquam reipublicæ labem injecturam, exhorruisse: imperatoriam dignitatem, cujus summa est auctoritas, Senatus jussis, ac decretis temperasse. At mandatum id anno superiore: inde causas belli exortas. Quid vero aliud injungendum Pesareo erat, nisi ut, pace non adhuc ab hoste violata, præsertim cum ille Apuliam invasurus esset, extra sinum liberiori mari se contineret? neque inde, sed aliis de causis ad bellum ventum esse.*

*Senatus decretum de mandatis Capellio mittendis.*

Hæc cum in utramque partem adducerentur, frequens Senatus ex Collegii Patrum sententia scribendum Capellio censuit: illud quoque adjectum, ut quamprimum se cum fœderatis conjungeret; cum pontificio, & Cæsareo imperatoribus de bello consiliis initis, quæ major pars statuisset, ea mature exequeretur. Novem ac quadraginta triremibus classis Veneta constabat, inter quas cum plures, navalibus sociis interitu absumptis, aut ægritudinibus confectis, ad munera maritima obeunda parum idoneæ essent, ut aliæ triginta militariter instruerentur, decretum: una & viginti leviores, tres nothæ, sex e majoribus, quibus præfectus a Senatu, quatuor librarum aurearum stipendio in mensem, tribueretur. Huic injunctum, ut Anconem ad quinque peditum millia, qui in Pontificis, atque Urbinatis ditionibus conscribebantur, subducenda proficisceretur, quibus Illyrici, ac reliqua Reipublicæ maritima oppida firmarentur; mox imperatori se adjungeret, quinqueremibus, ac nothis præesset. Statim vero quinqueremes lustratæ cum sexcentis peditibus in supplementum classi missis, e portu solverent.

*Delectus militum a Venetis in Piceno habitur.*

*Cassinus Nauplium aggreditur.*

Dum hæc agerentur, vario, ac dubio marte in Reipublicæ ditionibus certabatur. In Peloponneso Cassinus præfectus, qui superiore anno Nauplio, atque Epidauro tentatis, sex passuum millibus Argis castra posuerat, anni initio Nauplium adortus, dispositis tormentis mœnia cœpit quatere; quo propugnatoribus majorem terrorem incuteret, ad magistratum, ac populum literis scriptis, quibus ad deditionem, multis pollicitis præmiis, alliceret; minas, & gravia quæque, ni mature se dederent, comminatus. Verum ardens adeo voluntas, ac studium

*Subsidium Nauplium delatum.*

dium cunctorum in propugnatione fuit, quod, & natura loci 1538
augebatur, & spe propinqui subsidii a classis Venetæ ducibus sustentabatur, ut, nullo responso Cassini literis dato, singulorum tuendæ urbis acrior cura animos solicitaret: cum iiij. nonas februarii commeatuum haud exigua vis, ducenti ac quinquaginta pedites sub præfecto Antonio Maria Tifernate supervenere. Mox iiij. nonas martii Augustinus Clusonius, militiæ præfectus, cum Joanne Antonio Roncone centum & quinquaginta viris militia claris, annona, ac bellicis apparatibus accessit. Is, Nauplio lustrato, & iis, quæ ad firmandum oppidum necessaria videbantur, dispositis, nihil, quod vel ad incolas defendendos, vel ad hostes oppugnandos spectaret, impiger, atque in omnem occasionem intentus, prætermittebat. Nam inter cetera cum nocte concubia irrumpere ex oppido in hostes decrevisset, trecentis instructis peditibus, quos albentes tunicas superindui jusserat, una cum Roncone urbe egressus, vix trecentos passus processerat, cum in hostium centum equites in insidiis delitescentes incidit; eos depugnans partim cecidit, partim in fugam conjecit: qua re Cassinus vehementer incensus, cum e Nauplio ducenti Itali pedites, Ronconio duce, ac sexaginta equites, quibus Victor Busichius præerat, una cum Clusonio aquatum exissent, quod in urbe aquæ penuria laboraretur, centum Turcis equitibus præmissis, qui statim pugnam capesserent, Cassinus, monte Divi Eliæ circumacto, cum equitibus mille supervenit. Nostri improviso advenientes hostes conspicati, cum tuto se recipere in urbem non possent, impetum excepere, ac fortiter pugnando, mœnia urbis subiere, acri adeo vi, & numero Turca ingruente, ut quadraginta nostrorum interficerentur, inter quos Ronconius fuit; ac Victor Busichius glande plumbea trajectus, intra paucos dies excessit. Clusonius cum intrepide hostes sustinuisset, intra mœnia cum reliquis se recepit. Turcarum circiter ducenti nostrorum virtute cecidere. Mox Cassinus, Palamida monte, qui Nauplio imminet, occupato, propugnaculis, ac munitionibus extructis, tormentis bellicis mœnia verberare, & nostros ab urbis exitu prohibere cœpit; ac iiij. nonas maji Argis cum exercitu (is præter peditatum trium millium equitum numero constabat) movens, ad Paleocastrum

1538 ſtrum, quod duobus, & quingentis paſſuum millibus Nauplio diſtat, caſtris poſitis, arctiori obſidione urbem premere eſt adortus.

Eodem tempore in Illyrico vario rerum ſucceſſu pugnabatur. Nam Franciſcus Barbarus, equitum præfectus, Carinum hoſtium oppidum aggreſſus, duobus captis propugnaculis, Turcas ſe recipere in arcem coegerat; ad quam cum ſitu, ac munitione prævalidam expugnandam, majoribus viribus opus eſſet, ſuburbiis incenſis, direpto agro, hoſtibus perterrefactis, ut per multos dies ab incurſionibus abſtinerent, Jaderam reverſus eſt. Per eos dies Turcæ ad viginti millia, ut ejus urbis oppugnationem tentarent, Cliunum convenere; ex iis peditum duo, quatuor equitum millia Nadinum, oppidum in Reipublicæ finibus ſitum, adorti, certis conditionibus recepere; centum, ac quinquaginta milites, qui cuſtodiæ præerant, Jaderam ſe contulere. Ea in urbe cum pecunia in militum ſtipendia non ſuppeteret, ac tormentarius pulvis deficeret, & propugnaculum, quod *Pontonum* vocatur, fundamentorum anguſtia corruiſſet, Senatus argentum ad militaria ſtipendia perſolvenda, atque ad urbem muniendam tranſmiſit. Scodræ quoque Sangiacus cum quindecim hoſtium millibus Antibarim aggreſſus, in litore urbi propinquo caſtra poſuit; ſed a Nicolao Bondimerio ſinus præfecto, atque a Capellio claſſis imperatore Antibarenſibus præſidio illato, Turcæ, obſidione relicta, Olchinium perrexere: centum Illyrici, quinquaginta Carni equites ſubſidio miſſi. Verum hoſtes x. kal. maji Uranam, oppidum agri Jaderenſis, cum ſex peditum, & duorum equitum millibus aggreſſi, vi cepere: quo eventu noſtri Aenonam urbem, quod nullo munimento nixa hoſtibus pateret, deſeruere. Inde ingens Jaderam, ac vicinas inſulas terror occupavit, atque a Senatu, ut ſuppetias eorum afflictis rebus ferret, petiere. Pedites trecenti, ducenti equites ſubſidio miſſi: quindecim patritiæ gentis, qui ſtatim in Illyricum proficiſcerentur, ſingulis triginta datis peditibus, creati; decem Jaderæ cuſtodiæ, bini Sico, terni Aſcrivio præeſſent; tridui ad profectionem ſpatium aſſignatum. Haud multo poſt copias adverſus Sicenſes hoſtes movere, cujus rei rumor cum in eam urbem perveniſſet, omnes civitatis ordines in forum convenere,

*Nadinum a Turcis captum.*

*Urana in Turcarum poteſtatem pervenit. Veneti patritii cum militibus in præſidium Illyrici miſſi.*

*Sicenſes a Turcis invaduntur, & eorum in propugnando conſtantia.*

nere, ac magno virtutis, ſummo in Rempublicam fidei exem- 1538
plo, jurejurando, Cruci affixi Servatoris noſtri imagine tacta, ad defendendam urbem, vel ad interitum uſque ſe obſtrinxere. Mox a magiſtratu, & Camillo Urſino literæ Venetias tranſmiſſæ, quibus pecuniam, milites, bellicos apparatus petebant: ni cito ſubveniretur, urbem magno in periculo verſari. Subjecit Urſinus, hoſtibus Sicum obſidentibus, Spalatum deſerere, Tragurium viribus augere, in Jadera ſedem belli locare ſibi in animo eſſe. His nuntiis Venetias allatis, ut ſumma cum auctoritate præfectus in Illyricum mitteretur, decretum eſt, qui Jaderæ ſe teneret; neque inde abſque Senatus facultate diſcederet; centum octoginta aurei in ſingulos menſes tributi.

His belli incommodis illud quoque ea tempeſtate acceſſiſſe videbatur, quod non idem civium ardor, non eadem in ſubeundis publicis muneribus alacritas cerneretur, quam difficillimis temporibus Reſpublica experta fuerat; cum nonnulli vel rerum difficultate deterriti, vel grave bellum pertæſi, minores periculis animos afferrent, publicaque ſibi delata munera renuerent. Ea re cum mirum in modum Princeps angeretur, gravem in Senatu orationem habuit, qua cives ad pericula contemnenda, ad opem patriæ ferendam eſt cohortatus. *Mirari ſe, id temporibus iſtis contingere, quod alias nunquam accidiſſet. Quis enim*, inquit, *majorum noſtrorum conſtantiam, atque in exantlandis pro patria laboribus, ac periculis concordes ſpiritus unquam deſideravit? Superioribus annis, cum terreſtre imperium hoſtilibus armis quateretur, Patavio recepto, cum hoſtes in conſpectum hujus urbis excurrerent; an reſtinctus civium ardor? an de priſtina virtute aliquid remiſſum? Ingenui adoleſcentes, objectis pectoribus, Patavium adverſus hoſtes tutati ſunt; non labor cives deterruit; non pericula retardarunt; non hoſtis villas, ac vicina urbi tecta flammis abſumens, fumo prope oculis injecto, terrorem incuſſit. Vetuſtiora bella recenſentibus quis ſatis caritatem civium in patriam dignis laudibus efferre poſſit? quorum alii pecuniam; alii milites; alii vitam ultro patriæ detulere. Et nunc eo ventum eſt, ut nonnulli ne pœnis quidem lege inflictis permoti Rempublicam capeſſere velint; qui ſi majorum ſuorum*

*Andreæ Griti Ducis oratio ad civium virtutem excitãdam.*

egre-

1538 *egregia facta intuerentur, secumque ipsi reputarent, quam degeneres animos gererent, ex veterno tamquam expergefacti, nihil non pro ea patria auderent, ex qua libertatem, opes, avorum gloriam, ac denique vitam hausissent. Cur igitur cunctamini? cur difficillima, ac turbulenta hac tempestate patriæ poscenti opem denegatis? Cum hoste acerrimo, & potentissimo bellum susceptum est; sociorum imparia auxilia experimur; mora res trahi animadvertimus, ut si a nobismet ipsis belli subsidia invicto animi robore non petamus, frustra aliorum opem imploremus. Capessite Rempublicam, Patres optimi; unusquisque in commune hoc bonum incumbat, nitatur, insudet: qui consilio pollent, Reipublicæ consulant; quibus pecuniæ affluunt, affatim tribuant: omnes denique, si qua in re possint, Reipublicæ opitulentur, ac vitam, si opus sit, libenter effundant.* Hæc Principe loquuto, Maphæus Michaelius, Nicolai filius, doctor, eques, & divi Marci procurator, cum ad Principis subsellium accessisset, illius suasionibus permotum se inquit, operam suam in Illyrico Reipublicæ absque stipendio publico deferre. Gritus laudatum cum reliquis nominari præcepit. Verumtamen, suffragiis initis, Aloysius Baduarius, summus Illyrici præfectus renuntiatus, statim ex urbe proficisci jussus est. Provinciæ incolis, ut conjuges, liberos, atque opes Venetias transmitterent, permissum.

*Aloysius Baduarius summus Illyrici Præfectus.*

*Franciscus Barbarus & Paulus Ursinus ad Sicum missi.*

Franciscus Barbarus, equitum præfectus, ad Sicum tuendum, & Paulus Ursinus cum centum ac quinquaginta peditibus missi sunt. Is cum Sicum pervenisset, Camilli Ursini patris mandato trusatiles molas, quæ in agris erant, destrui, & suburbia satis ampla mille ac quingentis excipiendis accommodata, everti, & dirui mandavit. Hoc edicto magistratus, atque universa civitas adeo perturbata, & commota est, ut certos homines ad Ursinum mitteret, qui illum enixe rogarent, ne in sententia persisteret, neu funesto hoc, & miserabili facto urbem Veneto nomini addictam deformaret, atque immeritam plecteret. Verum Marcus Antonius Priolus, triremis præfectus, quem antea Pesareus classis imperator summa cum auctoritate Sici reliquerat, nihil moratus, Ursini mandata est exequutus; neque tamen ea de re invidia caruit, quod privato in Sicenses odio atrocis edicti nimium diligens curator fuisset; qui ut ab iis regioni-

*Sicensium suburbia a Marco Antonio Priolo diruta.*

bus

bus amoveretur, civitas a Senatu petiit. Vincentii quoque Justiniani, trierarchi, qui Illyrici custodiæ præerat, literæ supervenere, quibus pessimo consilio diruta suburbia, structas munitiones, perperam regi civitatem significabat. Itaque Baduario injungitur, ut, Jaderæ firmatis rebus, Sicum profectus, urbi, quammaxime posset, defendendæ prospiceret, Sicenses consolaretur, reficiendas molas frumentarias curaret, iis, qui suburbia incolebant, hortos nonnullos, atque alia loca, in quibus degere commode possent, concederet: Priolum Corcyram ad classis imperatorem proficisci juberet. Inter hæc hostes in Sicensem agrum ingressi, prædas agere, cuncta tanto terrore replere, ut milites Simonicum oppidum Veneriæ patritiæ gentis turpiter desererent. Ejus rei indignitate haud parum Venerii commoti, Illyricos milites intromisere, qui fortiter adeo invadentes Turcas sustinuere, ut, illius potiundi spe amissa, ex iis locis discederent: in itinere Nadino centum, & quinquaginta peditibus, equitibusque centum, Urana totidem firmato, quadringentis ad limites militibus relictis, iter per Bossinam in Pannoniam arripuere; ac ne Turcæ Aenona urbe a nostris deserta, potirentur, Camillus Ursinus eo cum militum præsidio se contulit. 1538

Cum hostes, Illyrico relicto, Pannoniam versus iter direxissent, Ursinus ad Decemviros literas dedit, quibus, ne milites otio tabescerent, aliquid audendum, Obroatium, Nadinum, Uranam adoriri sibi in animo esse significabat; eandem provinciæ magistratuum mentem esse: quatuor peditum millia, quingentos equites in promptu se habere; hostes parvo numero longius abesse; Turcarum præsidia in illis locis exilia inveniri; his fretum prosperos rei eventus haud dubie sibi polliceri. Missis literis, neque Decemvirum voluntate expectata, mille ac quadringentis peditibus, atque equitum manu cum aliquot bellicis tormentis, Obroatium aggreditur; quassatis mœnibus, per editas ruinas in arcem penetrat, trecentis oppidanis captis, oppido potitur. Haud multo post quinque Turcarum millia, ut suis rebus opem ferrent, supervenere. De hostium adventu Franciscus Barbarus, qui veniam abdicandi se magistratu a Patribus petierat, certior factus, ad Senatum scripsit; non modo uti præfectum equitum, sed privatum

*Obroatium a Camillo Ursino recipitur.*

Rei-

1538 Reipublicæ operam navare velle. Manere in Illyrico jussus; duodecim aureorum millia menstruis stipendiis persolvendis convehi mandatum; neque ab hostibus, quod pluribus in locis distributi essent, quidquam nostri cum numero, ac robore, pedite, atque equite superiores essent, pertimescebant. Aloysius quoque Baduarius, ut hostes invaderentur, Patribus auctor erat, ne absque ullo fructu vigintiquinque aureorum millia alendis militibus, ac munitionibus erigendis in singulos menses insumerentur: otio obtundi militum spiritus, vividum virtutis decus elanguescere, nulla prædæ spe illectos discessum moliri; ac ni quamprimum in hostes ducerentur, abituros.

*Constantinus Cavaccius Venetus a secretis in Bajoariam missus.*

His accedebat, quod superioribus mensibus Costantinus Cavaccius, a secretis Senatus, in Bajoariam ad Germanos milites conscribendos missus esset. Nam cum Imperator quinque millium in inferiori Germania delectum haberet, ut decem millia, quæ partim pontificio, partim Veneto ære stipendia facerent, cogeret, jussus fuerat. Is statim collectos in Carnos miserat; priusquam viæ se committerent, cum certam illis vim argenti persoluturum spopondisset, neque solvendo esset; ut illorum querelis obviam iret, ne tumultuarentur veritus, a Ludovico Bajoariæ Duce duodenis florenorum millibus mutuo acceptis, illorum ardorem compescuit; qui quod inutiles bello quosdam adscribere militiæ noluisset, in ipsum furentes arma convertere, haud dubie, nisi nonnulli rei indignitate permoti restitissent, barbare interfecturi. Et quoniam ad ea, quæ ab Ursino suggerebantur, conficienda copias augere in primis necessarium videbatur, an, Germanis peditibus in Illyricum evocatis, bellum administraretur, disceptatum est. Urbinatis ea erat sententia, ne aditus in Illyricum Germanis permitteretur; sed si quid moliri adversus Turcas placeret, res alterius gentis milite ageretur. Verum sua quidem sententia cunctandum esse, donec illi longius absentes oppugnatione aliqua implicarentur, neque Illyrici belli rumoribus in nosmet ipsos præpotentem hostem pertrahendum; interea Germanos dimittendos censere. Sed paulo post cum Patres Collegii adiisset, re maturius, inquit, perpensa, in Ursini descendisse sententiam, seque Senatu jubente, in Illyricum profecturum; decem peditum millia, præter eas copias, quæ in provincia essent,

*Urbinatis pollicita de Illyrico invadendo & protegendo.*

sex.

sexcentos levioris armaturæ equites petere: ad hæc majora 1538
tormenta duodecim, minora decem atque octo, cum fossorum, ac lapicidarum numero, deposcere. Trina, Clissa, & Obroatio expugnatis, Dalmatiæ universam oram ab hostibus parvo sumptu tueri velle; quæ sane duorum mensium spatio se ad exitum perducturum pollicebatur. Sed non multis interjectis diebus, vel quod abhorrere omnes fere Senatores ab ea sententia intelligeret, vel quod majoribus, quam antea sibi persuaserat, difficultatibus implicitum negotium animadverteret, mutata sententia, Obroatium nuper occupatum summo studio conservandum, ac muniendum; Nadinum quoque, & Uranam tentanda affirmavit; ad ea conficienda Camillum Ursinum cum copiis, quæ apud ipsum erant, quingentis aliis adjectis peditibus, satis fore. Ceterum ad alia expugnanda oppida magnis commeatibus, quæ ægre comportari possent, opus esse; eos asservari terra, marique certis quibusdam locis oportere. De his cum agitatum inter præconsultores fuisset, ut Cavaccio scriberetur, ad Senatum tulere: Germanos, persolutis stipendiis, dimitteret; præfectis significaret, hostes eo anno Reipublicæ ditiones minime invasuros, illorum opera opus non esse.

*Oratio Leonardi Haimi.*

Unus Leonardus Haimus, Consilii Sapiens, Germanos non dimittendos, Turcarum in Illyrico loca oppugnanda esse censebat: *Obroatio*, inquit, *capto, hostes veritos, ne latius illud incendium pervagetur, tum ad illud recuperandum, tum ad alia, quæ in iis regionibus loca possiderent, tuenda, cum militum haud exigua manu venturos; auctis Germanorum Reipublicæ in Illyrico viribus, non modo illorum impetus reprimere, propria retinere; quæ adempta fuerint, recipere; sed etiam bona prosperi eventus spe, expeditionem moliri aliquam licere, ex qua uberrimus fructus promanaret. Quis enim absque iis oppidis, quæ in visceribus, ac prope in præcordiis Jaderensium essent, satis tutam Jaderam putaret; cum ex iis nullo negotio emissi milites prædas ex agris asportare, continenter obsidione premere civitatem possint? opportune id tempus accidisse, quo Turcæ suo discessu nobis tutum ad hæc perficienda aditum reliquissent: impensas non tanti fore, ut iis deterreamur; sexaginta aureorum millibus bimestre stipendium decem*

1538 *peditum millibus persolvi; viginti millia equitibus sufficere, ea omnia præsto esse. Contra vero dimissis Germanicis copiis, quæ nunc in Illyrico essent, hostem sustineri non posse: nihil pertimescentem ad Obroatium oppugnandum venturum; inutili cunctatione, pravo consilio occasionem, quæ benignius sese offerret, prætermitti, qua Illyrici provincia firmari possit: regio frumenti ferax, glebæ ubertate fecunda, unde amplius vigintiquinque aureorum millium proventus extarent, Reipublicæ adjici, quo insularum, quæ in Aegæo amissæ fuerant, damna compensarentur: neque tandem extremo loco ponendam esse, quæ ex Germanorum missione genti iracundæ injuria inferretur, ad quam si insito quodam militum ardore ulciscendam raperetur, Carnorum agros direptionibus universos patere: aliis autem temporibus suam operam Reipublicæ pernegaturos, non citra Bajoariæ Ducum molestiam, qui pecuniam mutuam dedissent, atque a Regis Galliarum stipendiis ad Rempublicam milites transtulissent.* Hæc ab Haimo differebantur.

*Oratio Aloysii Gradonici.* Aloysius Gradonicus, Consilii Sapiens, *rerum conditiones*, ajebat, *minime exposcere, ut hoc tempore haud exiguis sumptibus bellum in Illyricum adversus Turcas moveretur, atque curæ, & cogitationes a classe, qua Reipublicæ incolumitas nitebatur, abducerentur, in qua non tantum roboris, ac virium esset, quantum ad bellum sustinendum requiri videretur: milites ad paucitatem redactos, alios ægritudine correptos, alios inermes: fœderatorum auxilia nondum in promptu esse; Pontificem ex triginta duabus triremibus vix quatuor ac viginti parum instructas habere; Carolum adhuc neque terra, neque mari quidquam aggressum esse: Chariadenum contra, ingenti, atque instructissima classe Hellesponto egressum cuncta infesta habere; ubique cædibus, incendiis, direptionibus sævire. Cur igitur novo consilio, a quo Urbinas, summæ virtutis, ac rei militaris peritiæ imperator, abhorreret, difficillimum Illyrico bellum susciperent? cum præsertim hostes cum exercitu in Pannoniam iter fecissent, atque Illyrici populis tandem respirandi facultatem dedissent. Lacesserentne hostem, atque abeuntem revocarent? illiusque arma, quæ nuper experti fuerant, iterum in Illyrici intima loca elicerent, ac traherent? Scilicet duo parva oppidula tanti esse, ut exigua illorum*

*mer-*

*merces tot incommodis, ac periculis nobis constet? Classis stipendiis persolvendis jam tempus adesse; magnam pecuniæ vim in muniendis oppidis, atque arcibus impendi; ingentem præsidiariorum militum numerum ali; publicas, ac privatas opes exhauriri.* Et jam, inquit, *iniquo pondere soli premimur, ut si bis quoque Germanus iste peditatus accedat, vel illum in Illyrico sustentare, vel in Pannoniam in Cæsaris subsidium mittere cogemur: quorum illud Illyrici incolis molestum; hoc pecunia laboranti Reipublicæ grave, atque intolerandum: errore propterea illos duci, qui ultro a Forijulii finibus in Dalmatiam, nisi forte multiplici stipendio allectos, venturos putarent; domi potius mansuros, Venetaque stipendia opportunius expectaturos; neque eam rem Bajariæ Duces graviter laturos, quod Galliarum Regem, Republica haud dissentiente, sibi conciliare possent.* His dictis, ut Germani dimitterentur, decretum est: Cavaccio primores illius gentis muneribus afficiendi, ut milites pacato itinere domum perducerent, facultas permissa. Sed nondum acceptis literis, Germani in seditionem versi Cavaccio obnunciarunt, ni sequentis diei initio dimidium menstrui stipendii persolveret, in Carnos exscensuros, nec, prius quam terna stipendia acciperent, discessuros. Cum ille pecuniæ inopia postulatis satisfacere non posset, captivum fecere. Nuntio hujus rei accepto, statim Forojuliensi magistratui pecunia missa, atque ut transitu in Carnos, aditibus occupatis, intercluderentur, jussum est. Sed jam Cavaccius, pecunia inventa tumultu sedato, Germanos dimiserat. 1538

*Germani a Venetis dimittuntur.*

*Constantius Cavaccius a Germanis captus.*

Inde ad pecuniam in sumptus belli undique colligendam conversi Patres, tributo (*taxam* nostrates vocant) civitati imposito; ut iis, qui pecuniam in ærarium conferrent, dum viverent, in singulos centenos annui quatuor & decem a quæstoribus urbanis persolverentur, decretum. Atque ut ex fisci debitoribus, unde ægre exigi pecunia poterat, certa argenti vis colligeretur, latum est; ut quotidie nominibus viginti quinque ex urna sorte extractis, ii, qui plura suffragia supra dimidiam partem in Senatu tulissent, bonis, & corpore ad solutionem cogerentur. Tres insu-

*Senatus decreta ad pecuniam colligendam.*

 per

1538 per divi Marci procuratores, denis aureorum millibus a singulis mutuo datis, maioribus comitiis creati, Hieronymus Marcellus, Bernardus Maurus, Julius Contarenus. A Pontifice quoque flagitatum, ut tandem e sacerdotiorum opibus Reipublicæ in justum, ac pium bellum incumbenti subveniret. Ea de re Romæ sæpius actitatum fuerat; ac primum Pontifici, ut decumæ licerent; atque inde decem centena aureorum millia exciperentur, placebat: deinde mutata sententia, ut in quinquennium ducenta aureorum millia ex sacerdotiorum decumis exigerentur, annuere videbatur. Verum cum res, vel Pontificis ingravescente ætate, vel naturali quadam ambigui illius animi cunctatione traheretur; tandem urgente Senatu, centum octoginta millia, quæ hoc anno persolverentur, concessa.

*Hieronymus Marcellus, Bernardus Maurus, Julius Contarenus procuratores creantur.*

*Venetis a Paulo Pontifice facultas tributa de pecuniis a sacerdotibus exigendis.*

Dum hæc in urbe intensissime fierent, Paulus Pontifex, qui superiori hyeme, ut Cæsar, & Galliarum Rex in colloquium venirent, enixe laboraverat, Niceam, Provinciæ urbem, Caroli Sabaudiæ Allobrogum Ducis, in qua a Principibus de pace ineunda, ac de bello adversus Turcas administrando ageretur, delegit. Bini a Senatu legati, qui Niceam proficiscerentur, creati, Nicolaus Theupolus doctor, Marcus Antonius Cornelius: iis mandatum, ut quibuscumque officiis possent, quo concordiæ aliqua ratio inter Carolum, ac Franciscum iniretur, eniterentur; & quamprimum Andream Auriam Messanam proficisci Cæsar juberet, nostrisque se adjungeret; triremium, & navium promissa subsidia mitteret, vehementer contenderent. Non deerant, qui, Regum consilia ex insita humanis animis ambitione metiri assueti, dicerent, non in christianæ reipublicæ solidam gloriam, atque incrementum, sed in privatos Principum affectus hos labores insumptos; ac pudore quodam periclitantium christianarum rerum perfusos, ne notam neglectæ religionis subirent, ideo convenisse. Quæ enim pacis spes ex dissidentibus animis affulgeret, dum de Insubrum possessione, neutro concedente, tamdiu acriter dimicatum fuisset? Ut sibi Pontificem conciliarent, in colloquium descendisse: Cæsarem, ut justis de causis, ne Mediolanense imperium Regi concederet, palam, ac prope in totius Christiani orbis consessu se adductum profiteretur: Regem, ne

*Nicolaus Theupulus & Marcus Antonius Cornelius legati ad Niceam designati.*

jura,

jura, quæ in Insubribus ad se spectare contenderet, deseruisse; immo ut coram Cæsare tueri illa constanter videretur: neque vero Pontificem, in quo amplificandæ familiæ studium in dies haud obscuris argumentis augeretur, ætate adeo provectum, Roma Niceam usque iter habiturum, nisi ingenti spe optati cujusdam præmii alliceretur. At ne Senatus communi pacis bono, quo in primis fœdus Christianorum Principum nitebatur, obstitisse existimaretur, legationem decreverat, licet Cæsareanam classem ad eum conventum, ne se Venetæ conjungeret, detinendam fore animadverteret. 1538

*Marcus Grimanus Patriarcha ad classem a Pontifice missus.*

Antequam Roma Pontifex discederet, Marcum Grimanum, Patriarcham Aquilejensem, legatum ad classem cum imperio misit; quadringentis ac sexaginta illi in singulos menses aureis tributis; centum millibus ad pontificias triremes instruendas Venetiis repositis; trium millium ex sacerdotiorum proventibus in eos dispertiendi, qui in Turcica expeditione laborassent, facultate permissa. Duos quoque cardinalatus honore decoravit; alterum Brundusinum Archiepiscopum ex Aleandra familia, nuntii munere apud Rempublicam perfunctum, Metæ, Veneto oppidulo, ortum, ex imæ sortis conditione propria virtute ad illam dignitatem evectum; alterum vero ex sorore nepotem ex Sermonetta familia, annos sexdecim natum. Pridie idus maji Parmam ingressus, a duodecim Cardinalibus obviam euntibus, dominica die palmarum exceptus est; quibus de more in majori basilica consecratis, rosæ sacræ munere, quod Pontifices tradere consuevere, ecclesiam, in qua episcopatum, & legationem obierat, donavit. Placentiæ aliquamdiu substitit, quod Sabaudus illum in Niceæ arcem recipere nollet. Tandem cum Cæsar abnuentem Principem flexisset, Niceam perrexit; illi Sabaudus, arcis clavibus delatis, obvius fuit; sed ab ingressu quingenti præsidiarii milites prohibuere, frustra Duce imperante, quod tenere se illam Principis filii nomine velle dicerent; ut Pontifex intra cœnobium se recipere cogeretur. In itinere, prius quam Niceam perveniret, Theupolus, & Cornelius legati Pontificem convenere, ac Senatus de pace inter Principes, & de classe conjungenda mandata exposuere. Pontifex, illorum animis ad spem erectis, nulla in re Reipublicæ defuturum pollicitus est.

1538 Cæſar interea ab Hiſpania Aurianis triremibus in Herculis Monœci portum, qui hodie *Villafranca* dicitur, ſecundo navigationis curſu delatus eſt. Franciſcus per Provinciam magno comitatu profectus, ad Villanovanum oppidum, ultra Varum amnem ſitum, terreſtri itinere pervenit. Verum Pontifex, ut Principes in complexum, & colloquium in illius conſpectum devenirent, impetrare non potuit; cum tamen utrique ſeorſim illum adeuntes, de more a Regibus honores deferri ſolitos exhibuiſſent. Actum in eo conventu de pace eſt: multa hinc atque inde agitata, ac propoſita fuere. Trium optio Cæſari, quemadmodum alias, a Rege delata eſt: primum, ut ſibi Mediolanenſe imperium traderetur; ipſe contra quæcumque reſtituere deberet, ultro redderet; Inſubrum arces per triennium in Caroli poteſtate eſſent, Rex Allobrogum oppidis potiretur: alterum, ut ſinguli in earum, quæ obtinerent, ditionum poſſeſſione permanerent: tertium, ne quidquam per annos viginti immutaretur, ut interea natorum ad feliciorem eventum conſpirantibus animis, firmioribus concordia radicibus inſiſteret: Cæſare ex his, quod ſibi videretur, amplectente, arma in communem hoſtem ſumpturum, inſtitutoque Concilio adverſus Luteranorum ſerpentes hæreſes, quam poſſet, opem laturum. Carolus, ut ea, quæ, Madriti in Hiſpania ſancita fuerant, perficerentur, poſtulabat: Mediolanenſis imperii oppida triennio retinere, Allobrogum ditiones Principi reſtitui obnixe ſtudebat. Inde multiplex diſſenſionum ſeges, ut Principum animi mutuis diſceptationibus, atque altercationibus mirum in modum excandeſcerent. Pontifex interim adhortationibus modo hunc, modo illum orare; ſuadere, ne privatarum rerum rationibus periclitantem chriſtianam rempublicam proderent. Caroli præconſultoribus ſolidis rationibus oſtendere, Rege a fœdere Chriſtianorum Principum abſtracto, duplex Cæſari, atque utrumque difficillimum bellum, Gallicum alterum, alterum Turcicum gerendum eſſe; iis opes, ac vires, ut magnæ, & ingentes eſſent, pares non futuras. Regiis vero quot incrementa imperii, quot decora ex concordia Regi euentura eſſent, ob oculos objicere: indignum eſſe, victricia Gallorum arma, quæ olim in orientem uſque Regum religione, ac virtute promota fuerint, anguſtis adeo terminis contineri,

*Paulus Pōtifex ſeorſim cum Cæſare & Franciſco Rege convenit. Conditiones a Franciſco Rege Cæſari propoſitæ.*

ri, ut brevibus tanquam limitibus vires potentissimi regni circumscriberentur. 1538

Neque cessabant Reipublicæ legati cum Cæsare agere, ne diutius moras trahendo Venetam Rempublicam acerrimorum hostium certo discrimini objiceret; præsertim cum per eos dies multis rumoribus vulgatum esset, Suleimanum terrestribus copiis in Carnos venturum; triremes centum, ac totidem myoparones in Adriaticum sinum missurum. At Cæsar magno se pacis desiderio flagrare ajebat; sed in Regem, quod res ad exitum non perduceretur, culpam conjiciens, ne Allobrogum Principis ditiones Regi relinqueret, detineri, ne inde ad Mediolanense imperium occupandum sibi gradum faceret. Tandem his conditionibus se ad pacem descensurum pollicebatur: ut Insubres triennio depositi loco in Ferdinandi Romanorum Regis potestate essent; quibus exactis, Gallo accederent; interea vero alicui ex Cardinalium Collegio mutuo consensu imperii Mediolanensis administratio traderetur; proventus, subductis expensis, Regis essent. Aurelianus Dux a Cæsare Insubrum titulos acciperet; statim illi Ferdinandi filia connubio jungeretur; donec ad duodecim annorum ætatem (novem enim nondum excesserat) perveniret, apud Reneam Ferrariæ Ducem, Aureliani amitam, moraretur: ad ea perficienda obsidem apud Rempublicam secundum Ferdinandi filium relicturum, ipsamque, & Pontificem, fore, ut a pactis non recederet, sponsores daturum: Neapolis, ac Siciliæ regna, omnesque sibi subjectas ditiones paratum se obstringere; vicies centena aureorum millia, & quot quot Regi placerent, vades præstaturum. Franciscus, ni statim Mediolanensi imperio potiretur, nullas pacis conditiones amplectebatur, neque inanis spei cunctatione præsentem concordiæ fructum amittere, neque adversus eos, quos amicos experiretur, bellum gerere, suis rebus conducere arbitrabatur. Itaque licet Pontifex, ut illius animum flecteret, atque his conditionibus ad pacem traheret, enixe contendisset; Gasparis quoque Contareni Cardinalis, viri auctoritate, & prudentia conspicui, suasiones accessissent, impetrari nihil potuit. Quocirca cum pacis spes omnino præcisæ viderentur, de induciis protrahendis actum est, quæ tandem, Pontifice auctore, in decem annos pactæ fuere.

*Induciæ inter Cæsarem & Franciscum Reg.*

1538

*Novaria a Cæsare Petro Aloysio Farnesio dono data. Margareta Cæsaris filia Octavio Farnesio nubit. Paulus Põtifex Cæsareanis & Gallicis triremibus Genuam, & Centumcellas convehitur. Turcarũ ob inducias inter Cæsarẽ & Galliæ Regem perturbatio.*

In eo conventu magnum quoque domesticis rebus Pontificis incrementum, ac decus accessit, cum Cæsar Novariam urbem Petro Aloysio Farnesio ejus filio dono dedisset; Margaretam quoque, nuper ex Alexandro Mediceo viduam, Octavio Farnesio, Pontificis nepoti, in matrimonium collocasset; hoc facto res Italicas confirmaturum se ratus. At Pontifex ut medium se inter summos Principes gereret, sex triremibus a Carolo, totidem a Francisco, ut Genuam se conferret, postulatis, a Cæsare deductus, Genuam viij. kal. julii pervenit: mox Cæsareanas triremes conscendens, Centumcellas delatus, inde Romam petiit. Ob pactas inter Cæsarem, ac Regem inducias, præclaræ ad res feliciter gerendas opportunitates offerre se videbantur; cunctorumque ingens cupido incesserat animos, ut fœderatorum conjunctæ classes egregium aliquid adversus hostes molirentur, quos haud parum commotos ea re constaret, quod Galliarum Rex illorum amicitiam deseruisse videretur; ut Galli, qui Byzantii morabantur, perterrefacti, ne sua bona a Turcis diriperentur, captivique fierent, summopere trepidarint, & Brancardo Gallicarum triremium præfecto scriberent, ut ex insula Chio, ubi cum classe commorabatur, abscedens, in occidentem cursum navigationis intenderet.

*Oratores Veneti Cæsarem ad bellum per se ipsum gerendam hortãtur.*

Quapropter antequam Cæsar Nicea discederet, Reipublicæ legati illum adeuntes, ut non ducum opera, sed ipse per se tantum bellum administraret, Senatus nomine sunt cohortati; illo præsente, singulos de militari laude certantes, strenuam, atque egregiam operam christianæ reipublicæ navaturos; innumeros in diu optatam expeditionem proficiscentem subsequuturos; nihil illi vel ad gloriam illustrius, vel ad promerendum de christiana religione præstantius, vel ad sui nominis famam apud posteros propagandam opportunius evenire posse: sacra igitur arma indueret, & gladium, quo tot bella prospere confecerat, adversus acerrimos christianæ religionis hostes distringeret; quamprimum in Orientem ad certam victoriam maturandam properaret. Cæsar in hæc verba respondit: quæcumque pro imperii incolumitate, ac dignitate egisset, eadem ultro Reipublicæ se delaturum, cum illius res eodem, quo suas, loco haberet. His cum legatorum distineret animos, nec quidquam certi aut ab illo, aut a suis exprimi pos-

posset, Petrus Mocenicus, ordinarius orator, vereri se, inquit, ne Senatui his verbis minime satisfactum foret. Cornelius quoque, & Theupolus extra ordinem legati addidere, si hujusmodi responsum referendum esset, nullam molestiam illi exhibituros fuisse. Frequentibus hisce, ac sæpius repetitis legatorum postulatis commotus Cæsar, excandescere aliquantisper visus; sed paulo post cum æqua a se petere Senatum animadverteret, tandem, inquit, Andreæ Auriæ triremibus sibi redeunti in Hispaniam opus esse; itinere confecto, statim illum, ut fœderatis se adjungeret, proficisci jussurum: interea Ferdinando Gonzagæ, ut cum triremibus, quæ Messanæ erant, armatisque navibus Venetæ classi se sociaret, injuncturum; quocirca summam auctoritatem classis Venetæ imperatori Senatus deferret, ne, conjunctis fœderatorum viribus, rerum præclare gerendarum opportunitas elaberetur. Verum denuo colloquio cum legatis habito, ægre, ac difficulter aliquid eo anno perfici adversus hostes posse, cum jam media prope æstas esset, differebat; sequenti anno quæcumque ad expeditionem necessaria essent, mature comparari oportere; idque enixe adeo præstaturum, ut vere novo omnia in promptu forent, ipse mense martio Neapoli adesset. Addidit, e re communi esse, rursus de bello Turcico administrando agi, atque ita omnia compositum iri, ut minime ambigua victoria de hoste reportari posset. Ac tantum dicendo provectus fuerat, ut de Byzantio expugnando verba faceret: difficile haud esse unam, vel alteram, quæ ad Hellespontum sitæ sunt, arcium, quod parum munitæ, atque instructæ essent, consequi: æquum censere, se in expeditionem proficiscente, si aliqua molestia suis rebus inferretur, a fœderatis opem ferri.

*1538*

*Venetorum oratorū officia apud Cæsarem.*

*Cæsaris responsum.*

His intellectis, Capellio classis imperatori Senatus mandavit, ut, Auria ad classem accedente, una bellum administraret; neque ab illius consiliis, ut fœderis conditionibus cautum fuerat, discederet; illo absente, ducibus, qui Cæsareanis triremibus præessent, consilia, ac decreta communicaret. Ceterum de novis conditionibus fœderi adjiciendis plurimis difficultatibus implicitum negotium videbatur; plerisque his artibus Rempublicam adigi opinantibus, ut difficillimo, ac periculoso bello adeo distineretur, ut se inde explicare, atque

*Mandata Senatus ad Capellium classis imperatorem.*

1538 que a Cæsaris societate, unde ad illum haud exigua commoda pervenirent, recedere non posset: jam ad mediam æstatem ventum esse, nihil adhuc ex iis, quæ pollicitus fuerat, Cæsarem præstitisse: verba Senatui dari, Hispanica jactatione mentes perstringi; Rempublicam, hoste in ejus ditionibus furente, immensa prope impensarum mole obrui. Cur enim ad nova fœdera deveniendum esset? an aliquid ex iis, quæ pacta fuerant, sociis segnius cuncta obeuntibus, Rempublicam omisisse? Cur verborum disceptationibus, dum opportunitas pugnandi esset, tempus tererent, nisi ut negligentiæ, ac moræ excusationes prætexerent? Re itaque in Senatu agitata, Cæsari scribendum censuere, cur de novis conditionibus ageretur, nullam causam esse, cum superioris anni fœdere satis rebus omnibus prospectum cautumque esset; ea, quibus tenerentur & hactenus fecisse, & in posterum facturos: egregiam Cæsaris mentem de Turcica in sequentem annum expeditione probare; si quid, eo absente, hostile Galli in suis ditionibus molirentur, quæcumque possent, in illius, ac Ferdinandi fratris gratiam præstaturos. Eadem quoque Lopi Soriæ, Cæsaris legato, Senatus significavit.

*Senatus ad Cæsarem literæ.*

*Cæsaris propositiones ad bellicos apparatus augendos.*

At Carolus, anni præteriti fœdere non omnibus provisum esse affirmabat: ut quinquaginta peditum millia conscriberentur, statutum fuisse; nunc sexaginta millium numerum requiri: centum naves sufficere tunc creditum; nunc ducentis opus esse: tunc de excipiendo, nunc de inferendo bello agi, quo hostes intra illorum imperii viscera aggredi oporteret, atque Byzantium petendum esset: his peragendis ingenti rerum omnium bellicarum apparatu, qui opportuno tempore in promptu foret, opus esse: quocirca hac in re denuo sententiam Senatus quamprimum exquirere; cunctationem nulli magis, quam Reipublicæ detrimento esse; cum Auria, se nondum in Hispaniam perducto, cum classe in orientem proficisci non posset. Legatoque in mandatis dedit, ne tabellarium, nisi cum Senatus decreto, ad se mitteret. Plura quoque addidit, quibus, quæcumque in præsentem annum ex fœdere deberet, ea se cumulate præstitisse diceret; Mamertinas triremes, ac naves nostris consociari jussisse: ubi in Hispaniam delatus esset, Andream Auriam in orientem missurum; inducias, ut Pontifici,

ac Reipublicæ gratificaretur, in decennium sanxisse, ut reliquis 1538
solutus curis, sequenti anno in expeditionem Turcicam cunctos ingenii, ac virium nervos intenderet. Theupolo, & Cornelio in patriam revertentibus, voluptate se affici, inquit, quod gravissima hac de re Venetias reversi agere in Senatu possent: cujus mente cognita, quam in Hispania sextilem ad mensem expectare, statim, aliis omnibus prætermissis, totum in iis quamcelerrime expediendis, quæ ad bellum necessaria essent, futurum, ut februario mense cum ingenti omnium rerum apparatu proficisci in hostem posset. His ad Senatum delatis, quid repetitis Cæsaris postulatis responderetur consultum est. In diversas sententias Patres scindebantur; nonnullis ut in decem peditum millia, ultra summam debitam ex fœdere, conscribenda, centum naves, ac sex fossorum millia cogenda, Senatus portionem impensæ polliceretur, placebat: aliis, ne certæ cuipiam rei præstandæ, uti antea responsum fuerat, obstringeretur, sed quidquid in Reipublicæ facultate situm esset, præstaturum promitteret, satius videbatur. Re perpensa, atque discussa, ex priori sententia Cæsari Senatus respondendum censuit. Qua ex re magna se voluptate affectum fuisse, haud obscure significavit; cum Petro Mocenico oratori, quæ sæpius antea fuerat proloquutus, persancte confirmaret, aperiente se vere, cum classe profecturum, eximium aliquod facinus ad totius christianæ reipublicæ commune bonum, ac decus animo agitantem, nulla pericula, nullos labores formidaturum. His a Mocenico Patribus significatis, ut Cæsaris animum confirmaret, atque ad apparatus belli perficiendos incitaret, & præclarum in rempublicam christianam studium extolleret, nullum officii genus a Senatu prætermissum est. Ceterum Joannes Antonius Venerius, qui per eos dies e Cæsareana legatione redierat, atque in Senatu, ut moris est, de rebus, a se gestis orationem habuerat; cum de profectione Cæsaris in Turcas verba faceret, illo in expeditionem proficiscente, duplo majores sumptus insumendos disseruit, ad quos præstandos vix plurium annorum spatium sufficeret, cum bellis præteritis attritæ, ac debilitatæ vires adeo essent, ut impares ad immensam potentissimi hostis bellicam molem sustinendam cunctorum consensu viderentur: belli quoque Gallici nunquam suspicione va-

*Senatus responsum.*

1538 vacuum Cæſaris animum futurum; Rege nullis occupato, pace ampliſſimo regno florente, quod mari undique cinctum, Pyrenæis tantum montibus ab Hiſpania ſejungeretur.

*Cæſaris & Galliæ Reges mutui congreſſus ad Maſſiliam.*

Priuſquam Cæſar diſcederet, ut Maſſiliæ ſubſiſteret, illum inviſendi cauſa, Rex rogavit; atque cum Lotharingiæ Cardinali, magno equitum Magiſtro, & aliis Principibus ſcapham ingreſsus, ad Cæſaris triremem, quæ ad Foſsas Marianas ſupra Maſſiliam in anchoris ſtabat, ſe contulit. Ibi cum a Carolo perhumaniter exceptus fuiſset, in mutuos amplexus ſumma benevolentiæ ſignificatione deſcendere. Paulo poſt cum Rex abiiſset, parvum navigium Cæſar conſcendens, ad oppidum accedens, obvios Regem, ac Reginam habuit; a Delphino, atque Aureliano Duce, Regis filiis, aliiſque proceribus ad hoſpitium perductus eſt. Dies choreis, ac ſpectaculis inſumpta, magnificentiſſimo dapum apparatu; Cæſare ad caput menſæ inter Regem, ac Reginam ſororem conſidente, convivium celebratum. Mane, ſacris peractis, poſt epulas ſeorſim Principes duas horas mutuis colloquiis contrivere. Rex, annulo e digito detracto, qui adamantem oculi ſpeciem præſeferentem, viginti millium aureorum pretio, continebat, Cæſarem donavit: ut illum, inquit, continenter geſtando ſui meminiſſet, conſtantis, atque infractæ fidei teſtem haberet. Cæſar monile, quod collo geſtabat, Regi dono dedit. Hoc congreſſu, alterniſque Regum benevoli animi ſignificationibus, & mutuis colloquiis, vetera reſtincta odia, præteritorum certaminum funeſta memoria pace, & concordia deleta videbatur, cum Cæſari controverſias definiendas ſe permiſsurum Rex diceret; invicem ſe fovere, ac tegere fœderis, atque amicitiæ maximum fructum fore. Ceterum quod ad ſacrum bellum ſpectaret, ſi qui Principes forent, qui ægre adverſus religionis hoſtes arma caperent, amborum conſociatis viribus, cum reliquis eandem fortunæ aleam ſubire coactum iri. Ad hæc Cæſar, per arbitros eas, quæ inter ipſos difficultates intercederent, dirimi oportere: quod vero ad Turcicam expeditionem attineret, bona ſpe eſse, non vi, ſed cohortationibus, atque exemplis cunctos chriſtianæ reipublicæ proceres indiſsolubili concordiæ nexu ad pium, juſtumque bellum ſuſcipiendum incitaturum. Hæc an ſincere, atque ex animo dicerentur, an

po-

potius ( ut Regum abditi mentium recessus scrutari nequeunt) oblita, & operta simulatione tegerentur, ea, quæ postea consequuta sunt, patefecere. Cæsar a Provinciæ litoribus discedens, regiis triremibus aliquantisper comitantibus, Barchinonem perrexit, statimque jussit, Auriam in orientem navigationem intendere. 1538

*Cæsar Barchinonē delatus Auriā in orientem contendere jubet.*

Interea Grimanus, Aquilejensis Patriarcha, pontificiæ classis legatus, Venetias accesserat, lustratisque triremibus, ut se Capellio imperatori conjungeret, Corcyram petierat. Eodem quoque paulo post Ferdinandus Gonzaga, Urbinati gravi morbo laboranti, cui ex fœdere summa militiæ præfectura commissa fuerat, a Cæsare suffectus, cum Cæsareanis triremibus pervenit, navibus ad milites, qui nondum omnes convenerant, asportandos relictis. Ac licet Auriæ adventum duces præstolarentur; attamen ne inutili otio ad Corcyram sedentibus, ardor militum tepesceret, Venetæ, & pontificiæ classis imperatoribus aliquid adversus hostes moliri, in orientem pergere, illius ditiones adoriri opportunum videbatur. Gonzagæ nihil tentari absque majoribus navigiis placebat; id neque tutum fœderatorum rebus, neque e dignitate Cæsaris esse, ut exigua suarum virium parte expeditio aliqua susciperetur. At Grimanus moræ impatiens, generoso animi impetu incitatus, cum desides, ac veluti torpore correptas fœderatorum copias inspiceret, privato consilio aliquid se conficere posse ratus, Corcyra solvens cum triginta sex triremibus, Sibotam ( hodie *Divi Nicolai de civitate* vocatur ) contendit. Ibi cum a regionis incolis Nicopolim, oppidum in Actiaco promontorio ad Ambracii sinus fauces positum ( *Prævesam* dictum ) fere præsidio nudatum, negligenter custodiri intellexisset, spe bene rei gerendæ fretus, improviso adoriri statuit. Sexaginta fere passuum millia Ambracium sinum ambiunt; ad illum aditus angustus, ac fere vadosus patet, quod Ambracii amnis sabulosa materia intumescens, variis in locis soliditatem adepta sit, ut majora navigia ingressu penitus prohibeantur; neque triremibus, nisi difficulter singulis quibusque introeuntibus, iter pateat. Igitur Grimanus ad Ambracii sinus fauces cum classe delatus est; Antonius, & Christophorus Canales primi angustias superare aggressi, cum ab iis, qui arci præerant bellica tormen-

*Marcus Grimanus, Pontificis legatus, & Ferdinādus Gonzaga Corcyrā petunt.*

*Ferdinādus Gonzaga Urbinati ægrotanti sūma in militia præfectura suffectus.*

*Marcus Grimanus Nicopolim aggredi statuit.*

1538 menta, ut nostris ingressum intercluderent, summo impetu disploderentur, retrocedere jussi fuere: mox navalibus sociis, ac Epirotarum manu, una cum tormentis in terram expositis, instructis ordinibus, suburbia aggressus, occupavit, ac diripuit. Eodem tempore Paulus Justinianus præfectus audacter arctas fauces ingressus, reliquis triremibus dux itineris fuit, ut jam, occidente sole, intra sinum omnes, quamvis aliquot hostilium tormentorum pilas excepissent, irrumperent. Nocte proxima milites ad oppidum expugnandum se comparant; tumultuario opere, ut tecti mœnia subire possent, munitiones erigunt; continenter e triremibus globi in oppidum, & ex oppido in triremes excutiebantur, quorum unius ictu Vincentii Maripetri trierarchi scapha depressa est. Bernardinus Londanus cum in prora, quo certo jactu majus tormentum dirigi in hostes posset, librandum curaret, pila ferrea pectore discerpto, dimidia pars extra triremem abrepta est. Idem fatum Abbas Divi Petri, Bononiensis, navis magister, ac nonnulli alii subiere. Inde se recipere triremibus coactis, oppidi oppugnatio in crastinum dilata: cum interea nostri, quos expositos in terram diximus, assidue hostes levioribus præliis lacesserent. Grimanus, tribus e triremibus tormentis eductis, atque ab Alexandro Interamnate, peditum præfecto, ad quatiendum oppidum admotis, mœnia verberari cœpta; ipse solerti cura præsens urgere, atque militibus stimulos addere. Sed cum Nicopolitanæ oppugnationis rumor circumjectas regiones pervagatus esset, conglobati hostes ad opem suis ferendam accurrere; equites, ac pedites, ingenti clamore edito, nostros aggressi, aliquot vulneratis, atque interfectis, inter quos Camillus e Fabriano oppido glande plumbea sauciatus est, reliquos ad triremes reverti coegere. Grimanus, desperata oppidi expugnatione, militibus, ac tormentis in triremes receptis, ex Ambracio sinu educta classe, Corcyram reversus est: si votis fortuna annuisset, egregii ausus laudem cumulatam relaturus; quamvis plerisque se carpendi occasionem præbuisse videretur, quod pedites, neglecto militaris disciplinæ usu, expositos Turcis, qui equitatu maxime pollebant, objecisset, triremesque in angustum sinum, minime occupatis faucibus, haud exiguo, ut ab hostibus intercluderetur, periculo conjecisset. Verum Grimani

*Marcus Grimanus Corcyram regreditur.*

mani conatus ſaltem id præſtitere, ut, eo ſinu, ac litoribus exploratis, in aliud tempus meliori eventu illius oppidi, atque aliorum adjacentium aggrediendi tutus aditus patefieret, hoſteque ad anchoras ſtante, ex propinquo conſpecto, nobili reportandæ victoriæ viam aperuiſſet. 1538

*Chariadenus ad Ambracium ſinum eũ claſſe contẽdit.*

Namque Chariadenus, cum pontificias triremes Ambracium ſinum ingreſſas intellexiſſet, eo ſtatim cum tota claſſe intendit, ut interſepto arcto ſinus aditu, illas opprimeret. De illius itinere cum noſtri, qui Corcyræ ſe tenebant, per exploratores certiores facti, ad Prævesam jam ſubſtitiſſe cognoviſſent, variæ ducum ſententiæ erant. Nonnulli obviam Auriæ, qui ex Hiſpania in Siciliam pervenerat, Meſſanam uſque eundum cenſebant: alii a Corcyra non diſcedendum, ſed Auriam, qui brevi ſe venturum polliceretur, expectandum, ne Corcyra inſula, Adriaticique ſinus cuſtodia, quod non abſque magno Venetarum rerum detrimento fieret, deſerta videretur. Dum conſulendo in ancipiti noſtri verſantur, tandem viij. idus ſeptembris cum una & quinquaginta triremibus Auria ſupervenit, nonnullis, ut a piratis maria tuta redderentur, in Hiſpaniæ litoribus relictis: aliquot etiam in Africam, ad Tuneto, & Guletæ ſubſidia importanda, quod Turcas, atque Arabes ea oppida invaſuros percrebuiſſet, dimiſſis. Poſtera die cum claſſium imperatores conveniſſent, de bello adminiſtrando dictis ſententiis, diſſeruere. Ferdinandus Gonzaga, expoſito in terram milite, ac machinis, Nicopolim oppidum expugnandum exiſtimabat; illo expugnato, in promontorio, & dirutorum mœnium ruinis collocatis tormentis, exitu hoſtes prohiberi, atque univerſam claſſem intercipi poſſe; eoque magis quod navim onerariam ſaxorum ingenti pondere onuſtam deprimere in ipſis faucibus liceret. Ac ut id facilius conſequeretur, tres galeones innumera prope tormentorum vi inſtructos ſinus anguſtiis adverſos conſtituendos in anchoris cenſebat, ut Chariadenum evadere in altum contendentem, ingens globorum procella eodem tempore ex magnis illis navibus excuſſa proſterneret, ac demergeret.

*Andrea Auria ad Corcyram adventus.*

*Ducum fœderatorum conſilia de bello adminiſtrando.*

Gonzagæ conſilium minime Auriæ probabatur, quod exponere in terram milites, atque hoſtibus, qui equitatu præſertim maxime poſſent, objicere tutum non arbitraretur; ne, ſi quid

gra-

1538 gravius illis contigisset, onerariæ naves militari præsidio destitutæ hostibus prædæ essent; aut tempestate oborta, uti plerumque autumni tempore contingere solet, si naves in altum vela dare, & triremes se ex scopuloso litore subducere cogerentur, qui in terram exscendissent milites, commeatuum inopia deserti, ab hoste undique pressi, miserrimo leti genere occumberent. Quocirca, nisi hostis extra sinum ad certamen ineundum elici posset, utilius censere, Leucade superata, in Corinthiacum sinum proficisci, ubi & Naupacti expugnandi, & universæ illius oræ, quæ usque ad Peloponnesi isthmum pertinet, nostris vastandæ, ac diripiendæ haud contemnenda facultas esset. Aheneobarbum quoque vel periculo, vel timore adductum ex Ambracio sinu in altum se provecturum, & pugnam conferendi facultatem facturum. Auriæ sententiæ Grimanus, & Capellius accessere; cum mari potius, quam terra rem cum hostibus gerendam arbitrarentur, devictisque ac profligatis maritimo prælio hostibus, patratum jam bellum fore animadverterent.

Constabat fœderatorum classis centum triginta quatuor triremibus, triginta militariter instructis navibus; duo quoque insignes galeones aderant. Onerariis navibus Francus Auria, Andreæ gentilis, ac propinquus, præerat. Ex iis quatuordecim Alexandro Bondimerio, galeonis præfecto, parere jussæ; hæ in fronte positæ primam aciem constituebant. Grimanus, Aquilejensis Patriarcha, primam triremium aciem ductabat; postremam Capellius, classis Venetæ imperator; Andreas Auria, & Ferdinandus Gonzaga mediam tenuere. Septem ac viginti triremes pontificiæ censebantur: præfectorum nomina ne ingrato silentio premantur, apponam: fuere hi Paulus Justinianus, vir maritimis rebus a teneris annis adsuetus, cui classis pontificiæ præfectura demandata fuerat; Victor Superantius, Joannes Gritus, Christophorus Canalis, Aloysius Raymundus, Jacobus Priolus, Aloysius Justinianus, Antonius Canalis, Vincentius Maripetrus, Augustinus Contarenus, e Veneta nobilitate patritii; Abbas Bibiena, Abbas Divi Petri, Franciscus Benedictus, Alexander Rojus, Petrus Cephaleus, Marcus Hadertinus, Jacobus Seletus, Victor Petretinus, Aloysius Rosa, Franciscus Bonaldus, Thomas Rhodiginus;

*Pontificiis triremium præfecti.*

nus; ad hæc Bernardinus Londanus, qui tormento excusso in- 1538
terfectus occubuit. His omnibus Marcus Grimanus, Aquilejensis Antistes, instructissima omni bellico apparatu triremi imperabat; cui binæ aliæ adjunctæ erant, quemadmodum Justiniano præfecto totidem, e damnatorum numero cunctæ instructæ. Andreæ Auriæ aciem duæ ac viginti illius triremes, sexque Antonii Auriæ conficiebant. In Ferdinandi Gonzagæ acie quatuor illi additæ triremes continebantur, Monœci duæ, Terranovanæ duæ, quatuor Hierosolymitanæ religionis, totidem Anguillariæ Comitis, Neapolitanæ quinque: hæ omnes quadraginta novem numero erant.

*Hispanorũ triremes.*

In Capellii acie numerabantur Franciscus Paschalicus, Alexander Contarenus, classis legati; duo Francisci Zeni, senior alter, alter junior; Vitus Civranus, Aurelius Bragadenus, Dominicus Priolus, Joannes Baptista Capellius, Jacobus Antonius Maurus, Michael Grimanus, Hieronymus Contarenus, Petrus Bembus, Bartholomæus Georgius, Antonius Canalis, Zacharias Maurocenus, Hieronymus Michaelius, Donatus Cornelius, Joannes Baptista Georgius, Marcus Carolus Contarenus, Marcus Barbarus, Hieronymus Zannius, Marcus ac Jacobus Quirini, Sigismundus Contarenus, Jacobus Antonius Salomonius, Dominicus Michaelius, Andreas Pisanus, Paulus Diedus, Thomas Superantius, Jacobus Maripetrus, Laurentius Donatus, Daniel Quirinus, Franciscus Mocenicus, Fantinus Pisanus, Paulus Georgius, Franciscus Gritus; Cretenses triremes duodecim, quibus trierarchi præerant ex ea colonia Veneti patritii, Petrus & Alexander Boni, Nicolaus Mutacius, Jacobus & Antonius Danduli, Nicolaus Zenus, Nicolaus & Joannes Cornelii, Bernardinus & Antonius Polani, Maphæus Calergius, ex nobili Cretensi familia nobilitate Veneta a Republica donatus; atque Antonius Condoratus Cretensis. Illyricæ undecim accedebant, quibus imperabant Antonius Zarotus eques, Georgius Sicensis, Georgius Pajensis, Joannes Crepsanus, Lucas Dracus Ascriviensis, Franciscus Palatinus, Antonius Vitalis Pharenses, Christophorus e Dominis Arbensis, Joannes Cicuta Veglensis, Tryphon a Barcia, Michael Cipicus Traguriensis. Navium onerariarum partem alteram Francus Auria ductabat, quæ Galeone, ac viginti sex navibus constabat; alteram Alexander Bondimerius ingentis Rei-

*Venetarum triremium præfecti.*

1538 publicæ Galeonis & navium præfectus, in qua etiam magnum navigium, cui *Barciæ* cognomen inditum fuerat, Nicolao Trivisano præfecto, atque undecim onerariæ naves Venetæ, quatuordecim Cæsareanæ censebantur: ad hæc septem aliæ aderant, commeatibus, atque omni genere militarium apparatuum instructæ. Complures his adjiciebantur biremes, myoparones, celoces, atque alia minora navigia, quæ Corcyræ classi se adjunxerant, ac voluntariorum militum haud exiguum numerum continebant, ut si exacte omnes recenserentur, ducentorum & quinquaginta navigiorum numerum explerent.

Classis Corcyra solvens cum ad Communiciæ portum aliquantisper substitisset, Leucadem versus iter arripuit. Hostes, qui cum classe in Ambracio sinu degebant, nostros Corcyra solvisse, atque in se cursum navigationis intendere per speculatorias biremes certiores facti, inopinato eventu perculsi, in consilio capiendo ancipites erant: exirentne ex Ambracio sinu, nostrisque pugnandi copiam facerent; an prælium detrectarent. Qui tutiora consilia amplectebantur, e statione minime recedendum ajebant, quæ & Prævesæ oppido, & faucium angustiis tuta redderetur, atque ex propinquis regionibus commeatibus uberrime confluentibus, percommoda existeret: interim, Christianorum classe vel autumnali tempestate oborta, vel aliis difficultatibus pressa, abeunte, liberum, atque expeditum iter futurum. Sed plerisque barbarico fastu, ac superbia elatis, minime ferendum videbatur, ab iis hostibus, quibus, ut ajebant, semper arma sua gravia, & formidolosa fuerant, ac fuga salutem petere assuetis, terrifica ostentatione clausos portu teneri: itaque statim exeundum, & prælium cum hoste conserendum; incolumitatem, ac decus non ab incertis, & meticulosis consiliis, sed ab impavidis ausibus petenda. Quis enim diu tutam in eo sinu contineri posse classem certo sibi polliceretur? An non hostes, illorum ignavia conspecta, adoriri, atque oppugnare in portu possent, quo loco neque militum virtute, neque præfectorum disciplina, atque imperio aliquid egregii efficeretur? Chariadenus, quamvis animum intrepidum, ac secundis fortunæ successibus gloriæ avidum, audacia promptum gereret, attamen fœderatorum classis

nu-

1538

numero, atque apparatu haud parum commovebatur, ac præter morem ambiguis jactari sententiis videbatur; ut eunuchum quendam, qui ei comes a Rege datus fuerat, palam illum acerbis salibus perstrinxisse, atque acrioribus verbis objurgasse ferant, quod provocantibus hostibus, & in prælium elicientibus, ignava cunctatione portu se contineret, ac Suleimani potentissimi Regis gloriam fœda timoris, desidiæque labe aspergeret, cujus aliquando Byzantii pœnas daturus esset. His vocibus incitatus Aheneobarbus e sinu exire, atque cum nostris confligere statuit, veritus, ne, prælium se detrectante, æmulis, quos multos Byzantii habebat, illum apud Regem carpendi, & in ejus exitium conspirandi occasio præberetur; cum præsertim ex Corcyræ expeditione superiori anno parum feliciter suscepta, atque administrata, magnam sibi apud omnes invidiam conflasset. Itaque ex Ambracio sinu classem educere, nostrisque pugnandi copiam facere decrevit.

*Aheneobarbi consilium de prælio committendo.*

Erant illi octoginta septem triremes, biremes rostratæ ferme triginta; præterea biremes, & myoparones tot aderant, ut centum ac quinquaginta navigiorum numerum conficerent: robur, ac vis in triremibus, quibus nostros superabat, sita erat, ut si absque onerariis navibus cum fœderatis dimicandum foret, non exigua victoriæ spes adesse videretur. Cum igitur in altum evadere, atque in conspectum christianæ classis prodire statuisset, triremes quinquaginta ad tentandos, atque explorandos fœderatorum ducum animos, ipse mox cum reliquis subsequuturus, præmisit, ut de numero, & acierum ordine, quo christiana classis incederet, edoctus tutiora, atque expeditiora consilia gerendæ rei caperet. Nostri, qui Leucadem versus iter habebant, ab iis, qui in summis malis, & carchesiis navium erant, de hostium egressu admoniti, ad Ambracii sinus fauces contendere. Atque navigatione immutata, primum aciei locum Capellius, Venetus imperator, obtinuit, Grimano Patriarchæ postremus obvenit. Capellius e longinquo triremes Turcarum conspicatus, vehementiori nixu remige contendente, in hostes invehitur; majoribusque in ipsos excussis tormentis, adeo celeriter se recipere coegit, ut triremibus certatim sinus faucibus, quo se periculo eximerent, ingredi conantibus, perturbatis ordinibus, nihil ex disciplina militari administraretur:

*Turcæ ad conspectum christianæ classis in Ambacium sinum se recipiunt.*

1538 cum obversis puppibus, tormentorum nostrorum ictibus paterent, neque loci angustia aut sibi invicem auxilio esse, aut a reliqua classe, quæ sinu continebatur, subsidia mitti possent. Id cum Auria, qui mediam aciem tenebat, animadvertisset, propius se in hostes intulit; qua ex re cunctorum ad præclaram a fortuna proterendi hostis oblatam opportunitatem erectis animis, quidnam ipse moliretur, attentissime circumspiciebatur; cum ad arctos sinus aditus accursurus videretur, ut perturbatos, atque incompositos hostes cum reliquis fœderatis adortus, reditu intercluderet; ac globorum procella a tergo, atque a lateribus obrueret, & in ipso sinu deleret. Verum cum in conspectum hostium venisset, præter omnium spem, statim gravibus propositis pœnis, triremes se recipere jussit, classemque omnem ad Leucadis insulæ promontorium, quod *Ducatum* vocant, coegit, non sine omnium querelis, turpibusque in Auriam maledictis, ac probris, quod vel ignavo, vel maligno consilio eximiam profligandi hostis occasionem, quæ jam prope manibus teneretur, elabi permisisset.

*Andreas Auria spem maximæ victoriæ adipiscendæ amittit.*

Leucade denuo exquisitis ducum sententiis, nonnulli cum triremium manu Naupactum oppugnandum censebant, ut, educto ex angustiis hoste, libero mari confligeretur. Alii quamprimum Nicopolim redeundum arbitrabantur: nihil movente Turca, oppidi expugnationem tentandam; vel, pugnandi facultate oblata, prælio decernendum. Igitur iij. kalend. octobris, nihil immutato acierum ordine, Leucade nostri solventes, in hostes prospero vento, navibus onerariis præmissis, iter intendunt. Dum hæc fierent, Chariadenus universam classem in apertum pelagus eduxerat, ea ratione instructam, ut mediam ipse aciem obtineret; dextrum cornu Tabaches, Salecus sinistrum pari triremium numero ducerent. Secundo vento sese inferentem, nostri priusquam ad sinus fauces accessissent, adversus ipsos venientem conspexere. Tunc Auria ad reliquos classis imperatores conversus dixisse fertur: *Hostem jam e sinu, uti maxime optabamus, eduximus: in nobis certamen inire situm est: hoc momento omnis christianæ reipublicæ incolumitas, ac dignitas vertitur. Videte, ne in incertam fortunæ aleam classem non modo istam, verum fœderatorum Principum decus, & salutem conjiciamus. Quo enim, tot navibus,*

*ac*

*ac triremibus amissis, confugiendum erit? quæ spes reficiendæ classis? quisnam currenti victoriæ frenum injiciet, ne universæ maritimæ oræ statim, cunctis destitutæ subsidiis, in hostium potestatem concedant, Hæc vero te*, inquit, *Capelli, eo magis dispicere, atque oculis subjicere oportet, quo tuæ Reipublicæ, de cujus imperio, ac libertate agitur, majora, & certiora pericula imminent*. Ad ea Capellius, *Injunctum sibi a Senatu*, inquit, *ut, pugnandi opportunitate oblata, cum hoste confligeret: ab illius jussis se recedere minime posse: ingentes Deo immortali, ac Cælitibus gratias agere, quod præclaram adeo naviter gerendæ rei occasionem obtulissent; egregios animorum impetus & pro reipublicæ christianæ gloria, ac salute susceptos conatus, cum optimo jure niterentur, optima in spe fortunatos, ac prosperos eventus non sine ingenti illorum gloria consequuturos: quod vero ad se spectaret, nulla pericula formidaturum, omnes labores fortiter, atque intrepido animo subiturum*. Idem Grimani legati consilium, atque ardor erat. Auria, illorum auditis sententiis, *Quod faustum, felixque sit*, inquit, *hostem, Deo favente, aggrediamur; ausus nostros fortuna secundet*. Tunc vexilla ad præliun ineundum tolli, atque explicari jussit, sua acie primos impetus in hostes se editurum pronuncians. 1538

Ingentibus cunctorum plausibus, ac summi gaudii significationibus prælii committendi signa excepta sunt, victoriæ spe sublatis animis, quam ut sibi haud ambiguam pollicerentur, tum fœderata classis, militari disciplina instructa, amplitudine, atque apparatu terrifica, tum crebri de Turcarum virium imbecillitate nuntii efficiebant, ut illos inani ostentatione contentos pugnam non excepturos, sed in easdem fauces redituros crederetur. Itaque singuli ad pugnam se comparare, munera militaria strenue obire; duces adhortando, & suadendo incitare: Nunc opima hostium spolia, nunc militaria decora ob oculos ponere: hostes navigiorum numero, ac viribus, militum virtute nostris haud pares esse: jam quid possent satis patuisse, cum e faucibus Ambracii sinus egressi, perterrefacti, perturbatis ordinibus, conferti sese recepere: nullam illis spem, nisi in tuto ad suas regiones receptu esse: quod illis omnes virtutis nervos elideret, optatam, ac

*Fœderatorū ducum de certamine ineundo decretum.*

1538 certam nobis prædam polliceretur: celeritate, atque ausu tantum opus esse: certa manere nunc præmia; ad majora patranda aditum aperiri, unde in omnem posteritatem immortalibus laudibus virtutis fama, atque pro christiana religione egregie facta concelebrarentur; illorum vero, qui fortiter pugnando occumberent, animos ad beatas Cælitum sedes evolaturos. Primæ aciei locum a dextro latere, qua in altum mare expanditur, Auria delegit; mediam Capellio attribuit; Grimanum in subsidiis cum postrema locavit; Francum Auriam, navium præfectum, triremes anteire, atque in eam partem, quo ventus ferret, obvertere puppes jussit, ut, eo impellente, adoriri hostes, ac tormentorum ictibus, antequam pugnam triremes capesserent, illorum acies perturbare posset, ac disjicere. In id quoque summo studio, atque acriter Turcæ intendebant, ut fœderatorum classem prætervecti, ventum exciperent, & priores in nostros impetum facerent. Quod Auria animadvertens, suam aciem ad terram flexit, quo aditus ea parte hostibus intercluderetur. Verum considente vento, tanta subito malacia, ac tranquillitas extitit, ut, ne a triremibus onerariæ sejungerentur, eas tarde, ac non absque difficultate remulco duci opus esset. Sed cum nihil ad pugnam incensis animis arduum videretur, magno nixu in hostium conspectum galeonem Venetum, ac barciam pertraxere, quæ navigia omni armamentorum genere referta, atque in primis magno tormentorum numero instructa, ad cunctos impetus hostium excipiendos pro fortissimo muro, & propugnaculo aderant.

Chariadenum fœderatorum admirabili ordine classem adornatam, atque onerariarum robur in fronte locatum, secundo vento deferri conspicientem, ne cum majoribus navigiis dimicare cogeretur, veritum, quod nimis præpropero consilio e sinu egressus esset, pœnituisse fertur: ingensque adeo timor universam Turcicam classem invaserat, ut complures Christicolis, qui misero servitio ad triremium transtra detinebantur, se, resque suas perquam demisse commendarent. Sed paulo post, pristino vividi spiritus impetu assurgente, cuncti strenui imperatoris officiis perfungi, se ad pugnam comparare, suos hortari, incendere, fructum victoriæ ostentare; nunc minis terrendo, nunc præmia pollicendo, dimicandi ardorem injicere:

ho-

hostes vinci assuetos, acrem illorum impetum non expectaturos: certamen alacres inirent; mortis timore, ut mos ferocis gentis est, abjecto, fortunatissimi, ac felicissimi Suleimani Regis auspiciis, atque ductu, veluti si præsens adesset, in hostes ruerent. Id porro consequi Aheneobarbus nitebatur, ut ultra Leucadis promontorium delatus, pugnam cum onerariis navibus vitaret, classeque circumducta, fœderatos a tergo aggrederetur, qui, ne ab onerariis sejungerentur, ægre, ac difficulter loco moveri possent. Itaque adeo obstinata contentione hostes se invexere, ut prope litus adnavigantes, eam stationem, in quam se inferre, atque hosti eripere nostri decreverant, occuparent; & ab onerariis navibus longius provecti, ad prospectum fœderatæ classis constituti, omnes ducum motus inspicerent, & observarent, absque magnis navibus in prælium minime nostros descensuros rati. 1538

Auria interim naves, cunctis subsequentibus triremibus, sinuosis flexibus circuendo, cunctorum mentes anxias suspensa expectatione detinebat; ac jam illum, proris in hostes obversis, impetum facturum, & signa conserendæ pugnæ editurum sperabant. Verum cum nimia mora, & cunctatione tempus tereretur, præclaraque egregie gerendæ rei opportunitas elaberetur, cunctis stupore, atque admiratione defixis, fœderata classis fere immota stabat, labentis occasionis, sui imperatoris inertiæ, hostium accuratæ contentionis otiosa contemplatrix. Id Capellius, & Grimanus imperatores cum ineundæ pugnæ avidi ferre non possent, summis vocibus, ut a compluribus exaudirentur, inclamabant: *Jam satis mora temporis insumptum, ne quod reliquum erat, contereretur, ne prope certæ victoriæ spes desereretur.* Constat Capellium e sua puppi in scapham descendisse, ac inter triremes tortuoso ambitu devectum, voce, vultu, nutibus nostros ad pugnam edendam inflammasse; illius verba a cunctis ingenti applausu, non sine maximis audentis virtutis præconiis, excepta fuisse: ad prætoriam vero Auriæ delatum, illum his verbis compellasse: *Quid moraris imperator? cur hostes jam jam fugientes non invadimus? nonne militum voces, cunctorumque pugnandi ardor ad prælium feliciter conserendum invitant? Victoriam in manibus tenemus.*

*Vincentii Capellii verba ad Andream Auriam.*

1538 *mus. Prima pericula, primos incursus in hostes deposco: signum ede pugnæ*. Simul fulgidum, quo indutus erat, thoraca pulsans, *In hoc*, inquit, *ut minime degenerem Venetæ Reipublicæ imperatorem decet, aut gloriose vincam, aut victus pro patria, ac religione non inultus occumbam*. Erat Capellius egregia corporis specie, cui senium (tertium enim ac septuagesimum annum agebat) nihil virium ademisse videbatur; animo vero intrepido, rerum maritimarum usu ea tempestate clarissimus, prudentiæque, ac fortitudinis admirabili quodam temperamento admixtis, opinione apud omnes percelebris, quæ suis consiliis, atque adhortationibus magnum auctoritatis pondus addebant. His cum militum pugnam deposcentium, geminatisque vocibus *Victoriam* inclamantium accederent, permotus Auria, ac veluti quodam verecundiæ rubore perfusus, procedi jubet; ipse quoque cum ea, quam ductabat, acie movit: atque, onerariis prætervectis, propius se in hostes classis fœderatorum intulit, qui obversis pelago proris, litora puppibus prætexebant. Tormenta utrinque, licet eminus, ingenti fragore multiplicatis ictibus displosa, ut jam cœptum prælium videretur; cum tamen triremes hinc, atque inde consisterent, neque ad pugnam cominus capessendam incitarentur; siquidem Auriam ea spes remorabatur, quod perterrefactos hostes triremes relicturos, expositisque in terram militibus, fuga salutem quæsituros, incruentamque victoriam relaturum sibi persuaderet. Chariadenum vero justus timor, ne ulterius progrederetur, detinebat, quod galeonem, & barciam, fortissima Venetorum navigia, triremibus insistere animadverteret, vereretur que, ne immanium tormentorum globis classis illius ordo, quo nihil aut decentius, aut firmius excogitari poterat, perturbaretur, ac triremes ingenti illorum vi disjicerentur, & deprimerentur.

*Vincentii Capellii elogium.*

*Andreas Auria a prælio conferendo classem abducit.*

Ceterum Auria cum aliquantisper in conspectu hostium fuisset, atque suis consiliis nusquam respondere fortunam animadvertisset, prælii se discrimini committere nolens, palam cœpit se subducere. Inde hostibus increvit audacia; tantumque se intulerant, ut complures ex illorum triremibus prope galeonem, ac barciam accederent, quod ingenti sua mole minus expedite se recipere poterant; ac, pila ferrea in galeonem excussa, cum tor-

tormentarii pulveris cadus ignem concepisset, nautis, & militibus magno in timore, & consternatione versantibus, Alexander Bondimerius, præfectus, militari virtute, ac prudentia, forti animo, atque in omnes eventus expedito, periculum discussit, & cunctos hortando, suadendo ad constantiam, & fortitudinem erexit; prudentique consilio, ne tunc tormenta in hostem torquerentur, jussit. Idem Nicolaus Trivisanus, barciæ præfectus, suis imperavit: subeuntes enim Turcas, tanquam rerum navalium peritissimi, expectabant, ut de repente sævam omnis generis machinarum bellicarum procellam in ipsos effunderent. Neque eos opinio fefellit; nam hostes audaciores facti, cum intento remigio propius accessissent, gravi adeo glandium, & pilarum grandine perfusi sunt, ut, haud exiguo detrimento accepto, summa cum trepidatione se recipere cogerentur. 1538

*Turcæ gravia damna fœderatis navibus inferunt.*

Eodem tempore hostes diversis in locis naves, ac nonullas triremes, quæ pari celeritate reliquas insequi non potuerant, aggressi, pugnam edidere; nam in duas onerarias naves, quarum altera Buccanigra cum Hispanorum cohorte, altera Macinius Moncata Cantaber vehebatur, impetu facto, tormentorum displosione ita petiere, ut incensis velis, fracto malo, Hispanis, & nautis compluribus interfectis, omnino perierint. Duæ præterea Venetæ commeatibus onustæ, dum acriter cum hoste dimicant, conjectis ignibus; paucis in scaphas desilientibus, aut ad socias naves adnatantibus, conflagrarunt. Binas triremes, Venetam unam, cui Franciscus Mocenicus, Thomæ filius, alteram pontificiam, cui Baptista Bibiena, vir sacratus, præerat, Salecus intercepit; quæ, omnibus fere nautis, ac militibus in pugna interfectis, in illius potestatem concessere: trierarchi fortiter dimicando occubuere. Aloysii quoque Figaroæ, Hispani, navis, licet suæ cohortis milites aliquantisper hostes sustinuissent, capta est. Verum turbatis repente nubibus, euro flante, procella exorta, intendentibus se tenebris, majoribus expansis velis, ac dolonibus sublatis, &, ne ab hostibus internosceretur, laternarum, quæ in prætoriarum puppibus præferri consuevere, luminibus extinctis, vehementius euro se incitante, classis Corcyram pervenit; at dissipatis adeo ordinibus, & cunctorum justo potius dolore, quam metu fractis animis, ut a multis vi-

*Francisci Mocenici & Baptistæ Bibienæ triremes captæ.*

*Fœderatorum classis Corcyram appulit.*

1538 ctos e prælio discessisse crederetur. Hoc fœderatorum classis ad Corcyram receptu sublatis Turcarum animis, Chariadenus haud multo post ad Paxum insulam, tanquam nostros ad pugnam provocaturus, appulit; ut, si e portu prodirent, acie certaturus videretur: sed omnia apud nostros trepidationis plena erant, ut nihil ex militari præscripto administrari, aut geri posse censeretur. Andreæ Auriæ, classium fœderatorum imperatoris, tristia, & infausta auspicia, suspecta consilia, dubia fides, restinctus in cunctis fere generosi animi ad gloriam impetus, ambiguæ sententiæ, quamplurimæ in iis, quæ agenda proponerentur, difficultates effecerunt, ut triremes in portu coactæ torpescerent, & jam propinqua hyeme militarium rerum gerendarum opportunitas eriperetur, atque hostes autumnales veriti tempestates, cum jam nonæ octobris adessent, in Ambracium sinum se reciperent.

Hunc exitum fœderatæ, ac Turcicæ classis congressus ad Nicopolim prope Actiacum promontorium habuit, quo Christianorum virtus maritimo robore clarissima, elanguisse, atque haud parum pristini decoris amisisse visa est; barbarorumque ad navalium rerum disciplinam, & gloriam adipiscendam ingenia incitata sunt. Sed in communi dolore omnes in Andream Auriam culpam conferebant, maledictaque, & contumelias in eum jaciebant, quod vel ignavia, vel in Venetos odio eximia victoriæ decora christianæ reipublicæ eripuisset. Atque eos, qui humanis expendendis actionibus inveterato rerum usu præstabant, hæc permovebant: amicitia, quæ Auriæ cum Chariadeno intercedebat, jam tum primum inita, cum ille Massiliæ Gallorum Regis stipendia mereret; hic vero Algerii in Africa esset. Multa inter se, hinc atque inde commeantibus nuntiis, agitata; duæ quoque rostratæ triremes in vesperum, pridie quam hostis se in conspectum nostræ classis daret, ex Ambracio sinu egressæ; quarum una in Siciliam delata, in Panormi portu aliquamdiu substiterat; altera cum prope ad Auriæ prætoriam accessisset, postea in sinum se recepisse dicebatur. Suspicionem auxere, quod atro colore triremium malos, & antennas infici mandasset; idque eam ob causam factum fuisse, ut a reliquis internoscerentur, censebatur. Nec deerant, qui ambitionis, atque avaritiæ illum carperent, quod triremes, quibus privatæ ejus opes, totaque amplitudo nitebantur, in ancipi-

*Andreæ Auria Venetis suspecta consilia.*

cipitem certaminis aleam dare noluisset. Neque a probris in illum congerendis Hispani abstinebant, Anguillario Cæsaris legato Romæ, quæ ab Auria acta fuerant, improbante, atque acerrime sugillante. His rumoribus, ac vocibus adeo acerbe jactatis ita animo angebatur, atque incredibili mœrore conficiebatur, ut Corcyram reversus, raro in publicum prodiret, & cum de Actiaco eventu sermo coram illo haberetur, sera fortasse pœnitentia adductus, vix lachrimas cohiberet. Constat, Ferdinandum Gonzagam, Siciliæ Proregem, duobus Hispanis viris insignibus comitantibus, noctu Capellium imperatorem adiisse, secretoque illi aperuisse, Nicopolitanis successibus Auriam in summa turbatione, ac mœrore versari, lachrimabundum iis, quæ gesta fuerant, indoluisse; cum per se stetisse diceret, quin de hostibus victoria reportaretur: quocirca denuo Turcas adoriri decrevisse; neque quidquam, ut illos profligaret, prætermissurum. His Gonzaga adjecit, Auriæ sententiam minime sibi probari: quod, ut antea summo ardore pugnam poscentes, ac victoriæ spe cuncti erecti perspiciebantur; ita, re perperam gesta, remissus impetus esset, & insolitus quidam timor animos affecisset, ut, iterum pugna cum hoste conserta, de universa christiana republica periclitandum foret. Quapropter alia moliri, ac tentare oportere, quibus improsperi ad sinum Ambracium successus compensarentur. 1538

His de rebus cum nuntii Venetias pervenissent, dolor, atque indignatio civitatem universam tenuit, post ictum tanto labore fœdus; post tot instructas acies, immensos prope effusos sumptus, pulcherrimam obterendi acerrimi hostis occasionem amissam fuisse. Augebant publicam iram, ac mœrorem privatæ literæ, quibus singillatim gesta enarrabantur, atque Auria acerrime proscindebatur, quod in certamen descendere, ac manum cum hoste conserere noluisset. Verum Patres intimos affectus premere consueti, ne infensum sibi Auriam redderent, penes quem summum fœderatorum classis imperium erat, prudenti dissimulatione usi, ad illum Senatus decreto literas dedere, quibus quæcumque ab eo gesta essent, a magno, ac prudenti imperatore, qui omnia consilia ad incolumitatem, ac decus christianæ reipublicæ contulisset, profecta arbitrari se diceret. *Senatus literæ ad Andream Auriam.*

Ce-

1538 Ceterum cum per nonnullos dies fœderata classis Corcyræ substitisset, ne otio milites diffluerent, cum, nondum autumno exeunte, militaribus operibus obeundis anni ratio faveret, de Dyrrhachio, Epiri urbe, oppugnanda actum est, situ ( mari enim alluitur ) & aditu ad Epirum, & Macedoniam opportuna. Ejus rei auctor erat Ferdinandus Gonzaga, a quo licet Capellius primo dissentiret, & classe potius in Aegæum navigandum censeret; attamen re in ducum concilio agitata, variisque hinc atque inde rationum momentis discussa, Dyrrhachii oppugnationem cuncti decrevere. Sed in re exequenda haud exigua impedimenta sese objecere: minime tutæ navibus excipiendis Dyrrhachii litoris stationes; circumfusus undequaque proximis in locis Turcarum equitatus; Chariadeni adhuc instantis, & cuncta sedulo dispicientis calliditas, qui, expositis in terram militibus, invadendæ classis opportunitatem non esset prætermissurus. His effectum est, ut, Dyrrhachina expugnatione intermissa, de administrando bello in propinquam hyemem consultarent: qua in re Gonzagæ ea erat sententia, universam classem Corcyræ subsistere, ut ad omnia consilia mature perficienda in promptu, atque expeditior esset; commeatus illi Apuliam, atque Neapolitanum regnum abunde suppeditatura. Auria, quod difficillimum tantam hominum multitudinem Corcyræ ali posse arbitraretur, satius ducebat, cum suis triremibus, ac navibus Brundusium se recipere, annonamque comparare; posteaque, ne milites ubertate soli illecti naves desererent, in Sardinia hybernare: veris initio Cæsarem in Italiam venientem, cuncta ad expeditionem obeundam navigia, milites paratos inventurum, nullaque interjecta mora, adversus hostes iturum: triremes vero pontificias Anconem deduci, atque in Piceni, ac Flaminiæ portubus continendas arbitrabatur: Venetus imperator, quo sibi opportunius videretur, loco moraretur. Inter discrepantes sententias quam potius amplectendam censerent, a Pontifice, atque a Cæsareanis exquisivere: eadem Pontificis, atque illorum mens fuit, Chariadeno in Ambracio sinu se continente, fœderatos cunctos Corcyræ hyemare. Per Cæsaris legatum quænam ea in re Senatus esset sententia petiere; cujus decreto Pontificis, ac Proregis consilium, quo & classium incolumitati, & totius

*Federatorũ consilium Corcyræ cũ classe hyemandi.*

tius

tius christianæ reipublicæ saluti prospiceretur, probatum est. 1538

Interea, Dyrrhachii expugnatione intermissa, Neocastrum, quod ad Rhizonici sinus fauces situm est, ad intercludendas ab ea tutissima statione classes situ valde opportunum, aggredi fœderati decrevere. Nam Rhizonicus sinus sese orientem versus inflectens, intimiore recessu *Cattarum*, quod Ascrivium olim dicebatur, Venetorum urbem, alluit, quæ situ, & arte munita circumjectæ regioni dominatur, atque ad Epirum, & Macedoniam aditum patefacit: regio vero universa collium amœnitate, & cultu mirificam circumspectantibus voluptatem præbet. Ascrivium, assurgentibus ad dextram montibus, opacum brumæ tempore solis radiis, montium interjectu aversis, horridum fere redditur. Neocastrum autem, a Mahomete Turcarum Rege superioribus tempestatibus Chersceghi præfecto ademptum, neque circuitu, neque munitione valde conspicuum, situ ad Ascrivium tutandum percommodum est. Ab infima parte, quæ mari alluitur, ædificia rudi opere confecta per dorsum collis sese attollunt: in summa autem parte arcem natura potius, quam opere munitam habet, quam militum præsidio Turcæ tuebantur incolæ ex Illyrico, atque Epiro admixti. Classe itaque sinum ingressa, milites, ac tormenta Ferdinandus Gonzaga in terram exposuit, & dum Hispani pedites ad oppugnationem se comparant, machinæ admoventur. Capellius suis triremibus mœnia subit, oppidum magno impetu aggreditur; navales socii per remos muros scandentes, cum propugnatores diversis in locis nostrorum conatibus obsistere non possent, oppidum ingressi, portisque reclusis, militibus aditum aperuere. Itaque terra marique impetu facto, hostes in arcem se recepere. In eo tumultu Buccanigra Hispanus, & Cæsar Josias Firmanus, cohortium præfecti, cecidere: triduo post arcem editiore loco sitam propugnatores nostris, deditione facta, permisere. Hispani milites, nequicquam Ferdinando Gonzaga inhibente, quod præda ad Venetos pertineret, fœde oppidum diripuere, atque haud exiguam inde, quamvis minime pretiosam, supellectilem asportavere: tantaque illorum insolentia, & rapacitas fuit, ut classiarios exuviarum partem ad triremes deferentes impie, atque inhumaniter spoliarent.

*Neocastrū a fœderatis captum.*

Ve-

1538 Verum Chariadenus, nostros ad Neocastrum expugnandum profectos, certior factus, ut opem Neocastrensibus ferret, ex Ambracio sinu classem eduxerat, haud exigua spe fretus, adventus sui fama fœderatos oppugnationem relicturos. Sed cum ad Sassonem insulam pervenisset, ingenti maris tempestate oborta, africo, atque austro furentibus, triginta circiter triremes desideratæ sunt, quæ Acrocerauniis illisæ litoribus naufragium fecere; cum reliquis vero quassatis, ac procelloso mari varie jactatis, Aulonem se recepit. His, quæ classi hostium acciderant, a nostris cognitis, cunctorum animis pristinus vigor, magnaque spes accessisse denuo videbatur, cum hoste perculso, haud parvo triremium robore amisso, ad edendum præclarum facinus, quo infausti ad Actium successus memoria deleretur, aditum fortuna aperuisset. Imprimisque Capellius, hujus consilii auctor, Auriam multis rationibus in suam protrahere sententiam conabatur, ut recenti detrimento perturbatum, atque afflictum Aheneobarbum prosequeretur; neque egregiam, ac vix optatam contundendi hostis occasionem contemneret: brevi tractu Aulonem peti, hostes invadi posse, quos neque ad capessendam pugnam instructos esse constaret, neque, remis fere cunctis maritima tempestate confractis, ad fugam idoneos esse; neque demum tuto loco posse consistere, quod Aulonis arx a portu distans tutam classibus stationem minime præberet. Sed Auria Capellii consilium improbans, haud sibi dissimilis videbatur. Itaque nunc, anni tempus, quod jam autumnus senesceret, frequentibusque procellis mare jactaretur, minime opportunum esse; nunc, non satis sibi instructam clasem ad dimicandum videri ajebat: ut moras nectendo, & cunctando, Chariadenus, quæ ad iter necessaria erant, comparatis, tuto Byzantium perrexerit, Dragute, summi nominis pirata, in Corinthiaco sinu cum quinque ac viginti triremibus, atque haud parva biremium, & rostratarum manu relicto, ut infesta maria nostris redderet, ac quæcumque posset, damna Christianis inferret. Auria vero, qui jam iter sibi in Siciliam habendum statuerat, continuo, quamvis Gonzaga, ac e suorum numero multis dissentientibus, Corcyra solvens, in Siciliam navigationis cursum intendit; Capellio, reliquisque indignantibus, quod homo, Veneto

*Turcica classis naufragium, & Chariadeni ad Aulonē receptus.*

*Vincentii Capellii cōsilium de Turcica classe invadenda.*

*Chariadenus, Dragute in Corinthiaco sinu relicto, Byzantium proficiscitur.*

to

to nomini infensus, exploratæ victoriæ spem vel ignavia, vel malignitate corrupisset, atque disciplinæ navalis, qua Itali florebant, existimationem, per inanem ostentationem, desidi cunctatione, ac fuga dedecorasset. 1538

Verum Neocastrum oppidum, quod Venetorum præsertim virtute captum, Reipublicæ ex fœdere debebatur, Hispani occupavere. Nam, Capellio imperatore, ut sibi Veneto milite tutandum concederetur, enixe petente, Auria Joannem Sarmentum cum quatuor Hispanorum peditum millibus præfecerat, nihil, nisi ex Cæsaris præscripto, ac mandatis ea in re decerni a se posse affirmans: cum interim Buduæ, Antibari, & Olchinio sex Hispanorum peditum millium præsidium imponere niteretur, specie, quod Reipublicæ commodo id faceret, ut cum primum anni tempus ad prælia conserenda invitaret, milites in promptu haberet; re, ut ad persolvenda Hispanis stipendia Respublica cogeretur. Iis, quæ ad Neocastrum contigerant, intellectis, Patres vehementer exarsere, quod oppidum, sibi ex fœdere debitum, in Hispanorum potestate esset; neque tam impudenter fœderis leges fractas, ac violatas fuisse, ferre æquo animo poterant. *Quid enim ab illorum societate expectandum esset, qui, jurejurando neglecto, sociorum præmia sibi adsciscerent? Quisnam ex labore, cæde, periculis fructus maneret? Iniquo nexu Rempublicam detineri, quæ inter potentissimi, atque acerrimi hostis arma, sociorumque inexplebilem avaritiam, atque cupiditatem collaberetur.* At cum temporum necessitati parendum esset, Capellio Senatus literis imperatum est, ut Neocastrum repeteret. Hispaniæ quoque, ac Romæ oratoribus in mandatis datur, ut Auriæ factum cum Pontifice, & Cæsare conquerantur; servari jura, & conditiones icti fœderis flagitent. Sed jam Auria discesserat. Grimanus legatus Anconem delatus, dimissis triremibus, Romam profectus est. Capellius, qui cum classe adhuc in Rhizonico sinu morabatur, Risanum oppidulum, Ascrivio propinquum, per deditionem recepit; præsidioque militum firmato, Aloysium Zannium præfecit. Inde, ut in Illyrico pedites Itali ad mille & quingentos redigerentur, decretum est; Camillo Ursino, militiæ in ea provincia præfecto, atque Aloysio Baduario legato in Italiam redeundi facultas a Senatu permissa. Quadra-

*Andreas Auria in Siciliam contendit.*

*Joannes Sarmentus cum Hispanis Neocastri ab Auria relictus*

*Venetorum indignatio ob Neocastrum ab Hispanis occupatum.*

*Marcus Grimanus, pontificiæ classis legatus, Anconem & Romam proficiscitur.*

1538 draginta aureorum millia ad persolvenda classiariis stipendia, quatuor millia ad reficiendas triremes transmissa. Francisco Barbaro legato Jaderam proficisci jusso, ut duodecim aureorum millia sibi tributa in milites erogaret, atque munitionibus reficiendis daret operam, injunctum est. Ceterum Capellius curis, ac solicitudinibus animi, corporisque laboribus, & vigiliis confectus, in gravem morbum cum incidisset, in patriam revertendi, magistratuque se abdicandi veniam a Senatu petiit. Ea de re Senatusconsulto, cum ad majora comitia ferretur, rejecto, triremi Fossam Clodiam veniendi, atque per duos menses valetudini Venetiis incumbendi Capellio concessum est. Marcus Antonius Grimanus, ac Franciscus Contarenus, continentis Sapientes, ad invisendum illum publico nomine accedentes, gravi morbo afflictum, & pene confectum, conspexere: moxque successor illi majoribus comitiis Joannes Maurus, Cretæ summus præfectus, datus est.

*Vincentio Capellio ægrotanti facultas Clodiam se recipiendi permittitur.*

*Joannes Maurus Capellio in classis imperio suffectus*

Per eosdem dies Franciscus Maria Feltrius Ruverensis, terrestrium Reipublicæ copiarum imperator, Urbini ex humanis excessit, quo superiori æstate, valetudine correptus, atque ob id bellicis muneribus obeundis nequaquam idoneus, se conferre coactus fuerat: vir sua tempestate militari disciplina, ac rebus a se gestis clarissimus, egregiis in Rempublicam meritis, & summa fide, magna existimatione a Venetis habitus. Quindecim annorum spatio bello, ac pace præclaram Reipublicæ operam navavit; cujus vires, cum maritimas, tum terrestres, oppida, arces, regiones accurate adeo noverat, ut sæpius, cum de gravissimis rebus ageretur, eum Patres in consultationem adhiberent. Guidum Ubaldum filium, Camertium Ducem, heredem reliquit. Is statim Joannem Jacobum Leonardum legatum Venetias misit, qui patris obitum significaret, seque, resque suas Senatui, quammaxime posset, commendaret. Justa illi Senatus decreto in Gemellorum æde habita sunt; Laurentius Contarenus, juvenis ad eloquentiæ laudem natus, funebrem orationem habuit: Franciscus Sanutus ad Guidum Ubaldum orator missus est, ut patris obitum doleret, ac de illius in paternum imperium successione lætaretur. Urbinatis obitu vetus de Camertium imperio obtinendo in Paulo summo Pontifice cupiditas oborta, minime opportuno

*Francisci Mariæ, Urbini Ducis, obitus. Guido Ubaldus, Urbini Dux, oratorem ad Venetos mittit.*

*Franciscus Sanutus ad Urbini ducem orator.*

tuno tempore pene Italiam novo, atque intimo bello implicavit. Nam Pontifex Camertium ducatum repetebat, quod Joannes Maria, Varano, postremo Duce, absque liberis defuncto, Julia tantum filia, quæ Guido Ubaldo nupserat, relicta, illum in Ecclesiæ jura concessisse diceret. Neque, ut ea ditione potiretur, quidquam prætermissurus videbatur. Quocirca Senatus, ut malo jam tum primum erumpenti obviam iret, cum Cæsare egit, ut animum Pontificis mitigaret, a belli consiliis averteret; ne nostris dissidiis Turcæ viribus, atque animis aucti, acriori impetu in Christianorum provincias belli procellam effunderent. Eadem Reipublicæ orator Senatus jussu Pontifici exposuit. Sed nullis neque officiis, neque precibus permotus, nisi Camertium imperium, quod per summam injuriam Ecclesiæ eriperetur, obtineret, nunquam se quieturum dictitans, quadringenta aureorum millia in sumptus belli insumenda coegerat; classem Anconem, quæ non procul ab Urbinatis ditionibus distat, proficisci jusserat, ut jam cito bellum erupturum crederetur. Verum, re utrinque agitata, tandem eo deventum est, ut Feltrius Camertium ducatu decederet, & Pontifici traderet; Pontifex contra Juliæ, Guidi Ubaldi conjugi, argenti quandam vim pro dote assignaret: atque ita Italici belli suspicio Senatus prudentia discussa est. Annum Andreæ Griti Principis obitus inopportunus, atque civitati acerbus clausit, qui præstanti ingenio, inveterato rerum humanarum usu, egregiisque pro patria gestis merito inter eximios, ac præcelsos cives adnumerari potest; pari virtutis, & fortunæ contentione ad summarum dignitatum fastigia evectus; hoc tantum minus felix, ac fortunatus, quod Rempublicam gravissimi belli turbinibus jactatam, media in tempestate reliquerit. Obiit cum ætatis annum quartum supra octogesimum ageret: a Bernardo Naugerio laudatus, in divi Francisci æde conditus est; suffectusque in ejus locum Petrus Landus, vir ita summis magistratibus omnibus egregie perfunctus, ut militiæ, togæque universis ordinibus ipsius integritas, & fortitudo quam spectatissima esset.

*1538 Paulus Pötifex Camertium Ducatum ab Urbinate repetit.*

*Pauli Pötificis apparatus ad Camertes repetendos.*

*Conventiones inter Pontificem, & Urbini Ducem.*

*Andreæ Griti Principis obitus, & elogium.*

*Petri Landi Principis electio.*

## M. D. XXXVIIII.

1539 QUæ superiore anno ad Actiacum promontorium gesta fuerant; amissa non semel conferendi cum hoste certaminis occasio; Neocastrum ab Hispanis occupatum; Auriæ e Corcyra discessus; exigui ad tantum bellum administrandum sociorum apparatus, quo in periculo Respublica versaretur, indicabant: quæ universum fere gravissimi belli pondus sustinere cogebatur; cum in sumptus immensos publicæ, ac privatæ opes vix suppeterent. Verum is erat Senatus ardor, atque in tuenda Republica constantia, ut nihil vel ad pecuniam colligendam, vel ad classem augendam, ac reficiendam, vel ad oppida, atque arces muniendas prætermitteret. Ut iis, qui argentum in ærarium conferrent, ad quadriennium in singulos centenos nummos quaterni penderentur, latum est: duplex vectigal, quod *taxam* vocant, civitati impositum: ut duo itidem, quæ vocant *subsidia*, e continentis ditionibus exigerentur, decretum. Joanni Mauro classis imperatori designato, qui Cretæ summum armorum imperium gerebat, ut viginti triremes ex insulæ accolis instrueret, viginti in id aureorum millibus transmissis, mandatum; ut prætoria triremis, qua vexillum illi deferebatur, Corcyram perduceretur (huc enim e Creta profecturus erat) jussum. Verum biduo ante quam classis imperator creatus fuisset, Maurus obierat. Nam, tumultu inter Italos milites, & Græcos oborto, cum ipse armatis stipatus ad illum sedandum accurrisset, lapide caput ictus, paulo post ex humanis excesserat; atque eo rixa, ac seditio processerat, ut nisi Antonii Amulii Ducis virtute, qui insignibus magistratus ornatus prodierat, auctoritate compressa esset, funestum exitum habitura videretur. Joannes Viturius eques in Cretense imperium suffectus, Cretam contendit: in eos, qui duces tumultus fuerant, severe animadvertit. Maris imperio Thomas Mocenicus majoribus comitiis præfectus est. In Illyrico, Aloysio Baduario in patriam reverso, Marchio Michaelius successor datus est. Guidoni quoque Ubaldo, Urbini Duci, stipendium est auctum: centum cataphracti, totidem levioris armaturæ equites, decem militiæ præfecti, qui ære publi-

*Vectigalia a Senatu imposita.*

*Joannes Maurus, classis imperator, in Cretensi tumultu occiditur.*

*Antonii Amulii, Cretæ ducis, virtute seditio compressa.*

*Joannes Viturius in Cretensi imperio Mauro suffectus.*

*Thomas Mocenicus classis imperator.*

*Marchio Michaelius in imperio Illyrico Baduario suffectus.*

*Guidoni Ubaldo, Urbini Duci, stipendium auctum.*

blico mererent, attributi; quatuor aureorum millia annui ſti- 1539
pendii nomine decreta. Dum hæc Venetiis geruntur, cum de Neocaſtro a fœderatis occupato ad Suleimanum nuntii perveniſſent, adeo gravi indignatione permotus eſt, ut injuriæ impatiens in ultionem totus exardeſceret, maritimoque, ac terreſtri apparatu illud repetere ſtatueret. Quapropter ad Aſcrivii magiſtratum datæ a Senatu literæ, quibus ad tuendam urbem accendebatur; trecenti pedites in ſupplementum miſſi, commeatuſque importari juſſi. Eodem tempore cum hoſtes in Illyrico nonnihil moliri velle viderentur, ut rebus provinciæ proſpiceretur, Jaderam Joannes Hieronymus, ex divi Michaelis oppido, architectus miſſus eſt, ut munitiones quamprimum perficiendas, atque ut ea potiſſimum pars, quæ Divi Franciſci templo propinqua eſt, muniretur, curaret.

*Aſcrivium milite & cõmeatibus munitum.*

# Finis Libri Quinti.



# EPITOME.

INduciae cum Turcis in tres menses pactae, Laurentio Grito, altero Andreae Principis notho, praecipue annitente. Gallicus apud Turcas orator per simulationem amicitiae Venetorum res haud leviter turbavit. Chariadenus Neocastrum, quotquot praesidio erant, ad unum caesis, aut captis, de Hispanis cepit. Idem Joannis-Matthaei Bembi virtute deterritus intentatam vim ab Ascrivio abstinuit. Quamquam secus Imperator, Galliaeque Rex Senatui suaderent, pacem cum Suleimano X Virum mandato, traditis illi Nauplio & Epidauro, Aloysius Baduarius Byzantii sancivit. In Hungariam, Joanne Rege exstincto, Suleimanus Regi puero opem laturus cum descendisset, Budam per dolum occupavit. Carolus V. magnis apparatibus ad Algerium oppugnandum profectus, tempestatis vi disjecta classe, Hispaniam re infecta repetiit. Galliae Rex Caesarem diversis regionibus aggressus est. Maranum, maritimum in Forojulio oppidum, quod sub Ferdinandi ditione erat, Paullus Strozzius astu furtim occupavit. De proditoribus, qui Galliae Regi secretiora Senatus, ac X.Virum decreta, quae per ipsum cum Turcis etiam fuerant communicata, aperuerant, Gallico oratore, in cujus aedes sese receperant, tradere eos coacto, justissimum supplicium sumptum est. Turcica classis Tholoni portu a Gallis excepta, iisdem auctoribus, Niceam irrito successu oppugnavit. Caesar ex Hispania per Venetorum fines in Germaniam profectus, Menapiorum Principem feliciter domuit, & supplicem in gratiam recepit. Maranum, solutis Paullo Strozzio quinque ac triginta aureorum millibus, Veneti in fidem recepere. Tum denique cum maxime dubium arderet inter Caesarem, & Gallos bellum, pax inter ipsos conciliata est. Turcae a Gallis dimissi, totam maritimam oram, qua transvecti, foedissime deformarunt. Annuas inducias Turcae Caesari concessere, quibus & Veneto caveri Rustenus voluit. Caesar turcici belli metu liberatus, de componendis religionis dissidiis sedulo agitare coepit. Petrum Landum, Reipublicae Principem, vita defunctum Franciscus Donatus excepit. Paullus Pontifex Farnesiis suis beneficiario jure Parmam & Placentiam tradidit. Caesar susceptum contra Germaniae Principes bellum quatuor mensium spatio mira felicitate confecit. Ad Cenetenses, grave Marini Cardinalis Grimani imperium querentes, praetor Venetiis missus est. Grimano exstincto, priora Episcoporum jura Michaeli Turriano, ut Pontifici gratificaretur, iterum Senatus concessit. Eduardus VI. in Anglia, Henricus II. in Gallia exstinctis parentibus successere. Saxonum Dux a Caesare profligatus: Hessiae Lautgravius in gratiam ab eodem receptus. Novae in Italia turbae simul ob praesidium Senis a Carolo impositum, simul ob Petri-Aloysii Farnesii caedem concitatae. Quinquennales induciae inter Carolum Imperatorem, Ferdinandum ejus fratrem, & Suleimanum Turcarum Regem pactae sunt. Sabbas pirata a Laurentio Amulio captus & interfectus. Ejus caedes pacem inter Venetos ac Turcas pene interturbavit. Caesar multa iis, qui a Catholica Ecclesia desciverant, dum controversiae omnes componerentur, interim concessit. Decreto Interim nomen est factum.

HI-



# HISTORIARUM VENETARUM ANDREAE MAUROCENI

## LIBER SEXTUS.



Um adhuc Cæſaris auxilia in ambiguo, atque incerta eſſent, ut quinam illius animus foret, quas vires hoc anno in bellum collaturus eſſet, Senatus cognoſceret, Petro Mocenico oratori, ut hæc ſuo nomine perferret, mandavit. Jam hoſtes ad bellum terra marique gerendum inſtructos, ineunte vere magno impetu loca Reipublicæ aggreſſuros: nullis ſumptibus, nullis laboribus Senatum pepercisse, ut quantum in ſe eſſet, illorum arma fortiter exciperet: petere, ut ea, quibus ex fœdere teneretur, liberaliter tribueret: graviſſimo, ac periculoſo bello implicitam Rempublicam auctoritati, viribus, ac fidei illius haud parum niti: ex Neapolitano quoque, ac Siculo regno frumenta aſportandi, quemadmodum fœdere cautum eſſet, facultatem concederet: Neocaſtrum ex conditionibus fœderis Reipublicæ 1539

*Senatus officia cum Carolo Cæſare pro bellicis apparatibus.*

1539 *Cæsaris ad Senatum responsum.* tradi mandaret. Ad hæc Cæsar respondit: difficulter hostium ditiones vel temporis angustia, vel commeatuum inopia bello peti posse: quocirca omne studium ad hostium propulsandos conatus adhibendum esse: at si eos invadendos Senatus censeret, ut præsens adesset, se enixurum: sin autem in sequentem annum expeditionem differri placuisset, libenter ab Italico itinere supersessurum: quod vero ad frumenta, commeatusque spectaret, iis retentis, quæ Neapolitanis, ac Siculis ad victum necessaria essent, reliqua præbiturum: demum Neocastrum ex fœdere redditurum; at æquum sibi videri, ut præsidiariorum militum stipendia a fœderatorum singulis, justis portionibus, penderentur. Hoc Cæsaris responso ex Petri Mocenici oratoris literis intellecto, mirum in modum Patres commoti fuere; cum præclaris pollicitis, ac magnificis Cæsaris sermonibus eo rem deductam cernerent, ut cum ingenti, tantoque tempore conquisito apparatu, Carolus adversus hostes iturus crederetur, nihil veris initio promptum, atque expeditum esset: minax Suleimanus terra, marique fureret: Respublica ad universam belli molem sustinendam cogeretur. Inde omnia Venetis suspecta reddebantur, plerisque contracto cum Turcis bello haud exigua Cæsari commoda accedere affirmantibus, quod Rempublicam difficillimo cum potentissimo hoste bello distineret, Venetorumque viribus, ac potentia sibi accedentibus, tutior a Regis Galliarum semper suspectis consiliis redderetur.

*Venetorum inclinatio ad pacem cum Suleimano ineundam.* Hæc dum sedulo Patres meditarentur, crebrisque consultationibus de præsenti rerum statu, de hostium potentia, de Reipublicæ sociorumque viribus, & auxiliis disceptarent, eo deducebantur, ut potius de pace ineunda, quam de bello inferendo cogitarent. Neque vero difficile, ut concordia æquis conditionibus iniretur, rebantur fore; cum Suleimanus, ut a societate Cæsaris Rempublicam abstraheret, nihil prætermissurus videretur. Spem duo auxerant; alterum, quod Franciscus Barbadicus, Alexandrinarum triremium præfectus, Byzantio significaverat, Venetis mercatoribus e custodia eductis, mutuis datis vadibus, libere ultro citroque commeandi, & intermissa negotia repetendi facultatem concessam fuisse; alterum, quod cum Jacobus Cornelius, Divi Marci procurator, Antonium Me-

tho-

1539

*Janusbejus suam operã ad pacem sanciendam Reipublicæ defert.*

thonensem ad Janusbejum sciscitatum misisset, an Lauretanus, & Maurocenus trierarchi ad Obroatium capti viverent, ut de iis redimendis ageret, cum Venetias rediisset, sibi ad conciliandam cum Suleimano Rempublicam Janusbejum suam operam detulisse, nuntiaverat: proinde, si legatus Byzantium mitteretur, omnia illi benevolentiæ testimonia præstaturum. Hæc Decemviros permoverant, ut paulo post Principis obitum, Laurentium Gritum, illius ex non legitimis nuptiis filium, virum virtute, ac vivido ingenio præstantem, Byzantium mitterent; qui veluti ad fratris defuncti bona redimenda profectus, mercatorem simulatus, de publicis negotiis ageret; ac primum si de paciscendis induciis Byzantii transigeretur, quantum in se esset, rem ad exitum perduci studeret; sin minus, de pace inter Rempublicam & Suleimanum instauranda ageret, eamque veteribus conditionibus, utrinque quæ occupata fuerant, restitutis, confirmaret: si qua difficultas de Nadino, & Laurana Jadertini agri oppidis intercederet, quinquaginta aureorum millium solutione, aut annua quingentorum pensione, in Reipublicæ potestate retineret.

*Laurentius Gritus, Andreæ Ducis filius, Byzãtium mittitur.*

Itineris Griti quamvis causæ tegerentur, tamen, ut de pace cum Suleimano ageret, Byzantium profectum, non obscuro rumore ferebatur; quo adductus Didacus Mendozius, Cæsaris legatus, cum secretius Collegium adiisset, de pace cum hoste ineunda, Cæsare amico, ac socio prætermisso, a Republica agi, conquestus, gravi oratione, ut animos Patrum ab ea averteret, usus est; nunc barbarorum ingenia infida, turbida, paci inimica, atque adversa ob oculos ponens; nunc pacem ejusmodi esse, quæ neque sumptibus, neque molestiis Rempublicam liberaret, cum, duabus potentissimis classibus, Turcarum una, Cæsaris altera perpetui, atque implacabilis illorum hostis, mare insidentibus, eadem suspicione, ac metu premi Respublica cogeretur: demum Imperatorem, summum inter Christianos Principem, extollebat, qui egregio in rempublicam christianam animo, magnis viribus, ac potentia fultus ad contundendam acerrimi hostis superbiam, ac fastum ea tempestate summo Dei immortalis beneficio datus videretur. Sustinerent itaque parumper, neque immaturo consilio pacem amplecterentur, dum, cunctis ad bellum versis,

*Didacus Mendozius Cæsaris legatus in Collegio de pacis agitatione conqueritur.*

1539 magni undique terra, marique apparatus militum, & classium fiunt; dum eximia in armis præmia sita sunt; dum omnes altissima spe detinentur: quæ omnia objicere, ac negligere neque virtutis, neque prudentiæ Veneti Senatus esse. His in hanc sententiam respondetur: Alacri animo Rempublicam in fœdus biennio jam elapso descendisse; impetum vero hostium atque vehementissimos illorum conatus solam pertulisse. Quod Cæsaris auxilia minus expedita, ac prompta fuerint, id quamplurimis coortis difficultatibus tribuere, iisdem in posterum quoque aut differri, aut impediri posse. Ceterum eodem erga fœderatos animo esse: Galliarum Regem pro communibus induciis Byzantii laborasse, iis assentiri minime sociorum rebus adversum censere, unde illis haud parum emolumenti accessurum videretur, ut majori conatu, ac firmioribus viribus in hostes bellum inferri posset. Eadem Petrus Mocenicus legatus Cæsari significavit.

*Senatus responsum.*

*Dragutis excursiones.*

Interea Dragutes, qui Corinthiaco in sinu substiterat, cum triginta partim rostratis triremibus, partim biremibus egregie instructis egressus, cum ad Paxum insulam appulisset, circumjecta maria excurrendo, infestum iter navigantibus reddebat, ac Divi Nicolai portu tectus, qui quatuor passuum millibus Corcyra distat, inde frequenter, expeditioribus navigiis præmissis, in eos, qui ad insulam accederent, invectus, miserum in modum diripiebat. Dragutis insolentiam Franciscus Paschalicus legatus minime ferendam arbitratus, duodecim e suis triremibus, ex Turcicis, quæ propius se intulerant, nonnullas adoritur. Hostes, impetu non expectato, fuga se versus Ambracium sinum proripuere; idque astu militari factum fuisse postea cognitum est. Nam cum nostri intento remigio hostiles triremes persequerentur, Dragutes cum reliquis Paxo exiens, in altum processerat, ut vento secundo a lateribus in Paschalici triremes impetum faceret. Id Paschalicus conspicatus, ut se periculo eximeret, sublatis velis, hoste insequente, Corcyram perrexit: tres triremes cum ab hostibus elabi non possent, litoribus Messangii, duodecim a Corcyra passuum millibus, allapsæ, milite, ac remige incolumi, periere; inter quas, fracto malo,

*Franciscus Paschalicus, classis præfectus, a Dragute in fugam versus.*

cum

1539

*Antonii Canalis triremis a Dragute capta.*

*Dragutes ad diripiendam Cretã profectus, ab Antonio Calbo rejectus est.*

cum reliquarum cursum tenere non posset, Antonii Canalis triremis in hostium potestatem venit. His successibus elatus Dragutes in Cretam iter intendit, ac prope Cydonem militibus expositis, incendiis, ac direptionibus agros vastavit: verum Antonii Calbi Consiliarii virtute, Epirotarum equitum, atque incolarum manu collecta, impetu in hostes facto, non sine plurimorum cæde, ad triremes se recipere coacti fuere.

*Laurentius Gritus Byzãtio reversus, qua egerat Senatui exponit.*

*Induciæ trium mensium inter Venetos & Turcas.*

Laurentius Gritus VII. idus aprilis Byzantio revertitur, quæque a se acta essent, Patribus retulit; se Janusbejum convenisse, ab eo ad Ajacem Bassam perductum: illum de iis, quæ a Venetis adversus Suleimanum gesta fuerant, graviter expostulasse; cur a Senatu legatus non mitteretur, sciscitatum. Ad hæc Gritum, quæ acciderant, ministrorum imprudentia, Republica invita, contigisse: a legato mittendo ob fœdus, quod illi cum Christianis Principibus intercederet, abstinuisse: verumtamen si per inducias arma inhiberentur, legationem propediem venturam arbitrari. Verum Ajacis animum haud levis suspicio invaserat, ne induciarum beneficio ad Suleimano illudendum Respublica uteretur, ut transacta æstate, ex Hellesponto Turcica classe non emissa, interea majoribus comparatis viribus, una cum sociis bellum repeteret. Attamen variis hinc atque inde agitatis, in menses tres induciæ pactæ fuere: a XVIII. kalend. aprilis usque ad XVIII. kalend. julias: mox Petrus Zenus, Byzantium legatus, a Senatu designatus est. Laurentio Grito, ut de illius adventu Suleimanum certiorem redderet, præire jusso, in mandatis datur, ut de communibus induciis ageret; eaque in re Rinconii, Galliarum Regis legati, opera uteretur: Reipublicæ legatos e carcere educendos, bona mercatoribus restituenda curaret. Statimque de induciis pactis, ac de legatione decreta Pontifex, & Cæsar certiores facti fuere. Pontifex, qui gravissimis in rebus pertractandis longævam ætatem contriverat, Senatum ad inducias, resque cum hoste componendas hortabatur; cum nihil ad opem perturbatis rebus ferendam egregii expectaretur; minime cunctandum, nec tantæ rei, qua salus Reipublicæ periclitaretur, indormiendum esse: ut Cæsar induciis comprehenderetur, sibi probari; sui vero mentionem justis de causis fieri non posse. Cæsari quoque induciæ minime improbabantur; cum illius le-

*Petrus Zenus legatus Byzantium eligitur.*

*Laurentius Gritus denuo Byzantium mittitur, & Senatus mandata.*

*Senatus de induciis & legato mittendo Pontificem & Cæsarẽ certiores facit.*

1539 legatus, si Gritus ea de causa iterum Byzantium contenderet, id Carolo pergratum futurum affirmaret, ut induciarum tempore argento, commeatu, atque reliquis ad expeditionem necessariis comparatis, majore nixu bellum gereretur: interea quo facilior ad perficiendas inducias aditus pateret, ut enixe cuncta ad bellum expediri juberet, Cæsarem Patres hortabantur.

*Cæsar Cantelmius, Galliæ orator ad Suleimanum, Regis operã Reipublicæ defert.*

Per hos dies Cæsar Cantelmius e Galliis Venetias advenit, seque a Rege Byzantium mitti affirmavit, ut de communibus cum fœderatis induciis ineundis ageret, officiumque, & operam Regis, si ea uti vellet, Reipublicæ detulit. Eadem quoque Franciscus Christophoro Capellio legato significaverat. Regi gratiæ actæ; Cantelmium de Petri Zeni legatione, Gritique itinere, ac mandatis edoctum Senatus rogavit, ut pro illis conficiendis una cum Grito laboraret. Interim quæ ad Petri Zeni legati profectionem necessaria erant, comparatis, duabus triremibus in Illyricum proficisci, terrestrique itinere quam maxima celeritate posset, Byzantium contendere jussus est, datis literis de more Suleimano, ac purparatis in hanc sententiam reddendis: *Diuturna tot annorum abrupta pace, bellum inter Suleimanum, ac Rempublicam exortum graviter, atque admodum ægre Senatum tulisse; nisi præpropera festinatione arma in Venetos illata essent, quæ acciderant, casu, aut malignitate fortunæ, non culpa contigisse, decreta legatione intelligi potuisse.* Rinconio postea, & Cantelmio, Regis legatis adhibitis, ut communes induciæ, quam longissimo tempore fieri posset, sancirentur, una cum Grito eniteretur. Zenus quammaximis poterat itineribus Byzantium contendens, xviij. kal. julias in Mœsiam pervenit, atque oppidum, quod *Claustrum* Turcæ vocant, ingressus, a provinciæ præfecto (*Flambularum* dicunt) perhonorifice exceptus, proxima luce iter prosequutus, vix quindecim passuum millia processerat, cum febre correptus, ac parte corporis debilitatus, licet adhuc alia decem millia confecisset, ingravescente morbo, nequicquam humana ope tentata, fato concessit. Petrus Franciscius, a secretis, de Zeni obitu ad Senatum literas dedit, præfectique erga Rempublicam propensissimam voluntatem significavit, a quo sibi injunctum diceret, ut Patres ad alium Zeni loco legatum suffi-

*Senatus literæ a Zeno Byzantium allatæ.*

*Petri Zeni legati obitus.*

cien-

ciendum hortaretur. Vigebat in barbaro homine elegans ingenium, atque vehementer in Venetos proclive, illorumque amicitiæ appetens, qui ut Andreæ Griti Principis animum sibi conciliaret, portiunculam sacratæ Crucis ligni, cui Servator noster affixus fuerat, dono se misisse dicebat: grati animi testem adamantem centum, ac viginti aureorum pretio a Grito accepisse; hisque mutuis benevolentiæ argumentis amicitiam coalitam: idem se erga Petrum Landum, nuper Principem creatum, efficere statuisse; quapropter brachium sancti cujusdam viri, cui a Christicolis, qui eas regiones incolerent, summi honores haberentur, Principi deferendum curasse, quo veluti certissimo pignore necessitudo confirmaretur, atque augeretur. Petri Francistii literis acceptis, statim coacto Senatu, Thomas Contarenus, vir exacta ætate, atque egregia prudentia, Zeno legatus suffectus est. Ut intra quatuor dies Venetiis discederet, quæ mandata Zeno fuerant, exequeretur, imperatum est: & ne publicæ liberalitatis significationes a Mœsiæ præfecto desiderarentur, pro collatis in Zenum humanitatis, ac benevolentiæ officiis gratiis actis, eundem nobili gemma Senatus donavit.

1539

*Crucis Servatoris portiuncula a Mœsiæ præfecto Principi Grito dono missa.*

*Thomas Contarenus loco Zeni legatus eligitur.*

Gritus interim mensis maji initio Byzantium pervenerat, atque cum Rinconio, & Cantelmio Ajacem Bassam adiit. Sed multis utrinque de communibus induciis disceptatis, negotium irrito conatu cessit, quod Turcæ a concordia cum Cæsare ineunda abhorrerent, quamvis ad pacem cum Venetis firmandam inclinati viderentur. Itaque inducias cum Republica ante pactas usque ad xij. kalend. octobris prorogavit, atque, ut legati e turri educti liberiori loco uterentur, impetravit. Neque interea quantum poterat officiis, atque admirabili quadam, quæ in ipso erat, ingenii dexteritate, ut sibi Bassæ, atque aliorum purpuratorum animos conciliaret, quidquam omittebat, ut induciis fœderati omnes continerentur. Verum dum enixe, ut res ad exitum perduceretur, laboraret, tecta Rinconii, Regis legati, consilia, atque occultas machinas intentius singula rimando animadvertit. Is enim, ut Rex sequester, atque arbiter pacis inter Venetos, ac Turcas fieret, ex quo plurimum illi auctoritatis, ac dignitatis accessurum arbitraretur, secreto purpuratos hortabatur, ne ulla in re se demitterent,

*Induciæ cū Venetis a Turcis prorogatæ, & legati Veneti e turri educti.*

*Rinconii, Galliæ Regis legati, occulta in perniciem Venetorum cum Turcis officia.*

aut

1539 aut Griti postulatis cederent; classem ad Neocastrum recuperandum mitterent; Ascrivium, Nauplium, Corcyram a Republica peterent: ut quo majoribus difficultatibus negotium implicaretur, eo magis Respublica Regis opem imploraret, ac tandem ipse controversias cunctas dirimeret, ingentique beneficio sibi Venetos devinctos a Cæsaris fœdere, atque amicitia revocaret. His a Grito cognitis, quamvis de communibus induciis desperaret, atque quamplurima concordiæ cum Republica sanciendæ objici impedimenta cerneret; nullis tamen difficultatibus perterritus, audentior factus, Bassam ingentibus pollicitis aggreditur, ut nisi inducias cum fœderatis impetraret, saltem pacem cum Republica obtineret: tantumque suadendo, adhortando, pollicendo profecerat, ut illius animum flexisse videretur, nisi fructum, quem ex tot laboribus speraverat, immaturus Ajacis obitus intercepisset. His de rebus Gritus Senatum certiorem fecerat, simulque Patres admonuerat, ut classem omni bellico apparatu instructam in promptu haberent; oppida, ac loca munita, militum præsidiis auctis, diligentiori custodia tuerentur; nulli rei, aut sumptui parcerent; cuncta ad bellum expedirent; hanc hostes ad pacem alliciendi tutam viam esse.

*Ajacis supremi Bassa obitus.*

Interea vexillum Byzantii Chariadeno tributum fuerat. Is magno studio tum remige, tum propugnatoribus classem, quæ centum ac quinquaginta navigiorum numero constabat, instruxerat, majorumque tormentorum ingentem vim invehi jusserat, binis magnis onerariis navibus, quas *mabonas* vocabant, adjectis, tormentario apparatu, atque aliis in usus belli refertis. Ulamanes Persa terrestribus copiis præfectus est, qui bellica virtute, pluribus editis militaribus facinoribus, inclaruerat. His viribus Turcas Neocastrum aggressuros crebris rumoribus ferebatur; neque deerant, qui dicerent, Nauplium, aut Ascrivium petituros. Ambiguo igitur, atque incerto eorum, quæ Byzantii agerentur, exitu, atque Chariadeni ex Hellesponto cum classe egressu, Senatus permotus, acriori cura ad apparatus belli conversus, triremes veteres refici, novas ædificari mandavit; ut vigintiquinque accurate in urbe exornarentur, decrevit; in id navalium sociorum ad quatuor millium delectum haberi jussit; ea lege, ut statis diebus triremes ingressi re-

*Ulamanes Persa copiis terrestribus a Suleimano perficitur.*

*Venetorum bellici apparatus.*

remigio assuescerent, atque inter se contentiosa æmulatione de cursus velocitate certarent, variis ad alliciendos animos, viresque acuendas propositis præmiis. Actum deinde in Senatu, quo loco, Turcis ad Neocastrum expugnandum accedentibus, classis detineretur. Diversis sententiis ea de re disceptabatur; cum nonnulli, ut intra Adriaticum sinum se reciperet; alii, ut extra moraretur, censerent: prioris sententiæ auctor erat Vincentius Capellius, qui nuper summa præfectura classis se abdicaverat, ac in numero majorum præconsultorum tunc erat: huic suffragabantur Marcus Foscarus collega, & Joannes Delphinus continentis Sapiens. Foscarum in hanc sententiam loquutum fuisse accepimus. 1539

*Cum nihil sit in rebus humanis, ut ego existimo, Patres optimi, ac præsertim in iis, quæ ad Rempublicam pertinent, recta consiliorum ratione utilius, aut præstantius; tum in bellis gerendis, quamvis milite, machinis, tormentario apparatu opus sit: in consiliis tamen capiendis egregia virtus usu rerum confirmata in primis requiritur. In ceteris, quæ errata sunt, corrigi sapientia possunt; in bello commissus semel error nulla vi, aut ingenio emendatur: cum in aciem descensum est, aut navali prælio pugnatum, victis nullus pœnitendi locus relinquitur; frustra tempus, situm, ordines conqueruntur. Ne id ipsum in re gravissima nobis contingat, summo studio providendum est. Permultum enim interest, Chariadeno Neocastrum oppugnante, quo loco classem consistere velitis. Ac sane singula recensenti, quæ in consilium adhiberi solent, ea mirum in modum suadere mihi videntur, ut intra Adriaticum sinum contineatur, sive ratione, sive magistra rerum humanarum experientia, sive auctoritate decernendum sit. Nam primum illud quæro, hostisne, an amicus Reipublicæ Chariadenus accedat. Si hostis: extra sinum classe inventa, quis hominis ingenium perspiciens, non summopere ambigat, ne ad prælium committendum vestros vel invitos duces pertrahat? neque vero eo nunc triremium numero classis constat, ut æquo marte cum Turca possit confligere. At pugnam imperator detrectabit. Non semper id in ejus potestate est, plerumque vel invitus in aleam descendere cogitur. Fugane incolumitati consulendum erit? An id e Reipublicæ dignitate fore censemus, ut quæ rei navalis*

Oratio Marci Foscari.

1539 *lis disciplina, egregiisque rebus gestis nunquam non floruit, illius nomen, tanquam veteri virtute obsolescente, maritima apud cunctos existimatione exuatur? At quo se recipiet? in occidentemne vela dabit? scilicet, ut Auriæ sociatus, spes, quæ Byzantii de pace oblata est, intempestive præcidatur, ac omnino pereat? An in altum provectus hostes eludet? at mare triremibus infidum, nulla ibi annona, nulli commeatus. In orientemne igitur iter arripiet? Nulla, nisi in Creta, tuta statio; iter longinquum, annonæ difficultas, ut nisi summa incolarum omnium desperatione ex ea provincia peti possit. Quæ cum ita sint, quis non potius classem in Adriatico esse malit; ubi & commeatus affatim copia suppetet, & nullus lacessentis hostis impetus erit pertimescendus? Sin vero, quod alterum caput est, amicus Chariadenus advenit; eo magis classem ibidem continendam arbitror, ne in Turcarum animis suspicione orta, a vobis cum Cæsare consociatis viribus, intra hujus sinus fauces fore, ut intercludantur, juribus induciarum neglectis, hostilia in nos arma convertant; cum præsertim ex classium propinquitate quotidie quamplurima suboriri queant, quibus vel inviti in novas belli causas provocemur. An vero Auriæ artes ignotæ sunt, quibus serere inter vos, ac Suleimanum dissensionum semina conatus, ut ad apertum bellum eliceret; mox cum obnixe a vobis, atque a Pontifice, ut se imperatori vestro adjungeret, flagitaretur, nullis suasionibus, nullis precibus inflecti potuit, quin Genuam contenderet? Quis ambigat, non eadem mente futurum, non eadem consilia adhibiturum, ut vos Turcis suspectos reddendo, concordiæ rationibus abruptis, Cæsari ita devinciat, ut ab illius consiliis nunquam divelli liceat? Quid? quod ex nutu ejusdem, penes quem omnium fœderatarum copiarum imperium est, vester imperator pendere cogetur, cum ita conditionibus fœderis cautum sit? Instabit, urgebit, ex fœderis lege præcipiet. Quid tum vester imperator? Vires consociabit? Tunc ex Auriæ auctoritate, non vestro arbitratu, classe utemini: ad Neocastrum defendendum, quod nobis per summam injuriam Hispani occupavere, ire oportebit: in nobis, neque pax, neque bellum situm erit. At si adjungere se Auriæ nostri abnuent, nonne hoc facto odium, atque arma Cæsaris in Rempublicam incitabit? ancipiti periculo*

*culo*

*culo cum terrestre, tum maritimum imperium objiciemus? Nisi vero his permovemini, inspicite quæso, quæ biennio proxime elapso facta sunt, dum extra Adriaticum sinum vestro decreto classis imperatorem commorari jussistis, unde tot vobis invitis infausta contigere. A potentissimo Rege bellum illatum; a Salentinis in vos arma conversa; Corcyra petita; gentes in servitutem abductæ: inde tot, in quibus versamur, difficultates profluxere. Non semper integrum est hostium occursum vitare; non imperat mari imperator; non obtemperant maria nautis: ventis, procellis, ac tempestatibus patent, quibus nonnunquam obsecundandum; nonnunquam vel invitis parendum est. Pesareum exemplo esse potest, qui cum in orientem iter flexisset, atra procella, gravique tempestate, dum in altum vela daret, correptus, in classem Turcicam præter suam voluntatem impulsus est. Contra vero quinquennio ante, ingentibus Turcarum copiis Hellesponto egressis, huic eidem Vincentio Capellio imperatori denunciatum est, ab Adriatico mari ne recederet: pax sarta, tectaque servata est. Quid hoc adduci in rem nostram vel certius, vel evidentius potest? Ex humanarum rerum usu prudentia comparatur, ut quæ præclarum exitum habuerint, ea imitanda, quæ infortunatos eventus sortita fuere, vitanda sint: quo fit, ut inclitus Reipublicæ nostræ Princeps, qui semper in maximis, atque arduis rebus versatus, prope divino ingenio, atque acerrimo judicio vigeat, ita decernendum existimet; idem Vincentius quoque Capellius, qui eximia cum laude classis imperio functus est, sentiat, cujus virtutem, præclaraque pro patria gesta vestris decretis, ac sententiis sæpius extulistis. An horum præstantissimorum civium, qui difficillimis temporibus Rempublicam gessere, consilia parvi facimus? An quempiam rectius a nobis, quam eos consuli posse arbitramur, qui in acie cum hoste conflixere, qui illius vires, conatusque re ipsa experti, non adumbratam, sed certa experientia subnixam prudentiam sibi compararunt? cui sive innitimur, sive ex præteritarum rerum memoria ad recta consilia ineunda exempla petimus; sive demum vera ratione, quæ raro fallere consuevit, ducimur. Hoc rerum statu, qui nobis sese offert, dum Chariadenus Neocastri expugnationem molitur, ejusmodi* 1539

*sen-*

1539 *sententiæ sum, ut classem Adriatico sinu continendam e Republica existimem.*

Hæc Foscaro perorante, Franciscus Donatus eques, divi Marci procurator, in majorum præconsultorum numero Foscari collega, qui extra Adriaticum sinum in mari Ionio detinendam classem censebat, hunc in modum dixisse fertur.

*Oratio Francisci Donati.*

*Etsi optandum summopere esset, sapientissimi Senatores, ut qua per tot annos Respublica pace usa est, ea nunc quoque frueretur, neque hinc acerrimi, ac potentissimi hostis terra, marique viribus, inde sociorum perplexis, ac tectis consiliis distineretur; attamen cum humanarum rerum casus minime in nostra facultate sint, malignitatem fortunæ, atque improsperos rerum eventus constantia, ac prudentia corrigere, & moderari debemus. Ea vero in primis hoc difficillimo tempore adhibenda sunt, ne timore de gradu dejiciamur, aut dum laboranti hujus imperii parti opem ferimus, turpi oblivione universam illius molem deseramus. Id ne vobis contingat, haud parum vereor, si maritimas vires, quibus hactenus ditiones vestras tutando, terrorem sæpius hostibus intulistis, intra hunc sinum importuno, atque immaturo consilio conjicietis, quo loco neque pro rerum opportunitate consilia capere, neque tot regionibus, urbibus, populis, præclaris, ac nobilissimis insulis succurrere licebit. Dum pax cum Suleimano nobis erat, ne fortuito aliquo eventu interturbaretur, e Republica fortasse erat, classem a Turcarum conspectu abreptam, in has angustias compellere. Verum hac tempestate dum cuncta armis circumsonant; dum nullus est in imperio vestro locus, quo hostilis terror non pervaserit; dum in paucos menses induciis pactis, barbarorum fides suspecta ac parum tuta nobis esse debet, classem in Adriaticum sinum cogere, an non id est, quas in Ionio, Aegæo, & Cilico mari regiones possidetis, desertas, hostium libidini, crudelitati, avaritiæ diripiendas, atque vastandas relinquere? Quid tum Cretenses, quid Cyprios, quid tum Nauplium, Epidaurum, Peloponnesi urbes, quid Epiri, atque Illyrici incolas dicturos arbitramini? Dum subsidiorum spes sibi interceptas, minantes, ac furentes Turcas inspexerint, verendum profecto est, licet sum-*

*summa semper fide, ac studio Venetum nomen coluerint, ne* 1539
*hostium propinquitate, auxiliorum longinquitate adducti, ac prope desperatione adacti, præcipites ruant: quo quid acerbius, quid durius, quid omni calamitatum genere cumulatius contingeret? At si opinione, ac fama non minus, quam viribus bella administrari solent, eaque ad res bene gerendas præclarum iter munit, quid hoc tempore vel ad terrorem nostris incutiendum, vel ad hostium insolescentes spiritus efferendos fieri importunius potest, quam classem in has fauces subducere, tanquam conspectum hostium sustinere nequiverit, sed fuga se eripere coacta fuerit? Ex quo audentior effectus hostis, quæ non in nos meditabitur? quæ non sibi in nostrum exitium pollicebitur? Atque utinam illectus, ac prope a nobis evocatus, perpetuo Veneti nominis dedecore in sinum istum devectus, ubique crudelitatis, atque avaritiæ vestigiis relictis, ferox, ac prædabundus non excurrat. Sed esto tot ditionum, & gentium, quæ vestro imperio continentur, vos minime pietas tangat; ne in barbarorum potestatem concedant, nulla pericula permoveant: non iste fugientis vestræ classis aspectus deterreat? Mari hoc excipiatur: quo loco consistet? intra quas stationes, aut portus se continebit? An ad Corcyram nigram? at defervescente maris æstu, nudato solo immobilis adhærebit. Ad Sicumne? Sed hostium finibus circumseptum, immanibus tormentorum ictibus patet. Ad Jaderamne? at angusta ad tot triremes excipiendas, statio parum commoda censetur. Quid igitur reliquum, nisi ut hæc illi ad certum effugium æstuaria pateant? Ita, dum toto mari hinc Turcica, illinc Cæsareana classis percurrunt, in intimo hoc, ac pene abdito recessu, quidquid maritimarum virium immenso labore, ac sumptu congessistis, inutili otio torpere, propugnatorum corporis vires, atque animi aciem habescere patiemur? Neque vero minus de annona nobis cogitandum erit, cum Chariadeno Neocastrum oppugnanti, atque oræ Adriatici maris quamplurimis navigiis insidenti facile admodum futurum sit, commeatus vel ex oriente, vel ex Siciliæ regno, & Iapygia intercipere. Atque ut secura navigatio a Turcis relinqueretur; quæ ex Apulia, & Sicilia frumenta convehi possunt, ea cum in Cæsareanorum potestate sint, aut cum fame conflictari,*

1539 *aut conjungere classes necesse erit, quorum illud miserrimum est; hoc vero, ut Foscarus quoque fatetur, concordiæ adversum. At saltem ex hac Auriæ conjunctione egregia nobis occasio daretur, qua præterita damna corrigere, & præreptum nuper navalis disciplinæ decus præclaro aliquo facinore recuperare possemus. Sed quid ab homine nostris rebus infesto, cujus fidem jam sæpius experti sumus, qui præclaram nobis obtundendi hostis opportunitatem invidit, expectandum est? His incommodis vos occurrere posse arbitror, si extra Adriaticum sinum classem commorari jusseritis. At inquiunt, verendum esse, ne hostis propinquus acie dimicare velit. Sed quis sibi persuadeat, Chariadenum, maritimarum rerum scientissimum, Neocastrum oppugnantem, divisis viribus, partem in Rhizonico sinu detenturum, partem ad nostros insequendos missurum? Ut scilicet ad consociandas cum Auria vires impellat; atque impar ad certamen ineundum cogatur? Cum e contra integra committendi prælii facultas penes vestrum imperatorem erit, qui tutos receptus ad Zacynthum, Cephaleniam, atque in Cretam habebit; inde usque in Cyprum libero tractu maris emenso, navigandi facultas erit, prædas agere, navigia intercipere, commeatus comparare, hostes variis detrimentis afficere. Id vero si initio belli factum esset, non tam propius in ditiones nostras hostis se intulisset; non Aegæi insulæ direptionibus, cædibus vastatæ; non ingens incolarum numerus in servitutem abreptus; non Peloponnesi urbes petitæ, atque oppugnatæ forent. Sed adjiciunt, infausto consilio, ut classis Corcyræ detineretur, superioribus annis decretum esse: ut intra sinum se reciperet, optima ratione prospero eventu paucis ante annis jussum fuisse. Sed non satis animadvertunt, aliis temporibus aliis consiliis opus esse: adeo enim vicissitudini, ac varietati humanæ res subjiciuntur, ut quæ nonnunquam prospero, ac felici eventu salutem, eadem, mutata rerum conditione, improspero exitu perniciem, atque exitium attulerint. Tunc amicus Suleimanus nobis erat; hostem modo experimur: cunctæ ditiones vestræ pacatæ erant; nunc ubique armorum tumultus sævit: ut causæ belli præciderentur, tum cavendum erat; nunc urbes, ac provinciæ in vos conversæ vestrum auxilium, atque opem implorant. Quocirca eo tempore classem in Adriatico sinu continere decebat,*

*cebat, dum ad Aulonem cum exercitu Suleimano castrametante, maritimis copiis Salentini petebantur : ea namque forsitan non contigissent, ex quibus importune grave, ac periculosum bellum illatum est. Hoc tempore, hoc rerum statu, non intra angustias Adriatici maris retinenda classis : prodeundum est, atque eo loco consistendum, quo & iis, qui vestro parent imperio, subsidia inferre possitis, neque navalis disciplinæ decus hostium contemptui objiciatis. Hæc tuta ad res vestras, ad imperium, ad dignitatem conservandam via : hæc ad populos in fide retinendos ratio : hoc demum pericula propelli possunt, quibus nisi maturo consilio prospiciatur, frustra prudentia requiritur : vires deficiunt, atque eæ calamitates, quæ initio vitari, & averti haud ægre poterant, inevitabili lege subeundæ sunt. His ego adductus, quæ non auctoritate, qua sæpius errare, labi, ac decipi possumus, sed certa, ut arbitror, ratione nituntur : summo classis præfecto injungendum censeo, ut Corcyræ moretur, neque se intra Adriaticum sinum recipiat.* 1539

*Senatus decretum de classe extra Adriaticū retinenda.*

*Mandata Senatus ad Alexādrum Contarenū, classis legatum.*

*Francisco Paschalico Adriatici custodia demandata.*

Cum Donatus peroraſſet, frequens Senatus in eam sententiam ivit, ut extra sinum classis detineretur : in id Alexandro Contareno, legatorum alteri, datis literis, quibus, nisi ab hoste lacessitus, ditiones, atque oppida illorum aggredi prohibebatur. Classis quoque imperatoris auctoritas Senatusconsulto illi demandata est. Franciscus Paschalicus, alter legatus, hoste in Adriaticum sese inferente, cum quindecim triremibus penitius ad oras maritimas conservandas se referre jussus; quadringenti pedites in supplementum missi. Eodem tempore, ne quid, quod ad bellum gerendum spectaret, prætermitteretur, ut pecuniam, qua ad pontificias triremes instruendas opus erat, Venetias mitteret, Patres a Pontifice flagitabant, qui, Republica seorsim de concordia cum Turcis ineunda agente, nihil se largiri posse ajebat, tum quod Supero, atque Infero mari haud exigui pro suis ditionibus tuendis sumptus essent faciendi, tum etiam, ne, pontificiis triremibus Venetæ classi accedentibus, quæ Byzantii agitabantur de pace negotia, interturbarentur. Nam cum vires hostium perspiceret, resque fœderatorum prolabi in dies animadverteret, Reipublicæ satius esse ducebat, ut, concordiæ ratione aliqua cum hoste inita, se instanti periculo eximeret, quam ut sensim debilitata gravi aliquo incommodo, & ca-

*Paulus Pōtifex Venetos ad pacē ineundam hortatur.*

Nn 2 la-

1539 lamitate afficeretur. Senatus prudentissimi senis consilia, propensumque in Rempublicam animum magni faciens, omnia cum eo consilia communicabat, atque ut egregiam in illum voluntatem patefaceret, Marco Grimano, legato, ejus nomine tres triremes petenti, quibus ad maritimæ oræ præsidium uteretur, liberaliter concessit. Neque vero ullum officii genus, ut ad Neocastrum ex fœdere Venetis Cæsareani traderent, prætermiserat; cum tandem Auria Cæsaris jussu iis conditionibus Reipublicæ concessurum diceret, ut quindecim aureorum millia in stipendia propugnatorum tribuerentur, impensæ pro illius defensione ex Pontificis præscripto Cæsari penderentur. Ea de re a Joanne Basadonna, legato, doctore, atque equite, qui Marco Antonio Contareno successerat, cum Pontifice actum, tandemque ad hujuscemodi conditiones deventum est, ut, Neocastro recepto, illico undecim aureorum millia numerarentur ad decem peditum millia conscribenda; de reliquis controversiis Pontifex decerneret. Verum cum, re maturius perpensa, Chariadenum propediem Neocastrum aggressurum nuntii perferrent, minime e Republica Patribus visum est, quæ sæpius ex fœdere petita, a Cæsareanis vel pernegata, vel dilata fuerant, importuno tempore recipere, quo & pax penitus abjiceretur, & graviori belli onere Respublica premeretur.

*Marco Grimano, Pontificis legato, triremes tres conceduntur.*

*Veneti Neocastri deditionem ab Hispanis oblatam rejiciunt.*

Hæc dum agerentur, augusti mensis initio Chariadenus cum classe nonaginta triremium, rostratorum navigiorum triginta, quæ Dragutes ductabat, in Rhizonicum sinum pervenit; atque eodem tempore Ulamanes præfectus cum triginta equitum, ac peditum millibus propinquos colles occupavit. Chariadenus sinum nactus, quo ab oppidi ictibus se protegeret, triduum in exponendis tormentis, erigendisque munitionibus absumpsit, quæ nocte tantum erigi, ac perfici poterant, cum in illos, qui operi incumberent, continenter ab Hispanis machinarum omnis generis globi excuterentur, ut supra mille ex hostibus convulnerati, atque interfecti sint. Operibus perfectis, ingenti cum majorum, tum minorum tormentorum vi exposita, oppugnationem instituit. A septentrione Ulamanes; ipse ab oriente; a mari Salecus, admotis triremium proris, mœnia quatere cœpere; idque acriter adeo, & absque ulla intermissione fiebat, ut oppidi, quod loco edito situm est, mœnia ingenti ruina conciderent.

*Ulamanes & Chariadenus ad Neocastri oppugnationem.*

Sar-

Sarmentus vero, Hispanorum præfectus, ægre murorum hiantium loca resarcire conatus, parum proficiebat, quod saxeus natura locus, glebas, ac cespites ad munimenta, quibus se, suosque milites tueretur, construenda non subministraret. Inde ingentibus globorum ponderibus domus, atque ædificia depressa prosternebantur; neque tutus, quo milites consisterent, locus erat, compluribus a tormentis discerptis. Hostes, cum Hispanorum vires haudquaquam ad illorum impetus excipiendos pares experirentur, propius mœnia subeuntes, peramplo propugnaculo sunt potiti, in eoque vexillum erexere. Verum, illius fundamentis suffossis, agi cuniculum Sarmentus jusserat, eo consilio, ut cum hostes irrumpere in oppidum niterentur, atque acrius impetum facerent, ignibus admotis, tormentarioque pulvere incenso, repente concussa, disjectaque munitio inopinantes opprimeret. Verum consilium improspero eventu cessit; nam cum segnius, ac lente admodum flamma conciperetur, nullo fere Turcarum damno, cum se periculo eximendi mora facultatem daret, propugnaculi ruinæ ingenti strepitu, ac terrore introrsum decidentes multos ignibus correptos, alios ruinis obrutos absumpsere; atque eodem tempore Ulamanes, qui superiori loco expugnationem moliebatur, murorum parte prostrata, ad irrumpendum in oppidum se compararet. Quibus rerum difficultatibus cum assiduis laboribus, ac vigiliis debilitatos, ac prope confectos milites cerneret Sarmentus, sauciatos, atque ad pugnam conferendam minus idoneos in arcem confugere jussit, quo octingenti milites cum Aloysio Ario, & Macinio Mongaja, aliisque præfectis se recepere. Sarmentus nullis periculis exterritus, cum generoso animo clarissimum obitum turpi salutis spei anteferendum duceret, selectos milites, supremos bellicæ virtutis conatus edituros, medio in oppidi foro cogi, & conglobari præcepit. Cruentissimum statim, hoste irruente, certamen editur; pugnatur initio utrinque acriter, augente Hispanorum animos desperatione, qui ardore prælii incensi, licet importunus imber sclopettariorum ignitos funiculos extinxisset, hastis, gladiis, contis intrepide rem agebant. Sed cum Turcæ numero superiores essent, ac summa contentione irruerent, pugnamque

1539

*Hispani cū sauciis in arcem Neocastri se recipiunt.*

*Joannis Sarmenti, præsidii Neocastri præfecti, præclarum facinus.*

1539 que conſererent, Hiſpani ad unum omnes cæſi fuere, inter quos Sarmentus ipſe, dum ſtrenui ducis, ac militis opera fungitur, tribus ſagittis confixus occubuit. Hoc ſucceſſu Arius præfectus, quique in arcem confugerant, perculſi, & perterrefacti, cum impares ſe ad obſiſtendum victori hoſti animadverterent, vitam, & libertatem pacti, ſe Aheneobarbo dedidere. Barbarus ſtatim miſerrima ſervitute ad triremium tranſtra omnes adegit, fractæ fidei prætexens, illos a prætorianis militibus, quorum præda eſſent, ſe coemiſſe. Hunc exitum Neocaſtri expugnatio habuit, atque ex quatuor Hiſpanorum millibus, qui in oppido præſidio erant, nemo non irati Numinis meritam ultionem perſenſit, ſingulis morte, aut captivitate facinorum pœnas luentibus, quibus per multos annos in Italia dimicando, innoxios populos afflixerant, Romanamque urbem impie, ac fœde diripuerant.

*Turcæ, præſidio deleto, Neocaſtrum capiunt, & arcem deditione recipiunt.*

Neocaſtro occupato, haud difficile Chariadeno fuit Rhiſano potiri: nam eo promotis copiis, cum neque munitionibus, neque militum præſidio hoſtium impetum ſuſtinere poſſet, Aloyſius Zannius oppidum Turcis tradidit. Exinde annuentis victoriæ curſu intumeſcens barbarus, Aſcrivio inhiare cœpit; atque ad Joannem Matthæum Bembum, Prætorem, literas dedit, quibus ad ſibi dedendam urbem minaciter, ac ſuperbe ſolicitabatur. Erat Bembus præalto animo præditus, egregiaque vittute, ac ſingulari conſtantia imperterritus. Is Chariadeno barbaricæ petulantiæ impatiens in hunc modum reſpondit: *Rempublicam Byzantium oratorem pro inſtauranda cum Suleimano pace, induciis pactis, miſiſſe: videret, ne temere jure gentium violato, eodem tempore & Galliarum Regem, qui ea de cauſa nuntium Byzantium proficiſci juſſerat, Venetamque Rempublicam offendens, ſuum Regem nefario piaculo obſtringeret: ſed cum nullum in Aſcrivio jus Suleimano eſſet, ſi tanta cupido occupandæ urbis inceſſiſſet, vim experiretur, in certamen deſcenderet: daturum operam, ut per ſummum ſcelus illatam injuriam fortiter ulciſceretur.* Interim Bembus, quæ ad urbem firmandam neceſſaria erant, ſedulo curare; civium, ac propugnatorum animos confirmare; tormenta diſponere; totumque ſe ad excipiendum hoſtis impetum compa-

*Rhiſanum a Chariadeno occupatum.*

*Chariadenus a Joanne Matthæo Bembo Aſcrivii deditionem petit.*

*Joannis Matthæi Bembi ad Chariadenum reſponſum.*

*Turcicæ triremes ab Aſcrivienſibus male habitæ.*

parare. Hostes propius Ascrivium accedentes catenas ad transitum impediendum de more objectas cum nonnullis triremibus temere prætervecti, displosis nostrorum tormentis, magno detrimento accepto, se referre coacti sunt. Inde cum reliqua classe Chariadenus supervenit, atque haud procul ab urbe milites exposuit; quorum pars per acclivia collis scandens, cum prope mœnia accessisset, ex arce, quæ prærupto, atque edito loco sita est, minutorum tormentorum displosione facta, non sine multorum cæde, adeo fracti, ac perturbati sunt, ut, dissipatis ordinibus, disjecti in triremes se fuga proriperent. Altera, quam ipse Chariadenus ductabat, ad eam oppidi regionem, ubi templum, ac cœnobium divi Francisci situm est, progreditur. Ea re cognita, Bembus Epirotas equites cum aliquot levis armaturæ sclopettariis equitibus emisit, a quibus hostium complures interfecti, sauciati, & convulnerati sunt; reliqui in fugam conjecti, collium editioribus occupatis jugis, quo eques ardua, & confragrosa via insequi non poterat, se periculo subduxere. Sed Aheneobarbus situm oppidi, munitionesque contemplatus, tormentorum vim, impavidum præfecti animum, propugnatorum virtutem, ac constantiam animadvertens, spe potiundæ urbis dejectus, oppugnationem relinquere statuit; & præfecto rescripsit, se nuntii adventum, quem Byzantium miserat, præstolari, ut quænam de illius urbis obsidione Suleimani sententia esset, certior fieret; petiitque, ut e suis quempiam colloquii gratia ad se mitteret. Hieronymo Cauco trierarcho id munus Bembus attribuit, quem humaniter Chariadenus excipiens, benevolo se, atque amico in Rempublicam animo esse pluribus suadere conatus est; seque nihil adversus inducias, nisi aliter Rex juberet, facturum: itaque xv. kalend. septembris, militibus, ac tormentis intra triremes subductis, inhibito remigio, Neocastrum reversus est; atque eo præsidio militum firmato, quinque Sangiachis munitioni præfectis, e Rhizonico sinu discessit. Inde ad Apuliæ loca vastanda profecturum constanti rumore increbrescebat, cum Neocastro recepto, universam Iapigiæ oram excurrere a Suleimano jussus esset. Verum post ea, quæ Ascrivii sequuta fuerant, Aulonem profectus, VI. kal. septembris per Corcyræum fretum iter tenuit. Magi-

1539

*Chariadenus Ascrivii oppugnationem deserit.*

*Hieronymus Caucus a Bembo ad colloquium cum Chariadeno missus.*

1539 stratus jussu ex arcibus complurium tormentorum bombis consalutatus; tres Corcyræi homines ad eum cum muneribus missi sunt; quos benigne alloquutus, magistratuique gratiis actis (ea enim est Turcarum natura, ut cum hostibus etiam mira dissimulatione utantur) addidit, se illati belli causam adversus Venetos fuisse; pacis quoque conciliatorem, ac sequestrem futurum.

*Venetorum copiæ Senatus jussu imminutæ.*

Ejus discessu Jadertinum præsidium, quod tribus millibus constabat, ad octingentos redactum est. Sici quoque, & Tragurii copiæ imminutæ; ut sex triremes dimitterentur, jussum; in iis binæ, quæ Cypri insulæ custodiæ præerant. Contareno, classis legato mandatum, ut, novem ac decem Cretensibus triremibus facultate in Cretam redeundi permissa, missionem remigibus, navalibusque sociis concederet. Interea cum Laurentius Gritus Byzantii nihil prætermitteret, ut quæ in mandatis a Senatu habuerat, perficeret, pestilentiæ lue correptus, nonis augusti interiit. Thomas autem Contarenus idibus Byzantium pervenit: decem ab urbe passuum millibus Regis nuntios, quos *Chiaussos* Turcæ vocant, obvios habuit; in peramplis ædibus hortorum amœnitate, ac septorum numero insignibus hospitio exceptus est, variisque muneribus, veluti si pax intercederet, donatus. Statimque Janusbejus illum invisit, atque de iis, quæ a belli initio usque ad eam diem evenerant, copiose colloquutus, inter cetera conquestus est, quod per interceptas literas de Suleimani classe in Apulia concremanda, atque de Sophi Persarum Regis armis in illum concitandis, actum cognovissent. Ad ea Contarenus, uti decebat, respondit; quæque in Apulia acciderant, fortuito errore noctis, ac maritima tempestate, quæ Venetam classem in ea litora impulerat, contigisse affirmavit. Quæ acta cum Persarum Rege fuerant, non odio in Suleimanum, sed tuendæ Reipublicæ causa jure gentium facta esse. His cum Janusbejo peractis, Contarenus Luphtibejum, supremum Bassam, ac Mehemetem adiit. Hi, donec de Neocastri eventu certiores fierent, mora tempus trahere; nuntiis de illius expugnatione acceptis, prospero exitu elati, negotium urgere, atque acrius instare. Itaque Contarenus in aula, in qua purpuratorum concilium statis diebus cogi solet, quam

*Laurentii Griti obitus.*

*Thomas Contarenus a Turcis Byzantii honorifice excipitur.*

1539

quam *Divanum* vocant, convivio regio a Bassis exceptus, intra claustrum ad Suleimanum perductus est, qui in thoro aureo, panno gemmis, ac margaritis intertexto sedebat, dextramque porrigere solitus, turbati animi indicem, pectori admovit. Contarenus paucis verbis legationis causam exposuit. Nihil ad ea, ut moris ex fastu, ac superbia Ottomanorum est, respondit; id unum, ut prosper illi esset adventus, præloquutus, negotium Bassis commisit: quid sibi videretur, ex iis intellecturum. Multis Contarenus cum Luphtibejo, atque aliis purpuratis egit; se a Senatu missum, ut pacem veteribus conditionibus, quæ utrinque occupata fuerant, restitutis, instauraret. His auditis, Bassæ vehementer Regis animum adversus Venetos iratum esse ajebant, atque eam ob rem in primis, quod, cum Cæsare fœdere icto, arma in ipsum intulissent: proinde de recipiendis quæ bello in illius potestatem concesserant, oppidis nihil speraret: nisi Nauplium, atque Epidaurum, ceteraque in eo litorum tractu, quæ a Neocastro Byzantium usque protenderentur, Venetæ ditionis essent, ut omnis dissidiorum seges tolleretur, traderent, de pace actum esse: præterea impensam in id bellum auri, atque argenti magnam vim, ad quod multis lacessitus injuriis descendisset, flagitare, quo regiæ dignitati prospiceretur: quis enim eum Regem, cui prope infinitæ affluunt divitiæ, ac thesauri, pecuniæ avidum censeret? haud parvam quoque pecuniam, superioribus annis pace sancita, Cæsari, qui potentia, & viribus illo inferior esset, numeratam fuisse. Ad ea Contarenus, se pro ineunda pace, quæ cum Reipublicæ dignitate fieret, Byzantium profectum; iis, quæ peterentur nullo pacto adsentiri posse; Rempublicam fortiter dimicaturam, extrema potius pericula subituram, quam de suis ditionibus quidquam sponte cederet. Subjecere Bassæ, nisi aliud in mandatis haberet, Byzantio abiret. Contarenus his de rebus Senatum certiorem facturum, atque interim dum responsum ferret, Byzantii, si ita illis libuisset, moraturum: id vero, quamvis omne studium adhibuisset, minime impetrare potuit; neque gravis, atque annosa ætas, longique itineris difficultas, neque ulla Gallici legati officia barbarorum ingenia flexere. Consalutato itaque

*Turcarum petitiones ob pacem Venetis concedendam.*

*Thema Contareni oratoris responsum.*

que

1539 que Rege, nullis honoris, aut benevolentiæ significationibus editis, discessit.

*Thomas Cõtarenus orator a Turcis dimissus Venetias proficiscitur.*

Cum his de rebus Contareni literis Senatus certior esset factus, ingens solicitudo Patrum animos incessit. Hinc iniquæ pacis conditiones, inde belli difficultates obversabantur, cum nullus ex icto cum Principibus fœdere per tot civium labores, atque immanes sumptus fructus perciperetur: præclaræ gerendarum rerum opportunitates amissæ; Neocastrum ab Hispanis occupatum; commeatus pernegati; ambigua auxilia, pericula certa; multa ad ostentationem composita; pollicitationes ingentes, quarum spe Respublica illecta sensim contabesceret. Nam Cæsar, qui specioso sermone se hoc anno in expeditionem adversus Turcas iturum professus fuerat, nunquam ex Hispaniis discesserat, Petrusque Mocenicus legatus hoc eodem tempore Senatui significabat, illius provinciæ urbes, & conventus Carolo discessum gravibus, atque audacibus verbis inhibuisse. Ea quoque suspicionem augebant, quæ Contarenus classis legatus e Corcyra per eos dies scripserat: de concordia inter Cæsaris ministros, atque Chariadenum agi; Joannem a Lego, & Siciliæ Archondam Marchionis Anguillariæ triremi ad eam insulam delatos, celoce petita, ad Prævesam illum convenisse, ac de captivis permutandis negotio confecto, varia agitasse, muneraque detulisse. Sub id quoque tempus Joannis Hungariæ Regis legatus Venetias accessit, egregiumque illius in Rempublicam animum exposuit: cupere arctiori amicitiæ vinculo Reipublicæ adstringi: id communibus rebus usui fore, quod æque Turcarum potentiam suspectam haberent; ac ne de concordia cum illis ineunda consilia abjicerent, Patres hortabatur, cum ob Christianorum Principum simultates, atque intestina odia nullum in rem communem satis firmum præsidium expectari posset; constaretque, quamdiu pro Cæsare hinc Pannoniæ regnum, inde maritimæ Reipublicæ ditiones veluti firmissimi aggeres, ac propugnacula communi hosti objicerentur, nihil illum in Turcas unquam acriter moturum. Gratiis Regi actis, quamvis de ineunda societate ea tempestate nihil perficeretur, tamen illius propensus in Rempublicam animus Senatui pergratus erat; quodque parem cum Republica fortunam subiret, libenter ejus consilia audie-

*Hispani duces ad Chariadenũ suos homines mittũt.*

*Joannes Hungariæ Rex Venetias legatũ mittit.*

audiebantur. Enim vero difficultatibus, in quas Thomas Contarenus inciderat, mirum in modum Patres commovebantur; quod insolentiores, secus ac putaverant, hostes offendisset; nimiumque graves, atque acerbas conditiones pacis proponerent; prosperoque rerum eventu elati, legatum, quem summis honoribus adventantem exceperant, re infecta, neque expectatis Senatus literis, abire imperassent. 1539

*Cæsar Cantelmius Byzantiū profecturus, suam operā Reipublicæ defert.*

Hoc rerum statu, atque animorum hæsitatione Cæsar Cantelmius, qui superioribus mensibus Byzantium profectus, in Galliam reversus, Regem de iis, quæ agerentur, docuerat, Byzantium rursus proficisci jussus est. XV. kal. octob. cum Venetias accessisset, Patrum Collegium adiit; seque in mandatis a Rege habuisse nuntiavit, ut pro communibus induciis perficiendis diligentiam omnem, ac studium adhiberet: quod si ulla in re Senatus benevolo illius animo, atque opera uti vellet, quæcumque in se forent, Regis nomine Reipublicæ deferret. Coacto Senatu, quid Cantelmio responderetur, variis sententiis, ac disceptationibus actum est: majori Præconsultorum numero, inter quos Philippus Tronus continentis Sapiens, Sebastianus Foscarenus doctor, Franciscus Donatus eques, d. Marci procurator, Consilii Sapientes erant, sigillatim de conditionibus, quæ a Bassis proponebantur, Cantelmio admonito, id adjungi placebat, ut nisi inducias, quarum caussa proficisceretur, impetraret, controversiarum, quæ Reipublicæ cum Suleimano intercederent, definiendarum provinciam susciperet. Hieronymo Grimano, Matthæo Dandulo continentis, Marco Antonio Cornelio Consilii Sapientibus, Turcarum postulata rejici prorsus placebat; ut enixe pro induciis, quæ fœderatos omnes complecterentur, una cum Rinconio Cantelmius laboraret; sed illarum spe abjecta, æquioribus conditionibus de concordia cum Republica ineunda deinceps ageret. Franciscus Superantius continentis Sapiens, ut cum literis nuntius ad Thomam Contarenum legatum mitteretur, censebat, quibus consistere juberetur, atque Byzantium certos homines mitteret, qui se nova a Senatu mandata habuisse Bassis significarent; proinde se, ut rursus de pace negotium institueret, rediturum. Laurentius Contarenus, & Laurentius Donatus ordinum Sapientes ad Senatum tulere, ut simul cum Gallo unus

*Senatus diversa sententia de Cantelmio respondendo.*

eo-

1539 corum, qui a secretis Senatui assistunt, Byzantium proficisceretur, cui, quæ e Republica essent, committerentur. De his sententiis cum in multam noctem disputatum esset, Patribusque nihil liqueret, rem differri placuit.

*Oratio Didaci Mendozzii, Cæsaris oratoris, ut Venetos a pace averteret.*

Interea Didacus Urtadus, e Mendozzia familia, Cæsaris legatus, cum Patres adiisset, vehementi oratione ab ineunda cum Turcis concordia avertere conatus est. *Iam per omnium ora circumferri*, inquit, *ab uno fœderatorum Principum separatim de pace cum hoste agi: neque vero id de Cæsare implacabili, ac perpetuo Turcarum hoste suspicandum esse; neque eam suspicionem in Pontificem cadere, qui religionis christianæ Princeps æternas cum impiis inimicitias gereret. Quid igitur reliquum, nisi ut rumor iste, qui circumquaque pervagaretur, de Republica existeret? quæ ob immensos sumptus, ob latissimos, quos terra, marique cum hoste fines habet, ob intermissa ingenti civitatis detrimento cum ea gente negotia, bellum pertæsa, in pacem proclinata videretur: id minime sibi suaderi posse, neque prorsus credere, dum illius pietatem, ac religionem intueretur, quo velut immobili fundamento innixa, in immensam brevi imperii molem assurgens, per tot temporum successiones libertatem cum dignitate retinuerit, atque auxerit: iisdem vero artibus, atque institutis, quibus ab initio parta essent, imperia conservari: eoque minus id sibi videri, quod cum eo hoste agendum esset, apud quem nulla fides, nullum jusjurandum satis tutum esset; qui Christianorum crudelis, atque acerrimus hostis illorum semper exitium meditaretur; nullasque leges, aut pacta servare, id demum summum jus existimaret: an vero quæ Syriis, quæ Græcis acciderint, memoranda esse, cum domestica exempla Respublica haberet, atque adeo recentia, ut vetustiora excutienda non essent? cum adversus pactas inducias Chariadenus, triremibus in Rhizonicum sinum immissis, Ascrivium terra, marique aggressus, eductis tormentis, expositis militibus, oppugnaverit: neque porro quis putaret, pace sancita, minores Rempublicam impensas, minora pericula subituram: cum bellum nihilominus Cæsare cum Turca gerente, quamplurimis hinc atque inde navigiis maria obsidentibus, ne fortunæ maritimas ditiones objiceret, instrui classem; oppida copiis firmari necesse esset: mirari*

*rari*

*rari vero se quorumdam nimiam prudentiam, vel potius calliditatem, qui dicerent, bello Rempublicam attritam, ac debilitatam; Cæsarem potentia auctum, mox intolerandum fore: Carolum religione imbutum esse, moderato animo, non ultra jus, fasque sese efferentem: eo vita functo, magnam illam Regnorum molem, qua nunc multorum oculi perstringerentur, plures in partes abituram: Hispaniam, Belgium, Neapolitanum regnum Philippo filio cessura; Germaniam imperatorii juris esse: secus in Turcarum regno evenire, quod ad filios, & posteros integrum perveniret, perpetuisque incrementis augeretur. Reipublicæ præterea eas vires suppetere, ut nihil a Cæsare sibi pertimescendum esset; cum centum triremium classem, magnumque aliorum navigiorum numerum momento fere, quod Christianorum Principum nemini licet, comparare, ac instruere posset: quæ sane vires si Cæsaris potentiæ adjungerentur, cujus ditiones a Siculo mari usque in oceanum extenduntur, obsisti hostibus, & victoriam comparari posse: an vero in re adeo gravi reliquorum Christianorum Principum judicium negligi oportere? quorum expectationi nihil adversum magis contingeret, conceptasque illorum spes indignius eluderet: summa molestia affici, quod Auria se Reipublicæ classi non adjunxisset; certos homines missurum, si Senatui placeret; ipsum quoque Messanam, atque in Hispaniam usque iturum, ut illum, si res ita ferret, ad opem Reipublicæ rebus ferendam compelleret; ut annona etiam e Sicilia, & Apulia asportari posset, operam daturum. Demum Cæsarem paratum, atque expeditum ad bellum esse, illaturum una cum fœderatis in hostium provincias arma: id ni fieri posset, illorum impetus fortiter excepturum, &, quod extremum omnium esset, ad communes cum sociis inducias descensurum.* His Cæsaris legatus a pace abducere Patrum studia conabatur. 1539

*Joannis Francisci Valerii officium pro testanda propensione Galliæ Regis erga Rempublicam.*

Iisdem porro diebus (erant tunc circiter idus octobris) Joannes Franciscus Valerius, vir sacratus, qui cum aliquamdiu in Regis aula vixisset, magnaque apud Gallos gratia esset, multa de illorum mente, & consiliis cognoscere profitebatur; Patribus exposuit: summo piaculo affici sibi videri, nisi duo potissimum, quæ optime noverat, testaretur; alterum, Regem optima erga Rempublicam mente esse, nec quidquam, quod

1539 quod ex illius utilitate, ac dignitate foret, prætermissurum; alterum, si Cantelmii opera uti Senatus nollet, optaret vero, ut alium ad negotium de pace peragendum Byzantium hominem mitteret, missurum. Re iterum in Senatu acta, ejus decreto, ordinario Regis legato, & Cantelmio vocatis, responsum est: nisi Cantelmius communes pro fœderatis inducias obtineret, de concordia cum Turcis ineunda Reipublicæ nomine æquis conditionibus ageret. Id, præteritis iis, qui a Turcis Contareno proposita fuerant, respondere placuit. Petentibus vero legatis, eo quod Byzantio Contarenus profectus esset, quo cum his de rebus agerent? Denuo Senatusconsulto adjectum est; nimium duras concordiæ conditiones, quæ ab hostibus exhiberentur, videri; si ad æquiora descenderent, iis cognitis, Canali firmandæ pacis facultatem Senatum daturum.

*Senatus oratoribus Gallis responsum.*

Is erat ea tempestate status, incerta, atque inconstans adeo rerum conditio, ut variis veluti fluctibus jactata Respublica tuto, ac certo loco consistere non posset, neque expeditis consiliis se casibus, atque periculis eximere: turpem pacem, ac iniquam nolle; difficile bellum perhorrescere; cum ad reliqua incommoda illud quoque accessisset, quod magna annonæ inopia civitas premeretur, quæ mediis aquis posita, neque agris circumfusa, ad ingentem incolarum multitudinem alendam externo frumento, atque commeatibus indigeret: eoque anno frugum proventus imminutus adeo, atque tenuis fuerat, ut in propinquam hyemem omnium rerum, quæ victui essent necessariæ, penuriam, ac famem quoque ipsam portendere videretur: & Gasparis Basalui Neapoli datis literis, afferebatur, frumenti inopia Neapolitanum regnum adeo laborare, ut gentes fame sibi pereundum pertimescerent. Inter has belli difficultates, ob annonæ, ac frumenti inopiam versantibus, alia supervenere, quæ mentes ambiguas in diversa raperent. Nam per id tempus Maria, Hungariæ Regina, Cæsaris sorore, Belgium administrante, cum gravioribus tributis pressa Gandavi civitas in apertam defectionem prolapsa esset, Cæsar veritus, ne præcipuæ urbis exemplum reliquæ sequutæ, ad libertatem arrectæ, jugum excuterent, ad Gandavenses opprimendos, justisque pœnis coercendos quamcelerrime in Belgium proficisci sta-

*Annonæ apud Venetos inopia.*

*Gandavi a Cæsare defectio.*

1539

*Cæsar per Gallias in Belgium transit.*

ſtatuit. Ea re cognita, Galliarum Rex novo ſibi officio demereri Cæſarem cupiens, atque eam opportunam, qua ſibi Inſubres traderentur, occaſionem ratus, illum ad iter per Gallias habendum invitavit. Id minime abnuit Cæſar. Eo conventu ingens de pace inter Principes opinio eſt concitata, atque ad novas ſpes belli feliciori exitu renovandi cunctorum arrecti animi. Cæſar antequam ſe itineri committeret, Petrum Mocenicum Reipublicæ legatum de ſua per Gallias in Belgium profectione docet: cum Rege nullis aliis de rebus, niſi de iis, quæ ad ſtatum reipublicæ chriſtianæ attinerent, acturum ſe profitetur. Pontificias, ac Venetas res ſibi cordi eſſe affirmat; ſummo ſe exiſtimationis loco Rempublicam habere; ad eam conſervandam omnes ſuarum virium nervos adhibiturum: pro certo habere, licet de pace cum hoſte egerit, atque agat Senatus, ad illam tamen, niſi neceſſitate adactum, non deventurum: ſperare, reliquis Principibus ſocietatis vinculo adſtrictis (etſi aliqua ex parte, quæ ab eo deberentur, minime præſtitiſſe fateri cogeretur) Rempublicam concordia, ſi quam pepigiſſet, neglecta, ſuis nixam viribus, adverſus communem hoſtem ituram. Eadem Rex Chriſtophoro Capellio oratori commemoravit. Adjecit, Senatui ſcriberet, ut de pace negotium, quod Byzantii agitabatur, deſereret; cum in eo, quod cum Cæſare colloquio habiturus eſſet, de proſequendo, ac vehementiori conatu inferendo bello agendum foret: ſe propediem ea de cauſa Claudium Hanebaldum, Taurini præfectum, Venetias miſſurum. Alphonſus quoque Davalus Vaſtius, Inſubrum præfectus, Vincentio Fideli affirmavit, ſe quamprimum, ut Senatum a pace abduceret, atque ad bellum inflammaret, ad urbem profecturum.

*Cæſaris officia cũ Mocenico oratore, ut Venetos ad bellum accendat.*

*Francisci Regis cum Capellio Veneto oratore officia.*

Pontifici, licet quæcumque ad concordiam inter Chriſtianos Principes ſpectarent, cui publica ſalus, ac religio niteretur, quam ea tempeſtate novis inſtitutis corrumpere iniqui homines conabantur, pergrata eſſent; attamen haud obſcure ſummam moleſtiam attuliſſe videbatur, quod, ſibi minime communicatis conſiliis, Reges in colloquium venirent; atque eam militarem legationem, quæ ad Rempublicam deſtinabatur, ſuſpectam ſe habere, Senatui ſignificavit: ut ex veteri, & perſpecta prudentia ſingula ageret, cohortatus. Addidit, eam eſ-

ſe

1539 ſe temporum conditionem, ut ſi unquam conſilia ad Apoſtolicæ Sedis, atque Reipublicæ conjunctionem adhibita fuiſſent, tum maxime adhibenda eſſent. Ea nihilominus Pontifex animi moleſtia compreſſa, Farneſium Cardinalem nepotem ad conventum in Gallias legavit, atque ut legatum eam ob cauſam deſignarent, Patribus auctor fuit. Cæſar, & Galliarum Rex cum ad Rempublicam Vaſtium, atque Hanebaldum deſtinaſſent; ad Pontificem ille Aloyſium Davilam; hic autem Guieum miſit. Vaſtius, & Hanebaldus menſis decembris initio ad urbem pervenere. Ea perhonorifica inſignium virorum legatio ingenti cum pompa, effuſa undique civitate, excepta fuit; Lando Principe magno Senatorum numero ſtipato ſolemni more cum navi regie inſtructa (*Bucentauri* nomen antiquitas indidit) occurrente, ſeptem militariter adornatis, atque inſtructis triremibus ſubſequentibus, quibus Alexander Bondimerius, nuper Franciſco Paſchalico præfectus claſſis ſuffectus, præerat. Legatis publico ære, dum in urbe manſere, victus exhibitus; peramplæ, ac magnificentiſſimæ Ferrarienſis ædes, in quibus degerent, tributæ. Poſtero die a Senatoribus coram Principe, & Collegii Patribus deducti ſunt, qui in ampliſſima majorum comitiorum aula conſederant, in quam tanta multitudo omnium ad percelebre ſpectaculum confluxerat, ut nihil ea die magnificentius intuentibus ſeſe objici poſſet.

*Farneſius Cardinalis ad conventum Cæſaris & Galliæ Regis in Galliã mittitur.*

*Vaſtius Marchio a Cæſare & Hanebaldus a Rege Venetias mittuntur.*

*Alexander Bõdimerius claſſis legatus,*

Curiam ingreſſi, ſuggeſtum ſcandentes, Duce, ac Patribus conſalutatis, eminentioris, qua Princeps ſedebat, ſellæ dexteram Vaſtius, ſiniſtram Hanebaldus tenuere. Vaſtius aſſurgens legationis cauſam expoſuit: quod in omnium piorum votis erat, ac potiſſimum ad chriſtianæ reipublicæ vulnera ſananda mirum in modum exoptandum videbatur, ſingulari Dei Optimi Maximi beneficio ea tempeſtate contigiſſe, ut qui antea ſummi Principes diſſidentes animis, acerrime armis inter ſe certaverant, ii nunc, ſimultatibus depoſitis, ad minime fucatam pacem, concordiamque deſcenderent; idque unum ſpectaſſe, ut perturbatis, atque afflictis chriſtianæ reipublicæ rebus opitularentur; faſtum, ac ſuperbiam communis hoſtis obtunderent; pioque, & juſto bello, ſacro fœdere icto, tot a barbaris illatas injurias ulciſcerentur: ut hæc ad Rempublicam

*Oratio Vaſtii marchionis.*

per-

perferrent, a suis Principibus missos fuisse, quam navali apparatu, maritimarum rerum disciplina, ac viribus sociam laboris, & præmii adsciscerent: jam tempus adesse, quo teterrimus christiani nominis hostis terrestribus, maritimisque copiis vinci aliquando assuesceret: proinde acriores ad bellum instaurandum spiritus sumerent, majorum pietatem, generosique animi laudem æmularentur; incertæ, infidæ, atque iniquæ paci pium, ac justum bellum, quod brevi speratæ victoriæ fructus consequeretur, anteferrent. Ad hæc Landus Princeps respondit: quammaximas posset, summis Principibus habere, atque agere gratias, quod duorum præstantissimorum ducum insigni legatione condecorassent Rempublicam, ac propinquæ pacis spem, qua nihil eo tempore optatius contingere potuisset, significassent: circumsessæ enim undique tot difficultatibus christianæ reipublicæ quid salutarius? quid cunctis Europæ Principibus exoptandum magis? quid demum Venetæ Reipublicæ, quæ gravissimo, ac periculoso bello conflagraret, utilius, quam ut consociatis animis, ac viribus in sacrum bellum universi conspirarent? Id si felici fato eveniret, minime dubitandum, quin Respublica cunctis opibus, maritimis terrestribusque copiis, civiumque ipsorum egregio conatu ad eam gloriam, a qua ipsius incolumitas sejungi non posset, vehementi ardore anhelaret, atque incitaretur. Hæc Landus. 1539

*Petri Landi Principis responsum.*

*Vastii & Hanebaldi officia in collegio habita.*

Postridie ejus diei Patrum Collegium legati adiere, mandataque Cæsaris singillatim Vastius exposuit: a Carolo se ad Senatum missum, ut illi persancte affirmaret, ac polliceretur, in iis, quæ in Gallia cum Rege, in Belgio cum Maria sorore, & Ferdinando fratre Romanorum Rege fierent, colloquiis de christianæ tantum reipublicæ commodis, Venetisque presertim rebus agendum fore: quæ illorum interessent, non secus ac sua, Carolo cordi esse: eam inter Cæsarem, & Regem animorum conjunctionem, & ad commune bonum inclinatam mentem extare, ut nihil ex ea, nisi præclarum, atque eximium expectari posset: proinde eorum nomine exquirere, quænam ad bellum in sequentem annum gerendum compararentur; ut, iis cognitis, opportuna capere consilia possent. Hæc summatim Vastius, quem Hanebaldus

1539 Gallico sermone, ordinario legato interprete, Regis nomine eadem est proloquutus. Princeps, illorum adventum pergratum Reipublice fuisse, denuo humanissimis verbis testatus, ut moris est, quæ ea in Republica sententia esset, Senatum declaraturum. Tum Vincentius Capellius, divi Marci procurator, consilii, ac Franciscus Superantius, continentis Sapientes, præconsultorum sui ordinis ea hebdomada præsides, interrogarunt, quo loco pacis negotium? quæ leges concordiæ inter Reges forent? quinam bellici apparatus? quove tempore in promptu omnia, atque instructa haberent? Ad hæc Vastius, arcto adeo amicorum Regum voluntates vinculo adstringi, inquit, ut jam pax pro confecta haberetur: de bellico apparatu nihil a Cæsare in mandatis habere; verum quod toties dictum fuerat, id repetiturum, vel inferendo, vel excipiendo bellum administrari posse: si de inferendo ageretur, cum tempus usque eo processisset, difficile admodum, ut hostium fines iuvaderentur, censere. Ceterum ad defensionem quamprimum omnia comparari atque urgeri oportere; classes instruere, pecunias cogere, militum delectum haberi: demum ad conferendas cum hoste manus certa, atque haud difficili victoriæ spe accingi: nam, Republica una cum fœderatis in id incumbente, cuncta prospera, ac felicia procul dubio eventura. In eandem sententiam Hanebaldus de mutua Principum benevolentia disseruit: nihil sibi de iis, quæ ad bellum a Rege pararentur, in mandatis datum: ut Reipublicæ mentem, atque ea, quæ in expeditionem Turcicam moliretur, intelligeret, Venetias proficisci jussum. Ex his, quo Principum consilia tenderent, quibusve difficillimi, ac periculosissimi belli fundamenta viribus, quave spe subnixa essent, haud obscure intelligebatur: pacem ostentare: ad bellum Rempublicam inflammare: spes ingentes objicere; cum interim obstinata animorum contentione de Insubrum imperio disceptarent, atque in propinquum ver nulla auxilia, nullos militares apparatus edidissent; regnandique artibus se, atque alios eluderent, ac deciperent: inde Franciscus nunc benevolentiæ, ac necessitudinis officiis Carolum demulcere adortus, in Belgium proficiscentem, ut Lutetia iter haberet, secumque congrederetur, invitare: nunc Suleimani amicitia ad illius

cona-

conatus avertendos, nimiumque sese efferentem dominandi cupiditatem coercendam, ut tandem Mediolani imperio potiretur, uti. Cæsar contra, qui pulcherrima, ac ditissima provincia cedere nollet, modo Regem spe allicere, & pollicitis distinere; modo, ne potentissimi hostis solus impetus excipere cogeretur, Rempublicam a concordia abducere, bello implicare, ut ea socia, Turcis acrius obsisteret, atque arma a Siculo, & Neapolitano regno, ceterisque suis ditionibus amoveret. Ea vero clarius quoque ex verbis Davali patuere, ad quem cum publico nomine invisendum Vincentius Fidelis, a Senatus secretis, accessisset; is cum de præsenti rerum statu sermonem haberet, quid ipse sentiret, inquit, exuta ministri Cæsaris persona, dicturum: æquum sibi, ut attente suis rebus Respublica prospiceret, videri; cum a præpotenti ac propinquo hoste premeretur; neque adhuc quidquam, quod in tanti belli usus necessarium foret, a fœderatis expeditum, ac in promptu esset: quindecim vero dierum spatio impetrato, certum ad Cæsarem hominem cum literis missurum; mox ejus mentem, cunctaque illius consilia patefacturum, ea lubenti animo Senatum auditurum, sperare. Hæc Vastii verba mirum in modum Patres commovere; cum ea speciosa legatione, tanta christiani orbis expectatione designata, vel ad concordiam Principum, vel ad instaurandum bellum nihil solidum contineretur. 1539

*Thomæ Cōtareni reditus & de Turcarum rebus narratio.*

Dum hæc aguntur, Thomas Contarenus legatus ad urbem pervenit. Is statim Senatum adiit, quæque illi in ea legatione contigerant exposuit: de Suleimani imperio, potentia, viribus, divitiis disseruit. Pacem complures ob causas cum Republica Turcas exoptare: si nova Senatus mandata ad eam renovandam habuisset, negotium se ad exitum perducturum fuisse; proinde, consalutato Rege, per aliquot dies Byzantii, eo, ac Bassis fere invitis, substitisse; nullo de Senatus mente nuntio adventante, iter maturare coactum fuisse: demum in ea sententia esse, ut, novo legato Byzantium misso, æquis conditionibus ad pacem deveniri facile possit; neque ob eam rem ullam apud justos rerum æstimatores notam Rempublicam subituram; cum omnibus satis notum esset, quo animi ardore, quibus viribus, & conatu in id bellum incubuisset,

1539 quibus periculis fœderis plausibili nomine implicaretur: occasione utendum, neque aliorum Principum ambiguis consiliis, atque artibus fidendum, qui, Republica terra, marique oppugnata, aut alta pace fruerentur, aut minori sumptu in partem laborum, ac periculorum adscita, suas ditiones, ac regna tuerentur. Eorum, quæ a Cæsare Petro Mocenico legato dicta fuerant, meminisse: biennium cum acerrimo hoste, sarto, ac tuto imperio, pugnatum esse; quasi vero ea, quæ hoc tempore Reipublicæ acciderant, nullius momenti censenda forent: an vero hæc parvi momenti esse, Corcyram, multis hominum millibus in servitutem abreptis, crudelibus incendiis deformatam; Illyricum, atque Epirum vastata; Nadinum, & Lauranam amissa; complures in Aegæo mari insulas ab hoste occupatas; immanes profusos sumptus; Nauplium, & Epidaurum obsidione in summum discrimen adducta? Et adhuc incerta cunctatione tempus trahi; certis, ac firmissimis auxiliis, non perhonorificis legationibus opem afflictis Reipublicæ rebus afferri. Hæc, atque alia complura Contarenus in Senatu percensuit.

*Venetorum ad Vastium & Hanebaldum responsum.*

Tum ex Senatus decreto Cæsaris, ac Regis legatis responsum est: Nihil illorum adventu Reipublicæ honorificentius, vel optatius contingere potuisse: summas illorum Principibus, ac ipsis Senatum agere gratias; Regum pietatem, atque mutuum erga pacem studium paribus laudibus satis extollere non posse, quo christianæ reipublicæ attritis, atque afflictis rebus opem laturos pollicerentur: quæ a Vastio de bello administrando prudenter dicta fuerant, probare, ut temporis angustia instante anno pro defensione tantummodo bellum gereretur; ea vero mente esse, ut neque absumpta immensa pecuniæ vi, neque insulis in Aegæo amissis, neque oppidis in Illyrico captis, agris vastatis, complurium mortalium captivitate, civium effuso cruore deterreretur: nihil prætermissurum, alacri, atque infracto animo omnia pericula subiturum, ut imperium, libertatemque defenderet: in id classem novo robore aucturum; novos militum, ac remigum delectus habiturum; quidquid a se proficisci posset, perfecturum. Verumtamen eo loco res esse; ingentia adeo potentissimi hostis vires incrementa suscepisse, ut ad tantam sustinendam molem par Respu-

publica esse non posset: quapropter mirum in modum Reges orare, ut citra moram, re ipsa magno conatu, ac viribus Reipublicæ subvenirent, omniaque ad bellum expedirent, ut invadenti hosti fortiter obsisteretur; cum præcipue Chariadenus in Corinthiaco sinu cum nonaginta egregie instructis navigiis hyemaret, ut veris initio in Reipublicæ ditiones impiger belli procellam effunderet. Ex prisco Reipublicæ usu, ac lege institutum est, ut Senatus decreta scriptis excepta coram Principe, & Collegii Patribus legatis recitentur: iis neque addi quidpiam, neque minui a quovis potest; exscribendi nulla facultas permittitur; separatim legatis petentibus a Senatus scribis perleguntur; si quid ex se ipsis decerpere velint, non negatur. Perlecto itaque legatis de more coram Principe Senatusconsulto, in interiorem aulæ locum se recepere: ibi, scriba legente, decreto diligenter perspecto, atque excusso, iterum Patres adiere; quæ eo continerentur & sibi placere, atque eadem Reges probaturos pro certo habere affirmarunt. Ceterum petere, ut de pace, nisi prius illorum responso accepto, non ageretur; publicam ea in re sententiam exquirere. Senatusconsulto responsum: gravia, ac difficilia bella per multos annos cum Turca Rempublicam varia fortuna gessisse; hoc postremo haud exiguas clades, damnaque perpessam, quibus minime deterrita, enixe quæ tantum bellum exposceret, comparaturam: interea nihil fœderatis officere arbitrari, si hostis mora, varia disceptando, traheretur, ut imminentia Reipublicæ pericula propellerentur. Decreto annuere visi; ac mox urbe discessere. 1539

*Venetorum bellici apparatus.*

Verum incertis rerum eventibus, ambigua quoque consilia, ac responsa Senatus erant, ut neque a bello se aversum ostenderet, neque pacis æquas cum hoste conditiones aspernaretur. Igitur eodem tempore belli præsidia sedulo curabat, & de concordia negotia non intermittebat. Alexander Bondimerius, præfectus maris designatus, navales copias lustrare jussus, cuncta ad discessum comparare; ut quamprimum cum triremibus viginti ad classem proficisceretur; ut decem peditum millia conscriberentur, latum. Deinceps de legato Byzantium mittendo, dissentientibus sententiis, agitatum; inde plerisque permotis, quod Canalis literis nuntiaretur, ludos magnificentis-

 simos,

1539 ſimos, ac publica ſpectacula ob Regis filiæ cum Rusteno Baſſa connubium, duorumque filiorum circumciſionem Byzantii parari; in iis ſolemnibus concelebrandis in lætitiam effuſa civitate, a Baſſis Reipublicæ legatum exoptari. Nonnullis mitti Senatus ſcribam placebat. Nec deerant, qui Joanni Matthæo Bembo, Aſcrivii prætori, quo celerius iter conficeret, id munus tribuerent. Tandem cum frequens Senatus legatum mittendum cenſuiſſet, Aloyſius Baduarius deſignatus eſt, qui paulo ante in ſuggeſtu Patres ad decretum de legato mittendo vehementi oratione fuerat cohortatus; atque ſuam operam orando, optima fortunati eventus ſpe Patrum animis injecta, detulerat. Baduario in mandatis datur, ut quamprimum itineri ſe committat, ac Byzantium proficiſcatur: Cantelmio Gallo communes inducias non obtinente, de renovanda pace Reipublicæ nomine ageret; quam niſi æquioribus legibus paciſci, & quæ occupata ab hoſtibus fuerant, recipere poſſet, priſcis conditionibus, uti Contareno juſſum fuerat, ad concordiam deveniat: pro Nauplio, & Epidauro annuam quinque ad ſex aureorum ſummam, atque in belli impenſas, & damna, quæ ut ſarcirentur, Turcæ a Republica flagitabant, a ducentis ad trecenta aureorum millia promittendi facultas permittitur. Eodem tempore ad deliniendos Principum animos duo legati, creati: Antonius Capellius ad Cæſarem, Vincentius Grimanus ad Regem deſignati.

*Aloyſius Baduarius orator ad Turcas, & mandata ei tributa.*

*Antonius Capellius ad Cæſarē, Vicentius Grimanus ad Franciſcum Regem oratores.*

## M. D. XXXX.

1540 CAeſar interim anno ineunte cum Lutetiam perveniſſet, a Rege honorificentiſſime exceptus, omnibus neceſſitudinis, ac benevolentiæ officiis excultus eſt, ut obliterata odia, ac ſimultates prorſus reſtinctæ viderentur, quibus per tot annos certando, provincias, & populos contriverant, atque afflixerant. Corolus, ut egregium aliquod conciliatæ amicitiæ argumentum ederet, Delphinum, ac fratrem Aurelianum Ducem aureo vellere donavit. Chriſtophorus Capellius, Reipublicæ legatus, quæ Vaſtio, atque Hanebaldo Senatus decreto reſponſa fuerant, utriſque ſignificavit. Cæſar ſummo ſe dolore affici, inquit, quod anni tempus eo uſque provectum eſſet,

*Cæſar a Franciſco Rege Lutetiæ excipitur.*

*Cæſaris reſponſum ad Chriſtophorum Capellii oratorē.*

ſet,

fet, ut ea, quæ ad Turcicam expeditionem necessaria forent, 1540
quod summopere concupiverat, comparare non posset; id moræ, & cunctationi Reipublicæ se tribuere: quæ separatim de pace Byzantii agitata fuerant, quo minus communes induciæ conficerentur, atque, ut hostes ad Neocastrum expugnandum contenderent, in causa fuisse: pecuniæ inopia adductum, quibus opus esset, ea exequi se non potuisse. Auriæ in mandatis datum, ut se ad hostium impetus propulsandos compararet; cuncta in id instructa, atque in promptu fore; ut frumenti in suis ditionibus, ratione habita, iis, quæ ad victum necessaria essent, retentis, reliqua Reipublicæ libenter impendi jussisse; bona spe esse, a Rege classe, ac pecunia adjutum iri, ut & propelli, & vinci hostis posset. Rex vero Capellio in hanc sententiam respondit: quod difficillimum, ac grave bellum Respublica suscepisset, ob eam rem haud exiguam animo molestiam se tulisse; suam operam eo tempore Reipublicæ obtulisse, quo controversiæ, quæ illi cum Suleimano intercedebant, facile admodum dirimi poterant: nunc conditione rerum immutata, eo deventum, ut, quid potissimum agendum esset, non satis sibi constaret. Ceterum quo animo, atque studio in commune bonum, ac præsertim in Venetam Rempublicam esset, si occasio ferret, palam editurum. Cæsarem fidenter adeo suum regnum ingressum ad se visendum accessisse, ut ad conciliandos inter se animos nihil accedere posse videretur: verum eo Lutetiæ commorante, de publicis rebus nil acturum; cuncta in conventum Belgicum rejecturum. Ex his Principum responsis cum nulla magis prospero rerum gerendarum eventu spes offerretur, ambigua inter reges pace, nullis certis ad bellum auxiliis, propensius versi cunctorum ad concordiam animi; cum præsertim, induciis in Illyrico cum Mœsiæ præfecto pactis, magna frumenti, & commeatuum vis in urbes, atque agros Venetorum confluxisset. Quibus rebus adducti Decemvirum Collegii Patres, penes quos ea tempestate ingens auctoritas, atque in gravissimis rebus decernendis summa potestas erat, cum ad res labentes sistendas, Remquepublicam incolumem præstandam nihil necessarium, aut opportunum magis, quam pacem cognoscerent; xiij. kal. februarii concilio coacto, ampliora Baduario legato man-

*Francisci Regis respō-sum ad Christophori Capellii officia.*

*Venetorum induciæ cū Mœsiæ præfecto.*

1540 *Mandata a Decemviris Baduario oratori tributa de Nauplio & Epidauro Turcis tradendis.*

data dedere: ut omni ope, ac studio adhibitis, si superioribus conditionibus pacem obtinere non posset, Nauplio, atque Epidauro cederet: decreto Senatui minime communicato, quo inter paucos res acta sanctiori silentio tegeretur.

Baduarius aprili medio cum Byzantium pervenisset, vj. kal. majas de more Regem adiit; mox cum Bassis de pace agitare cœpit, durioresque secus ac putaverat, nactus est; cum immanem auri vim pro damnis, atque impensis, Nauplii quoque, atque Epidauri urbes peterent: nisi eæ traderentur, nihil esse, quod de pace quidquam sibi polliceretur. His Turcarum postulatis mirum in modum commotus, ac perculsus Baduarius, hærere, atque id, quod erat, suspicari cœpit, nempe, quæ in abditis arcanis mandata habuerat, ad Turcas ea manasse, cum, qui legatum toties Byzantium mitti petierant, insolentiores, atque elatiores effectos animadverteret. Verum omnia prius experiri, quam ad extremas conditiones descendere statuens, Galliarum Regis legato ad demulcendos barbarorum animos adhibito, cum nihil profecisset, atque hinc Decemvirum mandata, ac literæ urgerent, inde superbia, & fastu Bassæ magis eveherentur, cunctatione aliqua, qua suspicionem Turcarum animis injiceret, usus est. Id cernens Chariadenus, ad spem legati animum erigere conatur, ne, quod sibi nimium acerba postulata viderentur, ob id deterreretur: cum plura petere, ex iis quædam subducere, mos gentis esset. Ac licet nonnulla exinde melioris eventus spes oborta Baduario videretur; tamen cum mitiores Bassas minime comperisset, immotumque illorum menti insidere, ut absque Nauplio, & Epidauro pax non conficeretur; tandem iis conditionibus adsentiri coactus est, quibus urbes traderentur, ac trecenta aureorum millia in tres annos penderentur; paxque iis demum pactis inter Suleimanum, & Rempublicam sancita est.

*Pax inter Venetos & Suleimanū.*

Hujus rei nuntio ad urbem v. kal. junias allato, quamvis cunctorum civitatis ordinum pacis expectatione erectis animis, cum intellectum esset, iis conditionibus pacem Baduarium sanxisse, quibus Peloponnesi urbes tradebantur, acerbus dolor, ac veluti stupor civitatem perculit, cum tanti pacem cum infido hoste constare animadverterent. Consilia initæ concordiæ improbare; in Baduarium fremere, atque atroci invidia debac-

debacchari; ut populus in illius nomen aspere concitatus probra, & convicia jactaret; donec detecta sceleratorum hominum perfidia, qui infando crimine commaculati Rempublicam hosti prodebant, atque, ut mox dicemus, supplicio meritæ necis affectis, oppressum Baduarii nomen tandem emersit. Nondum vero pace per urbem vulgata, iis vocibus Didacus Mendozzius, Cæsaris legatus, incitatus, Principem ac Patres adiit, multa gravi, & acerba oratione conquestus, quod inconsultis fœderatis ad concordiam cum hoste, ejusmodi præsertim conditionibus, deventum esset. Princeps de iis, quæ ad pacem cum hoste ineundam Rempublicam impulerant, vehementi oratione disseruit: confectam triennali bello adversus potentissimi hostis vires, qui longo tractu maris, ac terrarum Venetæ ditioni quamproximus undique immineret, frumentique, atque annonæ inopia oppressam sufficere non posse; ut si mora, & cunctatio ad eam perficiendam intercessisset, certam subire perniciem, ingenti quoque totius reipublicæ christianæ detrimento, damnoque oportuisset; in hoc sapientum exemplum medicorum imitata, qui partis alicujus jactura universi corporis saluti, atque incolumitati prospiciunt. Hæc Landus. Pace constituta, Mocenicus classis imperator in Peloponnesum profectus, Epidauriis, ac Naupliis concordiæ pactiones, ac mandata Senatus exposuit; propensum in eos, ac benevolum Reipublicæ animum testatus, iis, qui alio commigrare vellent, abeundi facultatem concessit. Incolæ, quamvis acerbo animi dolore suas sedes relinquere cogerentur; confirmatis tamen ab imperatore animis, necessitati parere coacti sunt. Itaque novembri mense Alexander Contarenus, classis legatus, cum varii generis navigiis eo appulit, tormenta, bellicos apparatus, ac milites recepit: omnes fere Nauplii, ac Epidaurii, relicta patria, conscendentes abiere: illis a Senatu in aliis regionibus sedes datæ, publicæque caritatis, ac benevolentiæ officiis afflictis illorum fortunis, & inopiæ subventum est. Alexandro Contareno, cum in patriam rediisset, seque magistratu abdicasset, Petrus Mocenicus, capitalium rerum triumvir, diem dixit, atque ut ex Senatus decreto triennio ante lato se coram magistratu sisteret, præcepit; cum Leonardus Venerius, & Nicolaus Pontius

1540

*Didacus Mēdozzius de pace Venetiis conqueritur.*

*Alexander Contarenus legatus in patriam reversus in jus vocatur.*

1540 tius collegæ intercessissent, atque negotium ad Senatum rejecisſent.

## M. D. XXXXI.

1541 *Nicolaus Pontius patrocinium Contareni suscipit, & a discrimine eximit.*

EO vero coacto, acerrimis disceptationibus res acta est, atque in pares sententias discedentibus Patribus, ea die re infecta Senatus est dimissus. Postridie Nicolaus Pontius, qui ad civilem prudentiam scientiarum quoque notitiam adjunxerat, graviter admodum, atque eximia dicendi vi pro Contareno verba habuit: ex iis, quæ sequuta fuerant, judicio abrogato, nil causæ esse cur in jus Contarenus vocaretur; cœpto bello, ne classe abscederet, jussum; divi Marci procuratorem, quindecim aureorum millibus in ærarium collatis, creatum; classis legato supremum quoque imperium tributum; quæ egregiæ illius virtuti, atque eximiis in Rempublicam meritis Senatus gratiam conciliare, non obliteratam iracundiam in illum incendere debuissent: ne igitur ingrati animi notam Patres subirent, neu funesta denunciatione, pace confecta, optimi civis animum conterrerent. Itaque eo Senatus decreto rescisso, Contarenus eo discrimine fuit exemptus. Bellum cum Suleimano hunc exitum habuit, quorumdam imprudentia, vel casu exortum, magna spe ob Christianorum Principum societatem susceptum, summo periculo, & jactura Reipublicæ administratum.

Pace inter Venetos, ac Suleimanum confirmata, quonam potissimum Turcarum arma verterentur, magna cuncti expectatione tenebantur; cum adversus Persas moturum Regem multis rumoribus percrebresceret; neque adhuc ob concordiam cum Venetis ictam adversus alios Christianos Principes certi quidquam constituisset, Chariadeno intra Hellespontum se continente; Rinconio Regis legato, ut inducias, quæ reliquos Principes complecterentur, obtineret, summa ope adnitente; a quibus Suleimanus abhorrere minime videbatur. Neque minus pacis inter Gallos, & Hispanos desiderium solicitabat animos, cujus ingens spes ex mutuis Lutetiæ Principum congressibus, ac sermonibus, & ex induciis, quæ Niceæ pepigerant, renovatis concepta fuerat. Post quas Cæsar in Belgium profectus

1541

*Gandavenses a Cæsare perdomiti.*

*Joannis Hungariæ Regis obitus.*

*Ferdinādus Rex Pannoniæ regnum a Regina vidua postulat.*

*Hieronymus Lascus a Ferdinādo Byzantium mittitur ad regnum Hungariæ sibi permittendum.*

ctus Gandavenses coercuerat, atque arce in urbe ædificata, ne malum pernicioso exemplo serperet, insolescentes eorum spiritus compresserat. Ita se res habebant; cum ex obitu Joannis Hungariæ Regis novæ bellorum causæ exortæ, Turcarum arma in Pannonias attraxere. Nam cum Ferdinandus, Romanorum Rex, ad occupandum Pannoniæ regnum animum adjecisset, ad Reginam legatum miserat, qui ex recentibus cum Joanne pactionibus regnum, quod ad se devolveretur, deposceret, atque ut sponte decederet, adhortaretur: id si faceret, ejus filio Sepusianos traditurum. Hieronymum quoque Lascum, Sarmatam, nobilitate generis, rerumque usu præstantem, Byzantium ad Suleimanum mittit, ut beneficiarii juris nomine, quemadmodum Joanni Vaivodæ concessum fuisset, regnum sibi permitti contenderet. Regina cum Sigismundo patre, Sarmatiæ Rege, rem omnem communicaturam, neque ab illius consiliis discessuram respondit. Ferdinandus de rerum Hungaricarum statu edoctus, armis rem gerere statuit; Strigonium urbem, Vicegradum, Pestum, Vacciam occupat, Albam Regalem in suam potestatem redigit.

*Ferdinādus Rex Pannoniam aggreditur.*

*Turca in pueri Regis subsidium exercitum mittunt.*

*Rochandulphus a Turcis profligatus.*

*Suleimanus, Rege puero in castra evocato, Budam occupat.*

*Suleimanus Byzantium regreditur.*

His cognitis, Suleimanus mirum in modum incensus, vel ob id præsertim, quod, legato ad eum misso, arma in Pannoniam Ferdinandus convertisset, a Reginæ legatis solicitatus, magnis coactis copiis, infanti puero opitulatur. Dravum, Savumque fluvios Turcæ trajiciunt; Hungaris sociis, Vacciam recuperant atque incendunt; Pestum frustra oppugnant; mox in suos se fines recipiunt. Rochandulphus, regiæ aulæ magister, novis collectis copiis, in Pannoniam mittitur; ab oppugnatione Budæ repulsus, obsidionem aggreditur. Suleimanus ingentem exercitum ad opem obsessæ Reginæ ferendam in Pannoniam mittit: ex Rochandulphi sententia, inauspicato consilio, moventur castra, pugnaturque quotidie minutis præliis; hostibus animus augetur, Germanis frangitur; adventante Suleimano, Buda relicta, Pestum se subducunt: in ea fuga magna cædes Germanorum editur; Pestum a Turcis recuperatur. Paulo post cum in Pannoniam Suleimanus pervenisset, ut puerum Regem ad se in castra mittat, Reginæ persuadet: cum plerisque comitantibus proceribus allatus esset, inter blanditias, & oblectamenta, Hungarorum cum Bassis convivia, & compotatio-

nes,

1541 nes, immissis in urbem militibus, Budam in suam potestatem redigit; cives armis exuit, iij. kalend. septembris urbem ingreditur; Reginam urbe, atque arce excedere, cum puero ultra Tibiscum amnem Lippam concedere jubet, eaque regione potiri permittit. His mira celeritate peractis, in Thraciam Suleimanus rediit.

Dum ea fierent, Antonium Rinconium regredi in Galliam jusserat, ut Regem de iis, quæ acciderant, deque mutatis a se induciarum consiliis, atque ad bellum traductis doceret. Is cum in Galliam proficiscens Venetias accederet, omnia Senatui significavit; de apparatu, quem in Pannonicum bellum, atque adversus Cæsarem ea tempestate Suleimanus moliebatur, multa disserens, illiusque cum Galliarum Rege amicitiam extollens, ut Venetos, quibus præpotentis hostis arma semper suspecta erant, arctiori vinculo cum Rege conjungeret. Petenti, qui se per fines Reipublicæ iter habentem comitarentur, cum levioris armaturæ militum manu Mercurius Bua a Senatu missus, ne per Bergomates, & Volturenam vallem, ad Curiam Rhætorum transeunti insidiæ tenderentur. Qui cum Regem convenisset, novis acceptis mandatis, Pœninis superatis Alpibus, in Taurinos descenderat, ut inde Venetias accedens, Reipublicæ triremibus in Epirum adveheretur. Is cum Cæsare Fulgosio itineris socio duobus navigiis secundo Pado delatus, navigatione ab Hispanis in insidiis excubantibus cognita, cum ad Ticini ostium pervenissent, ab armatis repente prodeuntibus circumventi, capti, interfectique sunt. Ab eo crudeli, atque atroci facinore Alphonsus Vastius incredibili invidia deflagravit, quod, jure gentium violato, inducias inter Reges pactas dissipasset, quamvis ille eam nefariæ culpæ notam diluere conaretur. Ea re mirum in modum Rex excanduit, immerentem a Cæsare gravissima se contumelia affectum; pacis insidioso nomine deceptum, jura amicitiæ, ac necessitudinis per summum scelus abrupta; injuriam non ferendam, apud Principes conquestus. Sed interfecto Rinconio, Franciscus, ut institutam legationem prosequeretur, Antonium Polinum, solerti ingenio virum, ad Suleimanum legatum mittere decrevit. Is Venetias veniens Senatui ex Regis mandato justas, quibus in Cæsarem inflammaretur, iras exposuit; aucto-

*Antonius Rinconius & Cæsar Fulgosius ab Hispanis interfecti.*

*Antonius Polinus a Galliæ Rege loco Rinconii Byzantium mittitur.*

ctoritatem, atque operam ſicui Reipublicæ uſui eſſe poſſet, obtulit: inde Veneta triremi Adriatico ſinu Epidamnum uſque enavigato, tranſverſo itinere per Illyricos in Mœſiam ad Suleimanum Buda revertentem pervenit. 1541

*Ratiſpona comitia a Cæſare habita.*

Interea Cæſar, dum bello Pannonia conflagraret, Ratiſponæ comitiis habitis, in quibus multis, quæ ad religionem attinebant, agitatis, nihil definitum fuerat, ſe ad iter in Italiam comparabat, fama per omnium ora ſeſe ferente, Africanam illum expeditionem meditari, atque ad expugnandum Algerium, Juliam Cæſaream olim dictum, infame piratarum domicilium, ex quo infeſta continenter Hiſpanis maria redderentur, profecturum; non ſine multorum admiratione, quod Pannoniæ regnum, validiſſimum totius Germaniæ propugnaculum, deſereret; fratrem, undique Turcicis armis circumſeptum, ingenti periculo cum ferociſſima gente dimicantem negligeret; Auſtriacæ domus dignitatem, atque Imperium parvifaceret, ut inde cuncta jam auſuris in chriſtianæ reipublicæ perniciem barbaris nullus ſatis munitus, ac tutus aditus videretur, atque inter ſe acriter dimicantibus Regibus, ad augendam communis hoſtis potentiam novis incrementis firmiora præſidia adjungerentur. Cæſar itaque, Ratiſponenſibus comitiis dimiſſis, in Italiam magnis itineribus contendit, in Africam cum claſſe, & exercitu trajecturus; neque ab ea expeditione vel Ferdinandi fratris periculo; vel ſuorum ducum conſiliis, qui autumni tempeſtates, procelloſum mare, aridum, ac deſertum ſolum oculis objicerent, deterrebatur. Atque ut quammaxime poſſet adverſus hoſtem tutus, & firmus evaderet, Venetos ſibi novo fœdere adjungere, ut Italiam a barbarorum metu ſolveret, nitebatur; in id Ferdinando fratre, Pontifice, atque aliis Principibus conſenſuris. Senatum, ne novis ſe ſocietatibus implicaret, quæ nuper acciderant, permovebant; & eo magis, quod Pontifex averſus eſſe videretur, vel difficilem rei exitum inveterata prudentia proſpiciens, vel ne in nova ineunda ſocietate Aſcanium Columnam, quem nuper uti Sedis Apoſtolicæ hoſtem ſuis ditionibus exuerat, in gratiam recipere, atque adempta, uti de Cæſare optime merito, Italicæque factionis Principi, reſtituere cogeretur. Huc accedebat, quod Regum neutri favendo, in ſpem adducebatur, fore,

*Cæſaris in Italiam adventus & ad expeditionem Africanam præparatio.*

*Cæſar Venetos novo fœdere ſibi adjungere nititur.*

*Aſcanius Columna Apoſtolicæ Sedis hoſtis declaratus.*

1541

*Pauli Pontificis spes de Insubribus pro Octavio nepote adipiscendis. Veneti legati Cæsarem in Reipublicæ fines recipiunt.*

re, ut Insubres Octavio Farnesio nepoti, donec certis conditionibus Reges pacifcerentur, pensione constituta, traderentur; qua in re Venetorum sibi auxilium, atque opem pollicebatur. Cæsari Tridentinis in Alpibus Octavius Farnesius gener cum insigni comitatu obvius fuit. Legationem Senatus decrevit, legati quatuor designati, Joannes Antonius Venerius, Nicolaus Theupolus, Marcus Antonius Contarenus, Vincentius Grimanus divi Marci procurator: ad Veronensium fines summis honoribus venientem excepere; gratuitos commeatus, ac munera Senatus nomine præbuere; biduum per Venetas ditiones comitati. Nam a Pischeria, Reipublicæ oppido, Mantuanorum fines ingressus, Mediolanum, inde Genuam contendit; mox Lucæ Pontificem sextili mense convenit. Ibi aliquantisper commoratus, Moninii Regis legati de Rincone, & Fulgosio interfectis querelas audivit; ac licet, omni spe cum Gallo pacis abjecta, nullis neque rationibus, neque precibus, ne in Africam trajiceret, adduci potuit.

*Pauli & Cæsaris conventus Lucæ habitus.*

Itaque in annum sequentem Concilio rejecto, cum Italicis cohortibus, ac sex Germanorum millibus, quibus per Reipublicæ fines transeundi a Senatu facultas permissa fuerat, in onerarias naves distributis, cum trigintaquinque triremibus e portu Lunensi solvit. Ubi in Africam ventum est; e navi milites in litus exponit: omnia ad urbem oppugnandam egregie instruit; dum tormenta expectantur, repente imber tota nocte in exercitum effusus, sævissima tempestate classis mire jactata est: Mauri equites, ac Turcæ magno impetu in Cæsareanos irruunt; novæ atque insuetæ militiæ genere opera disturbant; denuo immanissima procella oborta, cum in anchoris naves ventorum vi consistere non possent, complures collisæ, & confractæ demerguntur; aliæ ad litora impactæ periere. Cæsar cum tot difficultatibus premeretur, multis navigiis amissis, classe quassata, ab Africæ litoribus in Hispaniam regredi compulsus est; magni animi, atque imperterriti laudem consequutus, quod tot undique periculis septus, adversæ, ac minantis fortunæ faciem non exhorruerit, sed vultus æquabilitate, & constantia infracti pectoris robur præsetulerit. Insignes in ea expeditione viri complures, gravitate cæli, atque aliis confecti incommodis, obiere, quos infausta militia, aut rerum novarum visendi

*Cæsar ad Algerium cum classe appulit. Cæsareani imbribus & tempestate jactati.*

*Cæsaris in Hispaniam reditus.*

sendi

ſendi cupido attraxerat . Marinus Juſtinianus, Reipublicæ legatus, qui Cæſarem in Africam ſequutus fuerat, fato conceſſit; Nicolaus Pontius, Doctor, qui tum Utini magiſtratum gerebat, ſuffectus eſt. Veneti interea ſuperiori bello perculſi, quæ Turcarum animis ſuſpicionem incutere poſſent, ea ſibi, ne illorum arma in ſe provocarent, ſedulo vitanda ducebant. Hinc, ne Vicetiæ Concilium haberetur, quod antea decretum fuerat, Senatus cenſuit, ne in Veneta urbe tot Principibus, ac proceribus coactis, ad fœdus in illos ſanciendum incitare, faceſque ad ſacrum bellum admovere videretur: cum per eos dies illud quoque accidiſſet, ut duæ roſtratæ triremes e Numidia Byzantium contendentes, Veneta conſpecta claſſe, ſe fugæ dediſſent; præfectus piraticas eſſe ſuſpicatus, Turcis fere omnibus interfectis, Chriſtianis ad tranſtra ablegatis libertate reſtituta, in ſuam poteſtatam redegiſſet: qua ex re Chariadenus magnopere iratus vindictam minabatur. Patres factum jure tuebantur, reque varie agitata, cunctatione, officiis, pecunia ex pacis conditionibus, qua illata detrimenta ſarcirentur, adhibita, diſcuſſa moleſtia eſt.

*1541*

*Marini Juſtiniani, ad Cæſarē oratoris, obitus.*

*Nicolaus Pontius ad Cæſarem orator.*

*Senatus, ne Concilium Vicetiæ haberetur, decernit.*

*Triremes Numidicæ a Veneta claſſe captæ.*

## M. D. XXXXII.

*1542*

POlinus interea cum Byzantium perveniſſet, ut claſſem, Chariadeno duce, ad oram Provinciæ, Galliæ portubus excipiendam, ineunte æſtate mitteret, a Suleimano petebat, Venetoſque, ut Galliarum Regi novo fœdere ſe adjungerent, & ſocia in Cæſarem arma verterent, adhortaretur. Janusbejum, ſæpe antea legationis ad Venetos munere perfunctum, firmandæ pacis cauſa ad Senatum Suleimanus deſignaverat, cui in mandatis dederat, ut nihil amplius a Patribus poſtularet, quam, ut amicitiam, quæ illis cum Gallorum gente intercedebat, novis officiis, ac propenſiore ſtudio exultam augerent. Janusbejus Venetias delatus, publica æde exceptus, ac honorifice habitus, ſui Regis mandata Senatui exponit. Renovati fœderis conditiones, uti publico nomine Baduarius pepigerat, jurejurando interpoſito, de more Princeps, ac Senatus confirmant: quod ad Gallos attinet, pacem, atque amicitiam cum Rege colere: verum ad ea deſcendere, quibus ad bellum traheretur, Rempublicam nolle.

*Polinus, ut Suleimanus claſſem ad Provinciæ oras mitteret, petit.*

*Janusbejus a Suleimano Venetias ob pacis confirmationem mittitur.*

Po-

1542 *Polini oratio apud Venetos habita.*

Polinus, qui summa celeritate in Gallias redierat, atque ad Bellaqueum fontem Regem conveniens, de inferendis armis secum egerat, eadem festinatione Byzantium reverti jussus, Venetias cum accessisset, & una cum Mompolerio Episcopo, Regis ordinario legato, Collegii Patres coram Decemvirum præsidibus adiisset, Francisci Regis causam graviter, ac luculenter egit. Quæ nuper a Cæsare, atque a Rege acta sint, uti sinceros rerum judices decet, intuentes, dignoscere haud difficulter posse, utri illorum chistianæ reipublicæ incolumitas, ac dignitas cordi sit, uterve minime contectis, atque adumbratis consiliis ad veram, ac solidam gloriam niteretur: Regem armatum, victoriæ haud ambiguum fructum, dum per Subalpinos, nullo obsistente, decurreret, Pontificis suasionibus adductum, sibi intercepisse; Cæsarem, justæ pacis legibus rejectis, ditiones Gallicas bello petiisse, per mediam Galliam in Belgium proficiscentem summis honoribus exceptum, spe de tradendis Insubribus injecta, decepisse: Regem Gandavenses a Cæsare desciscentes, atque suam opem implorantes rejecisse, nihil, quod ad suam in eum benevolentiam declarandam attineret, unquam prætermissum; Cæsarem contra pollicitis non stare, implacabili odio sævientem, jure gentium, quod apud barbaros quoque sanctum haberetur, violato, suos legatos per insidias, ac dolos adversus pactas inducias interfici jussisse: qua ille in cunctos mente sit, testari Cisalpinæ Galliæ urbes militari licentia crudeliter direptas, atque immanibus tributis exhaustas; Hetruriæ occupatas arces; Senenses civili dissensione laborantes in servitutem adductos; Lucenses pecunia quotannis Rempublicam redimentes; Siciliæ, atque Neapolis opulentissima regna fortunis omnibus exuta: ipsam adeo Venetam Rempublicam illius fidei documento esse, quæ ejus artibus perniciosо implicata bello prope discrimen rerum suarum subiverit. Secum igitur reputarent, utrum amicum, ac fœderatum Reipublicæ adsciscerent: an eum, qui fuco, ac fallaciis dissimulanter cunctis prægrave jugum imponere niteretur; an qui potius vera virtute, atque animi magnitudine cum eximiis Regibus præclara æmulatione certaret: illumne, qui in Italia, Neapolitano regno, & Insubribus occupatis, nullo sibi obsistente,leges dicturus esset; an qui nullum labo-

laborum præmium exposceret, amplam, ac florentem Rempublicam vellet, illiusque imperium extendi, ac proferri cuperet? Regem pro vindicandis injuriis adversus Cæsarem bellum parare; Venetos veteres socios, Gallicique nominis amicos orare, ut præsto sibi esse vellent, egregiæ victoriæ præmia laturos; vires Regi vel proprias, vel externas non deesse; milite, equite, pecunia esse Gallias refertas; Suleimanum socia arma adjuncturum, qui recentibus lacessitus injuriis, terrestribus copiis in Pannoniam profecturus, Chariadenum cum præpotenti classe eodem tempore adversus Cæsarem missurus esset. Certius ex iis, quæ Janusbejus Suleimani nomine detulerat, ea intelligi posse: prudentiæ Senatus esse, præclaram occasionem oblatam non negligere, amico Regi non deesse, Suleimano petenti quod e Republica futurum sit, gratificari: jam tum quid inter Cæsaris suspectam, ac fluxam amicitiam, & Regis nulla unquam commodorum spe labefactandam societatem intersit, perspecturum. Ad hæc Senatus graviter respondit; amicitiam Galliarum Regis, quem mirifice coleret, Reipublicæ pergratam esse, constanter, ac summa cum fide in ea perseveraturam: eandem cum Cæsare, atque aliis Principibus servare, nec quidquam, quod pacem nuper partam interturbaret, aggredi velle; multa difficillimis illis temporibus incommoda perpessam, quæ pristino tranquillitatis otio, vel sero etiam sarciri possint.

1542

*Senatus responsum.*

Eo audito Senatusconsulto, Polinus Reipublicæ triremibus Epidamnum devectus, inde magnis itineribus Byzantium contendit; ibi cuncta ea spe, qua omnia expedita, ac prompta sibi pollicebatur, duriora, & difficiliora invenit; sive quod serius quam oportuerat, Suleimanum adiisset, temporis ad navigandum idonei tribus jam mensibus elapsis; sive quod Turcarum Rex in Pannonicum bellum intentus, ad id nervos imperii, omniumque apparatuum pondus adhiberet. Dum hæc geruntur, Franciscus Rex bellum adversus Cæsarem moturus, rebus omnibus comparatis, diversis e locis illum aggreditur. Henricum filium Delphinum citeriorem Hispaniam a Pireneis montibus, ac Perpinianum Gallorum olim oppidum, quod a Carolo in Italiam veniente, Ferdinando Aragonum Regi traditum fuerat, adoriri jubet: Carolum vero Aurelianum Du-

*Polinus iterum Byzantium proficiscitur.*

*Francisci Regis mandata ad Henricum filium, ut Hispanias invaderet.*

1542 cem in Lucemburgenses, ac Sequanos impetum facere: Vindocinensem Principem in Atrebates, ac Morinos cum alio exercitu mittit. Henricus, frustra Perpiniano tentato, cum militum præsidio, ac munitione tutum ægre expugnari posse animadverteret, re infecta, discedit. Carolus aliquot Lucemburgi oppida occupat, agros fœde diripit, ac vastat. Verum uno dempto Ivosio, omnia a Cæsareanis recuperantur. Vindocinensis aliquot in Atrebatibus, ac Morinis castella capit. Neque in Subalpinis Galli, Gulielmo Langeo duce, quievere. In Gallia quoque Cisalpina occulto varia agitata, ut per insidias oppidum aliquod in ea provincia Cæsari eriperetur, cum Gallicæ in iis ditionibus factionis princeps Petrus Strozzius quam maximam posset militum manum colligeret, ac quotidie aliquid novi moliretur, ut ad Venetos quoque ea mali tabes pervenerit.

*Carolus Aurelianus Dux a Rege in Lucemburgenses & Sequanos missus.*

*Galli Atrebates invadunt.*

Nam Maranum, Forijulii oppidum Veneta æstuaria attingens, quod Ferdinandi Romanorum Regis ditionis erat, Beltrandus Sacchia Utinensis, Turchetto centurione Brixiense socio, astu furtim occupavit. Mercatores enim ementiti, quo res facilius perfici posset, ad merces, quæ parvo navigio veherentur, servandas conduxere apothecas; eo accedente, portuque angusto excepto, statim sexaginta, qui armati contegebantur, prodiere; oppidi porta, ac maritima mole insessa, Germanis circiter triginta cum eorum præfecto ejectis, nulla oppidanis injuria, aut damno allato, in suam potestatem redegere. Mox sublato Gallico vexillo, Petrum Strozzium, Florentinorum exulum ducem, evocarunt: is, in Venetorum ditionibus tumultuaria militum collecta manu, in oppidum introductus, Galliarum Regis nomine se Maranum tenere professus est. Moleste tulerat Senatus tam propinquas urbi, haud difficulter in bellum, ni compescerentur, exarsuras, faces admotas esse: ne in Ferdinandi animo de illius voluntate suspicio oboriretur, quod ea res per Reipublicæ subjectos homines patrata foret; ægre ferebat, Gallos sedem eo in loco sibi constituisse, ex qua & finitimas regiones excurrerent, & virium incrementa sumerent, æquo animo pati non poterat. Huc accedebat, quod ab iis aperte vulgaretur, Venetis Regis amicitiam, & societatem abnuentibus, ut oppidum rursus in

*Maranum a Beltrando Sacchia occupatum.*

*Petrus Strozzius Maranum ingreditur.*

Fer-

Ferdinandi potestatem concederet, minime passuros, sed potius Turcæ tradituros, quo barbarorum classibus illic tutus receptus esset. 1542

*Senatus decretum in eos, qui subsidia Maranensibus ferrēt.*

Nihil vero molestius, ac perniciosius Venetis contingere poterat; quam e Venetiarum prope portubus, a quibus Maranum octoginta tantum passuum millia distat, barbaram gentem cum classe cernere, quæ prædonibus admista, navigationum cursus interciperet, atque Adriaticum sinum non modo Venetorum, sed totius reipublicæ christianæ incommodo, ac detrimento infestum haberet. Itaque ne malum latius serperet, gravissimis indictis pœnis, sanxit Senatus, ne quis Venetarum ditionum oppidum ingrederetur, neu commeatus, aut subsidia importaret. Beltrandi patrem, atque uxorem custodiæ publicæ tradi jussit, ut hoc veluti pignore a perditis, & exitialibus consiliis revocaretur. Oppidanis haud exigua cum illorum utilitate rationem aliquam concordiæ iniri posse spem injecit, ne Ferdinandi apparatu deterriti barbaros introducerent. Atque cum per eos dies Ferdinandus Tridentinum Episcopum, qui navigia, ac milites ad Maranum recuperandum peteret, ad Senatum misisset, responsum est, oppidum ab eo recipi Senatum cupere; in id commeatus, atque iter per Reipublicæ fines ejus militi daturum; sperare absque armis ea de re decerni posse. Gallico vero oratori consilium a Senatu Francisci nomine petenti, neque de oppido, nisi eo consulto, Regem quidquam statuere velle affirmanti, Senatus dicendum censuit: eximiam Regis prudentiam alienis monitis non egere; verumtamen id consilium, quo publica pax, & quies servaretur, probaturum. Dum hæc fiunt, Germani præfecti uxor ad virum captivitate redimendum, ut pecuniam conquireret, profecta est. Beltrando cum illa egresso, qui Maranum occupaverant, oppidi aditum intercludunt, atque ad Lignani portum (abest is quindecim passuum millibus) munitionem erigere contendunt, quo sese recipere, ac prædas convehere tuto possent. Rem indigne Senatus ferens eo statim Bernardum Sagredum ad opera demolienda misit, qui una cum Philippo Bragadeno, & militum manu, cui armorum ductor Julius ex Monte veteri imperabat, profectus, fabris, atque opificibus in fugam versis, tormentis munitiones disjecit, ac solo æquavit;

*Ferdinandus Rex Tridentinū Episcopum Venetias mittit.*

*Maranensis munitio a Sagredo & Bragadeno disjecta.*

1542 vit; & ne institutum rursus opus aggrederentur, alio materiam convehi jussit. Ferdinandus, nonnullis instructis triremibus, oppidi maritimam expugnationem instituere decreverat. Rex Galliarum ea de re certior factus, maritimis viribus opem Maranensibus ferre statuit. Senatus, ne prope in conspectu civitatis arma miscerentur, atque ut aliorum Principum classes ab Adriatico sinu averteret, nitebatur; idque non minus apud Reges officiis, quam animi constantia nihil Reipublicæ rationibus adversum passurus, obtinuit. Interea inter Regem, ac Ferdinandum de componendis controversiis irrito eventu actum est. Eodem tempore cum Venetis de finium difficultatibus tollendis Ferdinandus agebat, duobus legatis ad Rempublicam missis, qui Tridenti superioribus annis pacta perficienda curarent. Negotium id Francisco Contareno, & Francisco Sanuto a Senatu commissum est, Cæsaris legato uti amico ea in re operam navante. Jamque ad calcem ventum fuerat, nisi Neocastrum, ac Belgradum, Forijulii oppida, quæ ab Austriacis Cæsaribus Saxonum Ducibus oppignerata fuerant, obstitissent; quo effectum est, ut nihilo feliciori eventu, quam alias acciderat, res cesserit.

*Franciscus Contarenus, & Franciscus Sanutus legati ad finium controversias cum Ferdinando tollendas.*

Sub id quoque tempus sceleratorum civium proditio detecta est, qui superiori bello cum Senatus, ac Decemvirum arcana nefarie detexissent, ingentis Reipublicæ cladis auctores fuerant: patefactis namque Baduarii mandatis, ut Nauplium, & Epidaurum in Turcarum potestatem concederent, effecerant. Quæ res cunctorum animis ita infixa erat, ut maledictis Baduarius laceraretur, quod iniquis adeo conditionibus pacem mercatus esset, omnesque ingenti in eundem odio ferebantur, atque acerbius accusabant. Is vero ut se universæ civitatis invidiæ subtraheret, enixe laborabat, cum palam dictitaret, detecta a patriæ hostibus secretiora Decemvirum consilia, proditam Rempublicam fuisse. Tandem a Hieronymo Martelossio, Veronensi, crimen ad Decemvirum principes delatum est. Is Augustini Abundii uxoris amore captus, cum ad ejus sæpe domum ventitaret, forte quibusdam schedis Nicolai Cavacii, Senatus scribæ, in secretiori cubiculo inventis, cum nonnulla Rempublicam attingentia in iis animadvertisset, ad Decemvirum præsides retulit. Ea ratione proditio

*Proditio de Nauplio & Epidauro Turcis tradendis a Hieronymo Martelossio detecta.*

1542

*Constantinus Cavacius & alii sontes proditionis.*

ditio in apertum prodiit, in qua fuere Constantinus, & Nicolaus Cavacii, alter Decemvirum, alter Senatus scriba; Maphæus Leonius, qui triumvir rerum capitalium fuerat, ac tunc Sapientis continentis magistratum gerebat; Augustinus Abundius; ac Joannes Franciscus Valerius nothus: hi omnes pecunia Galliarum Regis, & muneribus corrupti erant: Cavacii, ac Leonius, annua mercede accepta, Abundio, & Valerio ministris adhibitis, graviora decreta Regi aperiebant.

*Nicolaus Cavacius & alii proditores in ædes Galliæ oratoris se recipiunt.*

Nicolaus Cavacius, Augustinus Abundius, ac Joannes Franciscus Valerius, re paulo ante cognita, ad ædes Mompolerii Episcopi, Gallici oratoris, sese recepere. Id cum ad Decemviros pervenisset, apparitores, ac ministros misere, qui supremi magistratus jussu eos extraherent. Obstitit legatus, visque a suis illata est, neque reos, quod tutum singulis ad illius domum jure gentium perfugium diceret, abduci permisit.

*Bernardus Georgius ab oratore Galliæ proditores postulat.*

Tum Bernardus Georgius, unus ex Triumviris Advocatoribus, eo Decemvirum jussu accessit, qui licet amplissimi magistratus dignitatem, atque auctoritatem præseferret, sontes, ut sibi traderentur, impetrare non potuit; Gallis ex legati comitatu Triumviri auctoritatem spernentibus, ac vim parantibus. Tam insigni audacia vehementer commota civitate, triremis cum duobus muralibus tormentis ex adverso legati ædium dirigitur, armatis forum impletur, ad Mompolerii domum in divi Moysis vico sitam accurritur; minis undique, ac probris circumstrepentibus, fremens turba advolat. Vincentius quoque Grimanus, divi Marci Procurator, fabrorum navalium multitudine septus accedit; cunctorum animi ira incredibili aguntur. Vis, ni rei producerentur, in promptu erat. Tum legatus se obsistere non posse animadvertens, atque impetum furentis populi veritus, sontes Triumviro tradi jubet. Ii statim severæ quæstioni subjiciuntur, crimen fassi, dum acriter, ut socios sceleris detegerent, torquerentur, Maphæum Leonium, & Constantinum Cavacium nominarunt, a quibus Senatus, Decemvirumque arcana edocti, occultioribus notis, internuntiisque Gallorum Regi significabant.

*Proditores a Galliæ oratore traditi meritas pœnas luunt.*

Decemvirum decreto Nicolaus Cavacius, Augustinus Abundius, & Joannes Franciscus Valerius geminas inter columnas meritæ necis pœnas laqueo suspensi dedere; Maphæus Leonius, & Constantinus Cava-

1542 cius absentes totius imperii cum terrestris, tum maritimi perpetuo exilio damnati, ut mille aurei in singulorum capita percussoribus ex ære publico penderentur, decretum. Leonii liberis, posterisque patricius ordo, ac nobilitatis jura adempta: bona in publicum redacta. De iis, quæ postea Cavacio acciderint, nihil compertum est. Leonius in Gallias profectus, ob immane scelus cunctis invisus, inopia, atque egestate confectus interiit. Cæsaris Fulgosii, in Pado flumine interfecti, quod is quoque ad Gallos cuncta perferret, bona fisco fuerunt addicta. Alexandro fratri gravioris armaturæ præfectura, publicumque stipendium ademptum.

*Cæsaris Fulgosii bona fisco adjudicantur.*

M. D. XXXXIII.

1543 SEquentem annum, qui fuit humanæ reparationis M. D. XLIII. ingentes bellorum motus excepere; nam & Byzantii Suleimanus cum terrestres, tum maritimas copias sedulo instruendas curabat, quibus Pannoniæ regnum adoriretur, & sæpius Gallis pollicitam classem adversus Cæsarem emitteret, quam centum ac triginta varii generis navigiis constare, Chariadeno, acerrimo christiani nominis hoste, duce, fama vulgaverat. Franciscus vero Rex undique non modo ex Gallis, atque Helvetiorum gente magnis illecta præmiis, exercitum comparat; sed Menapiorum Ducem, qui antea a Cæsare defecerat, pecunia, ac milite confirmat; Belgium imparatum aggreditur; passim incendiis, & vastationibus diripit. Cæsar iter in Italiam moliebatur, inde in Belgium profecturus, ut, Germaniæ coactis viribus, quas ultro illi Principes, ac liberæ civitates obtulerant, adversus Franciscum bellum gereret, Menapiorumque Ducis elatos spiritus frangeret. Quoniam vero nulla magis arma Gallis aut gravia, aut formidolosa, quam Britannica existimabat, unde superioribus tempestatibus ingentes clades, ac damna Gallicæ genti illata fuerant, veterum simultatum, quas cum Henrico Angliæ Rege, ob materteram Catharinam repudiatam, acerbissime exercuerat, oblitus, fœdus cum illo adversus Gallos paciscitur; nequaquam deterritus, quod Angliæ Rex a catholica Ecclesia desciscens, gravissimo anathemate perculsus esset: hoc facto prætexens, quod

*Cæsar cum Angliæ Rege fœdus contra Gallos init.*

Gallia-

Galliarum Rege Turcas evocante, sibi minime noxæ adscribi deberet, quod pro rebus suis tuendis Regi, si non Catholico, Christiano saltem jungeretur. Jamque Henricus cum vetere in Gallos odio, tum recentibus finium controversiis incensus, ab Anglia Caletum copias transmittere cœperat, quo ad Caroli adventum arma in Galliam inferret. 1543

*Henricus Angliæ Rex copias Caletum mittit.*

Pontifex variis curis, & cogitationibus distractus, multa animo agitare; Cæsaris potentiam Germanicis viribus, Angli copiis auctam suspectam habere; cum præsertim Granvelanum in Germaniam misisset, atque, ut in ea provincia Concilium haberetur, summopere contendisset, in quo de Romana curia ordinanda in Germanorum gratiam ageretur; qui cum a majorum cultu, atque ab avita religione discessissent, odio in Romanos Pontifices acti, eorum majestatem, & auctoritatem deprimere nitebantur. Nonnunquam vehementer de Carolo conqueri, quod fœdus cum Anglorum Rege, qui ab Ecclesia Romana defecerat, pepigisset, in quem ut anathematis spiculum intorqueret, Clementi auctor fuerat. Ea spe quoque dejectus videbatur, qua Cæsarem Mediolanense imperium Octavio Farnesio nepoti, illius genero, traditurum sibi pollicitus fuerat. His fiebat, ut a Gallo solicitatus, qui Cæsaris cum Anglo amicitiam detestabatur, Venetis nova fœdera, & societates ad mutuam securitatem, atque incolumitatem tuendam offerret, eo consilio, ut illos arctiori nexu cum Galliarum Rege conjungeret, quo communibus viribus Cæsari obsisteretur. Verum Senatus ab iis consiliis abhorrebat, quibus diuturno, atque inutili bello implicaretur; eamque Reipublicæ recte gubernandæ rationem arbitrabatur, si medium inter summos Principes se gereret; cum utrisque amicitiam coleret; & præteritis tum terrestribus, tum maritimis bellis defessam Rempublicam tranquillitate, ac pace foveret, atque corroboraret. Quibus accedebat, quod Suleimanus eodem tempore classem, exercitumque compararet; neque Turcarum promissis, licet nihil paci adversum facturos prædicarent, idemque Polinus, Regis orator, affirmaret, præteritis successibus edocti, satis fidendum existimabant. Itaque maritimas opes undique contrahere; classem augere, quæ tunc triginta triremium numerum non excederet, Senatus decrevit; adornari, atque in-

*Veneti fœdus a Pontifice oblatum renuunt.*

1543

*Stephanus Theupolus classis imperator.*

*Paulus Justinianus & Alexander Bondimerius classis legati.*

ſtrui in Illyrico, & in Creta inſula alias juſſit, ut univerſæ ſimul ſexaginta eſſent. Imperator Stephanus Theupolus, vir multis, iiſdemque egregiis pro Republica rebus geſtis clarus, majoribus comitiis creatur; totius oræ maritimæ, atque inſularum cuſtodia injungitur, ne quid res, aut Reipublicæ ſubditi detrimenti patiantur, provideat; Jaderæ Paulum Juſtinianum, claſſis legatum, cum triremium manu adventantem, præſtoletur, atque intra ſinum Adriaticum ſe contineat. Alexander Bondimerius, alter legatus, Corcyræ cum quindecim ſelectis triremibus ſubſiſtere, atque ab iis ſe abſtinere, quibus in Turcarum animis ſuſpicio oboriri poſſet, juſſus eſt.

*Chariadenus Brutiorum fines depopulatur, Rhegium occupat.*

Dum hæc aguntur Turcarum claſſis centum ac viginti triremium, biremiumque quadraginta ſub Chariadeni imperio Helleſponto egreditur; in ea Polinus Regis legatus erat. Eubœæ per aliquot dies commorata, remige, milite augetur, commeatibus inſtruitur. Inde ad Meſſanæ fretum contendens, in Brutiorum litoribus milite expoſito, prædas agit; cuncta vaſtat; Rhegium occupat, diripit, in ſervitutem Hiſpanos milites nonnullos, & multo plures Rhegii cives abducit. Mox cum Oſtiam perveniſſet, ut aquatione longe optima, quod eo in loco Tyberis amnis mari ſe inſinuat, uteretur; cum illius rei nuntius Romam perveniſſet, ingens adeo terror omnium animos occupavit, ut incondita, & conſternata plebs metu ſeſe ex urbe in vicina loca proriperet. Verum Polini literis, quibus hoſtile nihil Turcicam claſſem edituram ſignificabat, urbs eo metu ſoluta eſt. Inde Hetruſca, & Liguſtica litora legens, recta in Provinciam contendens, in Tholoni portum ſeſe claſſis intulit: deinde a regia, quæ quatuor & viginti triremibus conſtabat, Maſſiliam deducta eſt: urbem Chariadenus, exquiſitis honoribus, ac pompa exceptus, ingreditur. Polinus ſtatim ad Regem contendit, ut illi mandata Aheneobarbi deferret, quem omnia ex ejus præſcripto gerere Suleimanus juſſerat. Is quamcelerrime Franciſci decretum retulit, quo aggredi Niceam, atque terra, marique oppugnari mandavit, quam urbem ejus majores belli neceſſitate, ac pecuniæ inopia coacti Sabaudiæ Duci oppignerati fuerant. Claſſem ſuper triremes decem, & octo onerariarum navium, ſex circiter peditum millibus, atque commeatu apprime inſtructam, Anghiano,

*Romanorũ terror ob Turcicam claſſem.*

*Chariadenus Tholoni portum ingreſſus Maſſiliam proficiſcitur.*

*Franciſci Regis mandato claſſis Niceam aggreditur.*

no, ſtirpis e Borbonia familia regiæ, germano Vindocini Ducis fratre, præfecto, Turcicæ adjunxit. Univerſa claſſis Maſſilia ſolvens, ad Monici portum devehitur; inde Niceam admota, expoſitis tormentis, ac militibus, oppugnatio inſtruitur. Tormentorum vi vehementiſſime mœnia verberantur; jamque ingentes editæ ruinæ aditum militibus aperuerant, cum repente oppidani perterrefacti, iiſdem legibus, quibus hactenus ſub imperio Sabaudi fuiſſent, Regi ſe dedidere; ne urbs diriperetur, Polinus vetuit. Mox ad arcem oppugnandam cuncta præparantur: ſed cum Vaſtium magnis copiis per maritimas Alpes iter facientem ad opem arcis propugnatoribus ferendam accedere nuntiaretur, ſoluta obſidione, Chariadenus Maſſiliam reverſus eſt, hyberna iis in locis habiturus, quo inſequentis veris initio expeditior ad bellum eſſet, & maria infeſta Cæſareanis redderet.

*1543*

*Nicea urbis deditio, & arcis oppugnatio.*

*Chariadenus arcis obſidionem ſolvit.*

Inter hæc Cæſar ex Hiſpania in Italiam navigaturus, Philippo filio, ætatis annum ſextumdecimum agente, Hiſpaniæ Rege pronunciato, atque totius regni civitatibus, ac proceribus jurejurando obſtrictis, Barchinonem proficiſcitur. Ibi Andream Auriam cum quadraginta triremibus reperit, Hiſpano milite onerarias naves juſſo conſcendere, Genuam devehitur. Qui illum per Reipublicæ fines in Germaniam tranſeuntem publico nomine exciperent, & comitarentur, quatuor legati honoris, officiique cauſa deſignati fuere, Carolus Maurocenus procurator, Gabriel Venerius, Ludovicus Falerius, Victor Grimanus. Pontifex Cæſaris in Italiam adventu nova ſpe erectus, ut Bononiam antequam in Germaniam proficiſceretur, illum Carolus conveniret, vehementer optabat; perhonorificum ſibi fore ratus, ſi ad eum inviſendum ad urbem accederet, in qua bis Clementem fuerat alloquutus, ubi & de chriſtiana republica privatiſque ſuis rebus ageretur. Suſcepti vero itineris ratione Senatui communicata, ut graviſſimis, ac difficillimis temporibus afflictam, & perturbatam chriſtianam rempublicam ſublevaret, ingraveſcente, atque exacta jam ætate, ſe id itineris ſuſcepiſſe ajebat; cum id in primis ſui muneris, pontificiæque auctoritatis eſſe duceret; Cæſarem ad colloquium invitare, ad pacem cum Chriſtianis Principibus adhor-

*Cæſar Philippum Hiſpaniæ Regem pronunciat.*

*Cæſar ab Auria claſſe Genuam deducitur.*

*Veneti legati ad Cæſarem.*

1543 hortari; ad bellum adversus communes hostes impellere. Verum id Pontificis animo insederat, ut Octavio Farnesio ejus nepoti Mediolani principatum Cæsaris auctoritate deferret: quæ res Italis Principibus, ac Venetis præsertim pergrata foret, quibus nimia Cæsaris potentia suspecta erat; ac Neapolitano fœdere summo studio caveri enixi fuerant, ne quisquam Austriaci stemmatis Insubrum Princeps a Cæsare diceretur. Hæ Pontificis cogitationes, quæ Cæsari notæ erant, ab eo colloquio mirum in modum illius animum abducebant: quare cum e Bononia Petrum Aloysium filium, atque Alexandrum Farnesium nepotem, prima juventa in Cardinalium Collegium cooptatum, ad Cæsarem Genuam misisset, ut colloquio dies, ac locus diceretur, prædurum, atque abhorrentem offenderunt, quod sibi in Germaniam properanti cunctatione tempus terendum non esse diceret. Sed nihil eo deterritus Pontifex, cum a Cæsare, ut Bononiam se conferret, impetrare non posset, tandem ut Buxetum, Pallavicinæ familiæ oppidum, Parmam inter atque Placentiam situm, ad colloquium deligeretur, convenere. Sed tamen nihil, quod ad pacem publicam pertineret, Pontifex obtinere potuit, cum Cæsar, in Menapiorum Ducem concitato animo exardescens, ad vindictam vehementi impetu contenderet; neque Francisci Regis, a quo toties, ruptis fœderibus, deceptus esset, promissis unquam fidem habiturum se diceret. Neque vero ea, quæ de Mediolanensi imperio ad Farnesiæ familiæ incrementum, ac decus Pontifex mente conceperat, feliciorem exitum habuere; nihil ea in re, nisi de Imperii procerum sententia statui posse Cæsare pernegante. Inde Buxeto discedens, per Venetorum fines a legatis Reipublicæ deductus, recta Tridentum perrexit; mox Ulmam, postea Spiram Germaniæ urbem proficiscitur, ab illius comitatu Daniele Bonritio Senatus scriba non discedente; cum Nicolaus Pontius, legatus, gravi morbo correptus Tridenti subsistere, moxque ad urbem regredi coactus esset, cui Bernardus Naugerius a Senatu suffectus est.

*Pauli Pontificis & Cæsaris Buxeti conventus.*

*Daniel Bōritius, Venetus a secretis, apud Cæsarem.*

*Bernardus Naugerius orator ad Cæsarem.*

Dum Cæsar in Germaniam magnis itineribus properat, Suleimanus cum ingentibus copiis Pannoniam ingressus, omnia fœdissime direptionibus, ac cædibus vastat; Valponium, mox Soclos capit; Strigonium, licet fortiter propugnatores initio resti-

*Suleimani in Pānonia progressus.*

ſtitiſſent, deditione tandem occupat; Tattam, præſidiariis ſeſe dedentibus, receptam funditus evertit; Albam civitatem, quod ibi vetuſto gentis more Reges corona inſignirentur, priſcorumque Regum ſepulchris conſpicua redderetur, regalem dictam, oppugnat, deditione in ſuam poteſtatem redigit; Pannoniæ Mahometem Jahaoglem præficit. De proſperis belli eventibus per legatos Venetos certiores facit. Stephanus Theupolus, qui in urbem rediens claſſis imperium depoſuerat, legatus a Senatu deligitur, ut vere novo Byzantium profectus, Suleimanum officii cauſa conveniret, propenſamque in ſervanda pace, atque amicitia Senatus voluntatem, ac ſtudium patefaceret. Carolus, Spiræ conventu habito, Bonnam profectus XI. kalend. ſeptembris, luſtrato exercitu, Duram Menapiorum urbem iter intendit; tormentorum horribili impetu quaſſatam, & concuſſam, per ſtrata mœnia irruente milite, magna oppidanorum, atque incolarum cæde, capit. Ea expugnata, Juliacum deſertum fere, ac vacuum offendit; poſtea Ruremundam, Sicambrorum munitam urbem, ſe ultro dedentem recipit. Ea Caroli fortuna, & felicitate Menapiorum Princeps permotus, Henrico Brunſuicenſe Principe, atque Archiepiſcopo Colonienſe enixe petentibus, cum ſupplex ab eo veniam poſtulaſſet, iis conditionibus in gratiam recipitur: ut Menapiis tantum contentus, principatu Sicambrico, comitatuque Zutphanienſi cederet; in ſuis ditionibus catholicam religionem, priſci inſtituti nihil immutato, retineret; Gallico, Danico, & Svecico fœderi renunciaret: itaque brevi inſueta felicitate Menapiorum Principem perdomuit, ſibique conciliavit, ut iis ſolutus curis, ad bellum Galliæ inferendum expeditior eſſet.

1543

*Suleimanus legatos ad Venetos mittit.*

*Stephanus Theupolus ad Byzantium orator.*

*Cæſar Menapiorum Principem in gratiam recipit.*

Dum his bellorum motibus varie terra, marique Europæ provinciæ jactarentur, in Carnis nondum diſſidiorum ſemina inter Ferdinandum, & Franciſcum ob Maranum a Strozzio occupatum extincta fuerant. Nam Gallus quadringentos pedites, Senejo Duce, atque haud exiguam equitum manum Maranenſibus ſubſidio miſerat. Ferdinandus, nonnullis Germanorum cohortibus, Joanne Baptiſta Sabello præfecto, ad Pontebam coactis, & in Carnos tranſmiſſis, in ſuis ditionibus delectum militum haberi præceperat, ut oppidum obſidione

*Maranum Gallicis præſidiis firmatum.*

*Ferdinandi Regis apparatus, ut Maranum reciperet.*

1543 ne ad deditionem compelleret: utrisque per Venetos fines transeundi a Senatu facultas permissa est. Tergesti quoque parvis nonnullis navigiis instructis, atque in Liniani portum coactis, maritima oppugnatio, atque obsidio instituebatur. Quare commotus Senatus, quod is portus Venetæ ditionis esset, neque inde oppidum oppugnari ferendum censeret, unde nuper propugnatorum opera disturbari, ac disjici jusserat, cum Cæsare, & Ferdinando agebat, ut e Liniani portu navigia amoveri præciperent; biremiumque præfectus cum apprime instructa triremi ad litora propinqua missus est, ut metus aliquis Tergestinis injiceretur.

*Petrus Strozzius Maranum Venetis offert.*

Dum hæc comparantur, Petri Strozzii nomine Joannes Franciscus Paccius Florentinus Venetias advenit, oppidum justa mercede Reipublicæ Strozzium permissurum affirmans. Si aliter Patres statuerent, eadem de re cum præpotenti Principe acturum, quem libenter oppidi potiundi opportunitatem minime prætermissurum noverat. Ea re haud parum molestiæ Senatorum animis injectum, cum jam apud omnes constaret Strozzium, cui Galliarum Rex libere veluti laborum premium Maranum permiserat, reliqua præcisa spe, Turcis ingenti christianæ reipublicæ detrimento traditurum. Quid vero acerbius, ac durius, quam in Venetarum ditionum visceribus, atque in conspectu prope ipsius urbis, barbaros inspectare; illorum navigia Adriaticum emetiri sinum, vicinisque assuefieri litoribus? His cogi Senatus videbatur, ut omnia potius, licet gravia, subiret, quam ut hoc intimo recessu excipi Turcas pateretur. Itaque Antonius Capellius, & Franciscus Contarenus, qui cum Paccio agerent, delecti fuere. Re agitata, Maranum in fidem recipitur; Strozzio quinque ac triginta aureorum millia solvuntur: is statim Reipublicæ tradidit: illius custodiæ continuo Alexander Bondimerius præficitur, qui cum peditum manu una cum Paccio intra oppidum est exceptus: incolæ sacramentum Reipublicæ dixere. Cæsari, ac Ferdinando quæ Rempublicam ad Maranum recipiendum impulissent, Bernardus Naugerius, & Marinus Caballus legati Senatus nomine significarunt: nulla tenuis admodum oppidi potiundi, ex quo nihil emolumenti ad Rempublicam perveniret, cupiditate adductum; sed ne in barbarorum po-

*Maranum a Venetis receptum.*

*Alexander Bondimerius Marano præficitur.*

potestatem concederet, minante Strozzio se Turcis traditurum, necessitate coactum consilium illud cepisse. His demulcere fratrum animos Senatus nitebatur; eaque de re postea actum est, juro ad se Marani oppidum spectare, Venetis contendentibus. 1543

Sed ea tempestate magnis adeo curis Cæsar, ac Ferdinandus, Pannonico, & Gallico bello intenti, distinebantur, ut omnes vires, & conatus ad ea conferrent; neque Venetos lacessendos ducerent, ne Galli societate ad Italiæ res novandas incitarentur, quam Cæsar quietam, bellique suspicionibus vacuam cuperet, omnem armorum impetum in Gallias effusurus. Quapropter, Gulielmo Sicambrorum Duce perdomito, in Belgium cum exercitu profectus, Angli sibi fæderati adjunctis copiis, Landresium, prius a Galliarum Rege occupatum, aggreditur. Acri obsidione cincto, Rex cum prævalido exercitu opem ferre contendit; ni id alia ratione efficere posset, prælio cum Cæsare dimicaturus. Verum annona, recentibusque militibus in oppidum illatis, silentio noctis tentoriis, atque tabernaculis relictis, Galli sese recipiunt. Cæsar de hostium discessu edoctus, illos insequitur, ex postremo agmine complures cædit, haud exigua præda ex iis, quæ Galli in itinere reliquerant, relata. Inde oppidi potiundi spe dejectus, obsidione relicta, discessit, majori nixu insequenti anno Gallias adoriturus.

*Landresium Cæsar aggreditur.*

## M. D. XXXXIIII.

FRanciscus vero, ut quammaxime posset Cæsaris conatus retunderet, bellumque a sui regni finibus averteret, copiis in Subalpinis auctis, acriori impetu arma iis locis inferebat, neque quidquam, quod ad præsentem Italiæ statum immutandum pertineret, omittebat; dum Cæsar contra, ne aliquo eventu Italiæ pax turbaretur, attentissime excubaret. Inde utrique Venetos ad novas ineundas societates alliciebant; Cæsar ad Turcarum potentiam imminuendam, ac debilitandam, in quos præcipuæ Germanorum civitates, ac Principes nuper conspiraverant, a novo fœdere minime alienos rebatur fore. Rex ingentibus pollicitationibus, & præmiis 1544

*Franciscus Rex bellum in Subalpinas ditiones infert.*

*Germani in societatem contra Turcas coeunt.*

pro-

1544 propositis, ad suas attrahere partes nitebatur: ad Spiram enim comitiis habitis, cum acerbissime accusaretur, quod Turcæ sociatis armis, illorum classe Galliæ portubus excepta, ad Christianorum cladem, atque exitium usus esset, bellum in Gallos, ac Turcas decretum fuerat: & ob id veritus Rex, ne Cæsar Britannico fœdere, Germanorumque auxiliis fultus suum regnum invaderet, illustri legatione in Italiam missa, Pontificem, ac Venetam Rempublicam ad arma adversus Cæsarem sumenda solicitare decrevit. Hippolytus Ateſtinus, Ferrariæ Cardinalis, Regis nomine Venetias accessit: is cum perhonorifice habitus fuisset, Principemque, ac Patres adiisset, ejusmodi sermonem habuit.

*Germani in Spira conventu bellum in Gallos & Turcas decernunt.*

*Hippolyti Atestini Cardinalis a Gallo Venetias missi oratio.*

*Quæ mihi vobiscum agenda sunt, attentius repetenti, secus atque in aliis accidere solet, contingere videtur: pleraque tantum sese attollunt, quantum præclara ingenia dicendo evehere potuere; hæc, ni fallor, ejusmodi sunt, ut cum nulla vi orationis egeant, per se veritatem, atque utilitatem aperte adeo præseferant, ut dicenti potius animos, ac vires addant, quam vel illius oratione splendescere, vel sermone obscurari queant. Quapropter rei gravitas, ac magnitudo haud parum virium suppeditare mihi videtur, cum ea præsertim virtus, & prudentia vestra sit, ut intima quæque humanarum actionum, & consiliorum scrutetur, penitusque introspiciat. Inde magna spe adducor, fore, ut, quæ Francisci Christianissimi Regis nomine exposuero, ea in primis sedulo, atque attente inspiciatis, cum ejusmodi sint, ut iis Reipublicæ vestræ dignitas, & utilitas, Italiæ universæ incolumitas contineatur. Utinam vero de gravissimis, ac necessariis rebus minime hoc tempore consulendum foret; satis enim mirari, ac dolere nequeo, Cæsaris vires, propagandique imperii cupiditatem serius aut cognosci, aut timeri cœpisse: non me latet, maximarum rerum initia obscura, ac tenuia admodum esse, ut hominum scientiam subterfugiant. Quibus Cæsaris potentia, ac vires tantum excreverint initiis, fortasse alios potius, quam perspectam, atque inveteratam Senatus vestri prudentiam, latere potuisset. Verum ad tantam amplitudinem procursus nescio quo fato universi fere Italiæ Principes inspexerunt, pertimuerunt, tulerunt. Atque ne altius exordiar, decimoquinto ab hinc anno Cæsar in Italiam*

*liam venit; Genuam, amplam ac præpotentem civitatem, ad maritimos apparatus valde opportunam, ad se attraxit; Clemente Pontifice sibi adjuncto, ut Mediceos ejectos, atque exules in patriam restitueret, ingentibus copiis Florentiam adortus, annua obsidione devictam Florentinorum Rempublicam labefactavit, ac potius extinxit, Hetruscorumque viribus, prout sibi libet, nullo repugnante, utitur. Francisco, Insubrum Duce, vita functo, ad Mediolanense imperium animum adjecit; atque ut vanis cunctos promissis deluderet, fœdere vobiscum icto, quo Italum Principem Insubribus daturum persancte polliceretur, adversus pacta fœdera retinet. Quid de Senensibus dicam, quorum intestinis dissidiis aditum sibi ad eam urbem in suam potestatem redigendam patefecit? Itaque Neapolitano regno Genuam, Insubres, Hetruriam adjunxit, nulloque obsistente, ad eam potentiam pervenit, quæ Italis cunctis formidolosa habetur. Quonam vasto spiritu, incredibili regnandi libidine elatus contenderet, dum victor ex Africa, Tuneto superato, reverteretur, patuisset, nisi Franciscus Galliarum Rex, generosa, ac vera animi virtute incitatus, Italiamque miseratus, Carolo, magnis in Subalpinis missis copiis, obstitisset. Qua ex re cum Galliarum regnum, Italiæ veluti firmissimum propugnaculum, oppositum animadverteret, eoque incolumi, nihil sibi de Italia subigenda sperandum sciret, omnia consilia, & vires ad Galliæ exitium conferre statuit. Inde præpotenti exercitu bis regnum illud est aggressus; modo induciarum, modo pacis specie hostium vehementiores ad bellum conatus restinguere nixus est; ut interim ea cessatione ad arma majori impetu sumenda expeditior, ac fortior evaderet; tantumque potuit, ut tandem Henricum Britanniæ Regem, & quod vix credi posset, Germanicæ ferocissimæ gentis vires sibi adsciverit, quibus innixus denuo in Galliam impetum facit; ferrum in reipublicæ christianæ viscera adigit; Italiæ firmamentum, commune omnium, qui illius potentiam perhorrescunt, præsidium quatit. At vos quibus hæc oculis intueri potestis? An non illud vobis persuasum est, dum Cæsar Gallias invadit, Italiæ, ac præsertim Venetæ Reipublicæ minari? Nisi forte ignoratis, Imperatores, uti sibi subjectos reliquos Principes censere, tantumque sibi potentiæ, & majestatis detrahi, quantum reliquis* 1544

*vel*

1544 *vel auctoritatis, vel imperii accesserit. Natura profecto, atque usu ita comparatum est, ut quorum summa potestas altius eminet, ii Principes liberas civitates, optimeque constitutas Respublicas magis oderint. Quo igitur animo in vos Cæsarem esse ducitis, qui potentia, & viribus reliquos Italiæ Principes adeo præcellitis; qui eam tenetis Rempublicam, qua nulla, repetitis omnium antiquitatis monumentis, aut civilis prudentiæ opinione præstantior, aut inconcussa libertate firmior inveniatur? Ea incolumi, se Italia potiri non posse optime novit. At dicet aliquis, nulla Cæsar a Republica lacessitus injuria, cur in illam arma convertat? An arbitramini, quæ in ejus animo dominatur, regnandi libidinem ullis officiis minui, vel temporis tractu, quo mortalia cuncta immutantur, extingui posse? Quid si prospere bellum adversus Gallos gereret? quo illius potentia, atque ambitio evaderent? Hactenus tardo Cæsar sese gradu extulit, modo cum tantum sibi virium adjunxerit, omnia impedimenta amovisse; peramplum, atque expeditum iter ad ea perficienda, quæ mente volvit, & animo jampridem agitat, munisse arbitratur. Sed Gallica expeditio durior, ac difficilior habetur; cum Cæsaris conatus alias Franciscus represserit, atque invito robore retuderit. Huc accedit, quod dum regnum propugnat, omnia hostium consilia, atque astus inspexerit; defendendi vero rationes egregie calleat, omnia ad illud tuendum paraverit; oppida limitanea firmissime munita, objecta hostibus flumina, ex agris frumenta, & commeatus convectos; regnum indissolubili nexu adversus hostes conjunctum; equitatum numero, & virtute præcellentem; Italorum, atque Helvetiorum robur; omnia demum, quæ ad bellum necessaria sunt, apprime instructa. Verum quem belli casus latent? Quis nescit, fortunam in omni re, præsertim in bellis dominari? Quis non videt, Cæsarem hinc Henrico Angliæ Regi fœdere adstrictum, inde Germanorum potentissimæ, ac bellicosissimæ gentis viribus auctum, Gallias petere? At aliqui ea spe ducentur, bellum hoc neque brevi, neque cito confectum iri, sed grave, ac diuturnum fore. Sed quis vadem se, & sponsorem tantæ rei statuit? Magnis viribus Gallias Cæsar aggreditur, incredibili animorum ardore utrinque dimicatur, parvo momento magnarum rerum successus, & mutationes vertuntur: quanam*

*nam*

*nam igitur ratione victori, atque irato Cæsari obviam ibitis?* 1544
*Magnas profecto Venetas vires terra, marique esse exploratum habeo. Cæsari Gallias invadenti, tot incrementis aucto, minime difficile erit, majori spe subnixo, vestrum imperium adoriri. Hisne tot imminentibus periculis vestra hac in neutram partem propensione occurrere posse arbitramini, qua Cæsari neque animus, neque vires franguntur; immo hac vestra cunctatione, ac veluti sopore haud mediocriter augentur? Ita sane casu venit, ut qui prudentiæ nomine capti neutri adhærent, in utriusque offensam incurrant; dum qui potentia, ac viribus antecellit, injuria se affici, ni suis rebus faveat, qui minus, pollet, ni mature opem ferat, contumeliam sibi illatam existimat; ita neque hostium damna vitantur, neque amici benevolentiæ officiis conciliantur. At pulchrum est, dum reliqui in magna rerum turbatione, ac tumultu versantur, quiete, & otio frui. Optime id quidem, nisi falsa tranquillitatis specie certa, ac summa pericula tegerentur, neque secus atque iis contingeret, qui pecunia fœnore accepta, securi admodum, & læti fruuntur, donec brevioris commodi, quod adepti sibi fuisse videbantur, acerbas pœnas luant. Nec est, quod prudentiæ nomine nobismetipsis blandiamur, quippe quæ in præsentibus recte administrandis non modo, verum maxime in futuris providendis & prospiciendis eluceat; neque is laudis præmium ferat, qui, ut præsentibus commodis fruatur, ultro in ingentes se molestias dimittere velit. Ille potius magnæ omnium opinione virtutis laudem tulit, qui nonnulla cum jactura imminentia præcavet mala; peritos medicos imitatus, qui cum propinquum morbum diligenti præsagio persenserint, illius minime adventu expectato, pharmacis, atque aliis ex arte petitis remediis profligare, atque avertere conantur, exiguæ, ac cito interituræ ambiguæ sanitatis voluptati, spem futuræ firmioris incolumitatis anteferentes. Vos autem in imperio administrando, quibus tot capitum salus innititur, res tam magnas, tam ingentes fortunæ committetis, ne paululum ab ea, qua vobismetipsis frui videmini, tranquillitate dimoveamini? prudentiaque, & consilio abjectis, temporis beneficio acceptam Rempublicam feretis, cum certa illa, ac firmissimis nixa radicibus sint, hoc infirmum; incertum, fallax? Inspicite obsecro, quonam tempus terendo res ve-*

1544 *vestræ evaserint, dum frena currenti Cæsaris fortunæ injici posse sperabamus, hocque edocti, & commonefacti exemplo, quæ in posterum impendeant, dispicite. Quid enim attinet ea commemorare, quæ Græciæ civitatibus otio, ac quieti indulgentibus evenerint? quæ dum cunctando Philippi Macedonum Regis vires, ac potentiam magnis incrementis augeri, ambiguis distractæ consiliis contemplantur, duriores incuriæ, ac veluti veterni fructus, libertate amissa, præda hostium factæ, tulere. Alia proferre possem, nisi apud eos verba facerem, qui humanos casus, regnorum vicissitudines, rerumquepublicarum mutationes solerti prudentia expendere consuevere; qui si ad imperium hoc peramplum, quo Dei Optimi Maximi beneficio fruuntur, oculos obverterint, meminerint necesse est, non otio, non ambiguis consiliis, sed armis, fœderibus, Gallica potentia nonnunquam in societatem adscita, partum, auctum, ac servatum fuisse. Erigite animos, generosos spiritus sumite; quæ mala ex hac consiliorum ambiguitate pendent, expendite; societatem Galliarum potentissimi, & Christianissimi Regis amplectimini. Vestra consilia, vestras opes per me postulat, prudentiæ, ac potentiæ istius Reipublicæ adeo confidit, ut minime ambigendum sit, tot consiliis, ac viribus consociatis, magnum Cæsari obicem injectum iri, ex quo Galliæ, Italiæ, vestræque Reipublicæ securitas obventura sit. Atque ut, quæ Regis mens existat, certius, & exactius intelligatis: Cæsaris potentiam deprimere, latius regni sui fines provehendi cupiditate minime contendit; sed ut tandem immensæ illius dominandi libidini modus aliquis, ne in reliquorum perniciem exundet, imponatur. Id vero nulla ratione facilius se assequi posse existimat, quam si parte aliqua regnorum, quæ possidet, atque ea, qua maxime innititur, exuatur. Neapolitanum regnum, ex quo ingentem quotannis summam argenti vim exhaurit, ex quo magnas copias comparat, aggredi oportere statuit; ni subveniat, cito casurum; si opem ferat, aversis viribus, pluribus in locis Cæsarem vinci, ac proteri posse. Quis vero nescit, in ea gente ingens novarum rerum studium esse, intoleranda servitute, atque insuetis tributis oneratam Cæsaris nomen odisse? Vigent adhuc, & in dies majores spiritus Gallicæ partes sumunt: a cunctis re-*

*rebus ad bellum necessariis imparati Neapolitani sunt, ut vix primum hostium conspectum ferre queant. His accedit, longo terrarum tractu ab aliis Cæsaris ditionibus semotos esse, ut ægre subsidia invehi, facile admodum terra, marique peti possint. Expeditioni Aurelianum filium ducem designat; illi vos adjungere socios cupit; ea auxilia, quæ nullo incommodo publico præstare potestis, petit; idque meo veluti jure polliceri possum, vestræ benevolentiæ argumenta sibi pergrata adeo fore, ut mirifice se Reipublicæ devinctum fateri debeat. Neque contemnenda hujus fœderis præmia, ac fructus defert, Apuliæ portus, atque universam oram, quæ, Lautrechio bellum gerente, in vestra potestate erat: ac si quid præterea deposcitis, omnia ab optimo, munificentissimo, atque amicissimo Reipublicæ Rege expectare licet. Amplissimum Galliæ regnum, Regem eximium, filios, & præcipue Aurelianum Ducem, adolescentem supra ætatem omnibus regiis virtutibus excultum, demeremini. Hoc fœdere egregium hunc, ac singularem regii Gallici stipitis surculum Italico solo inserere potestis, qui in Italum Principem, Reipublicæque vestræ filium evadet: cum enim prudentia, & virtute mirifice polleat, eos patres, atque sui regni servatores optabit, quorum consilio, & auxiliis imperium adeptus fuerit. Quid vero illud moror, quod in primis summi momenti censeri debet, huic fœderi a Republica inito, statim socium Pontificem Maximum futurum, ea perplexitate consiliorum relicta, qua frustra reipublicæ christianæ pacem, atque Italiæ quietem speraverat? Quod vobis pro certo minime affirmarem, nisi Pontificis mentem, & voluntatem haud secus, quam Regis, cognitam, ac perspectam haberem. Nemo vero ignorat, quot ex hoc fœdere in commune bonum præsidia sint emanatura; quam alta Galliæ, atque Italiæ securitas, ac tranquillitas sit exoritura. Neque minima e Pontificis ditionibus ad Neapolitanum regnum invadendum adjumenta peti poterunt, vel regionum propinquitate, vel ad hostium subsidia avertenda facilitate, vel sociis, milite, & commeatu juvandis opportunitate. Nullus est enim qui non sibi summa omnia a sapientissimo, eodemque potentissimo Pontifice polliceatur. Vel hoc certe uno eo gratiorem societatem vestram Regi futuram existimare de-* 1544

 *betis,*

1544 *betis, quod tantum sibi Pontificem eodem vinculo conjunget: cum e contra, si secus statueritis, multa Regem manere incommoda, & damna compertum sit; Pontifice ab eo sejuncto, Italiæ salute neglecta, Galliæ defensione projecta. An vero in postremis decus, & gloriam, quam egregiam, ac præclaram ad vos perventuram certum est, per vos huic provinciæ quiete, & tranquillitate parta, ducere debetis; honesta præsertim in causa, qua Rex ad omnem pietatis laudem natus defenditur? Cæsar Galliarum Regem aggreditur; Rex se tuetur: Cæsar exitium, ac perniciem Regis molitur; Rex sua, seque servare nititur: abnuit pacem Cæsar; Rex exoptavit, quæsivit: opprimere Regem Cæsar contendit ut mox, acerbo jugo Italia pressa, universæ christianæ reipublicæ leges dicat; dum se Rex defendit, publicam salutem, ac libertatem defendit. Igitur qui aliis, dum summis jactarentur periculis, quammaximam potuit opem tulit, ab Italiæ cervicibus magnas calamitates repulit; is undique petitus, desertus, ac relictus erit? Potuit Cæsar tot sibi præsidia vel ab efferis nationibus, atque a fidei Catholicæ hostibus ad aliorum exitium conquirere; nullum Christianissimus Rex auxilium ab Italis Catholicæ religionis alumnis, ab hac Republica pro sua, publicaque salute conservanda impetrabit? Dum, quæ in vobis prudentia, virtus, spectata religio vigeat, intueor, quin omnia a vobis obtineam, ambigere non possum. Ne igitur cunctatione utamini, in fœdus descendite, ad quod ingens invitat gloria, rapit utilitas, prudentia, & magnanimitas incitant. Christianissimus Rex, quem ex ore loquentem audistis meo, vos rogat; seque, & potentissimi sui regni vires pro istius Reipublicæ incolumitate, atque incrementis adhibiturum omni tempore profitetur.*

Patrum animos haud parum vehemens, atque accurata Cardinalis oratio commovere, & ad amico Regi opem adeo enixe petenti ferendam allicere poterat; nisi summa prudentia subductæ, ac perpensæ Reipublicæ rationes obstitissent, cum ab iis rebus abstinendum esse Senatus censeret, quibus Respublica rursus belli procellis, ac fluctibus jactaretur. Itaque Cardinali responsum est: *quod Rex gravi bello premeretur, pro veteri in illum observantia, atque amicitia moleste admodum*

*Senatus responsum.*

*fer-*

1544

*ferre, omniaque illi felicia, & prospera percupere. Ceterum præteritis bellis attritas adeo, ac debilitatas Reipublicæ opes esse, ut in novos sese demittere turbines non posset: tantum in præpotenti Rege consilii, ac virium esse, ut ab eo non modo obsisti, sed etiam vinci hostes posse confideret.* Cum hoc Senatus decreto Romam Cardinalis contendit, Pontificemque in Gallorum partes, nimiæ Cæsaris potentiæ metu proclinatum animadvertens, ne Regis causæ ulla in parte deesse videretur, Paulique consiliis ad fœdus ineundum Patres inflammaret, Bartholomæum Cavalcantem, Florentinum exulem, Venetias misit, ut de Pontificis in Gallos animo Patres doceret, atque rursus de fœdere negotio instituto, a proposita abducere sententia niteretur. Verum nulla in re immutata consilia, atque animos invenit.

*Pauli Pontif. in Gallos propẽsio.*

*Bartholomæus Cavalcantius a Cardinali Atestino Venetias missus.*

Furebat sub id tempus in Subalpinis, & in Galliis bellum, Cæsareanis ad Ceresolam profligatis, ac cæsis copiis; ad Scriviam vero amnem prope Derthonam, Petri Strozzii tumultuario Italorum coacto exercitu, in Pedemontanos contendente, devicto, ac fugato. Cæsar vero, atque Henricus Angliæ Rex adeo acriter in Franciscum conspiraverant, ut diversas illius regni provincias aggressi, haud dubia victoriæ præmia laturi viderentur. Hinc Cæsar totius Germaniæ atque Hispaniæ robore suffultus, inde Henricus ceteris Angliæ Regibus, qui arma in Galliam intulissent, gravior genti, ac formidolosior; quod Regis Scotorum obitu, domestico metu, atque periculo liberatus esset, auroque, & militum ferocia plurimum posset. Cæsar Lucemburgum, Leucorum urbem, quam Aureliani Ducis virtute paulo ante Galli in suam potestatem redegerant, per deditionem recepit; mox Mosa flumine superato, Comersium ultro se dedentem obtinuit. Ligninio, admoto exercitu, vita tantum oppidanis concessa, potitur. Inde ad Sandesirium, a Sancti Desiderii templo ita a Gallis appellatum, castra promoveri jussit, oppidum prope flumen Matronam situm, quod illi a septentrione pro munimento est, cum silvarum densitate a reliquis partibus circumvalletur. Magno illud tormentorum impetu quassatum, irruptio ingenti Cæsareanorum damno tentata, cuniculis sub terram suffossis frustra actum, obsidione demum circumsessum, cum tormen-

*Cæsareani ad Ceresolã a Gallis profligati.*

*Petrus Strozzius a Cæsareanis prope Derthonam victus.*

*Cæsar & Angliæ Rex in Gallias bellum inferunt.*

*Cæsaris progressus.*

1544 tarius pulvis propugnatores deficeret, hostium vi non expectata, ni duodecim dierum spatio, quo induciæ essent, Rex opem ferret, sese dedidere: subsidio minime illato, Sanserrius præfectus hosti tradidit. Inde intimius in Gallias exercitum Cæsar Matronæ amnis ripas perlustrando inferre statuit; Rege ab altera fluminis parte castris promotis, sese objiciente, ut, si Cæsar ponte, aut vado trajicere milites conaretur, in margine obsisteret, præliumque committeret. Interea Lutetiam rumore perlato, Cæsarem, nullo obsistente, victoriæ cursu cuncta proterentem, haud procul esse; tanta amplissimam totius Europæ civitatem consternatio, ac metus invasit, ut neque Principum auctoritate, neque minis perterrefacti populi tumultus, ac fuga sisti posset, nisi ingens in ea urbe studiis incumbentium multitudo armata, ac Regis cum copiis adventantis nuntii inconditæ plebis timorem repressissent. Atque eodem fere tempore Henricus, trajecto exercitu, Bononiam acri obsidione urgebat.

*Parisiensis consternatio.*

*Bononia ab Anglo obsessa.*

Verum dum crudelibus bellum incendiis exardesceret, repente summa cum omnium admiratione pax est consequuta, de qua priusquam Sandesirio Cæsar potiretur, Bertovilla eques, Ligninii captus, ac postea dimissus, sermonem injecerat; & mox ob eandem causam Caroli soror, Galliarum Regina, in Cæsaris castra Gabrielem Gusmanum, Hispanum, Dominicanæ familiæ, miserat. Is ut Principum animos ad concordiam flecteret, omni opera adhibita, tantum, sæpius hinc atque inde ventitando effecit, ut, cum Hanebaldus Galliæ Admirallius, Bajardusque a secretis cum Granvelano, ac Ferdinando Gonzaga convenissent, de concordiæ conditionibus invicem colloquuti, tandem pacem his legibus sancirent: *Ut, veterum contentionum, atque odiorum memoria prorsus deleta, & extincta, quæcumque post inducias Niceæ pactas utrinque occupata fuerant, restituerentur. Si quæ difficultates intercederent, eæ Cameraci per arbitros definirentur. Carolo Sabaudiæ Duci, quæ vel in Allobrogibus, vel in Subalpinis a Gallis adempta fuerant, oppidis nonnullis exceptis, quæ jure ad se spectare Franciscus dicebat, redderentur. In bellum Turcicum certum peditum, atque equitum numerum præstaret. Filiam Carolo Aureliano Duci, regis filio, Cæsar nuptui daret, cui Bel-*

*Pax inter Cæsarem & Galliæ Regem.*

*gium*

*gium dotali nomine accederet; vel filiæ loco Ferdinandi fratris, Pannoniæ, Boemiæ, atque Austriæ Regis, natam connubio jungeret; Insubrumque imperii titulos dotis jure conferret. Donec is masculam suscepisset prolem, Mediolani, Cremonæque arces penes Cæsarem essent, quadrimestri spatio adjecto, ut Cæsar utrum mallet, decerneret.* Sociorum, atque amicorum fœderibus comprehensa nomina fuere. Henricus Britanniæ; Sigismundus Sarmatiæ; Joannes Lusitaniæ; Christiernus Daniæ Reges; Germaniæ proceres, qui Cæsaris creandi jus obtinent; tredecim Helvetiorum reipublicæ pagi, quibus Rhætorum trino fœdere sociata gens adnectitur. In Italia vero Carolus Allobrogum; Cosmus Medices Florentiæ; Hercules Atestinus Ferrariæ; Guidobaldus Urbini Dux; Genuensium, Senensium, & Lucensium civitates. Veneti uti Cæsari, ac Regi pariter amicitia conjuncti nominatim iis fœderibus adscripti fuere. De Pontifice vero, nisi religionis cultus rubore quodam Principes perfudisset, nulla mentio habita foret, cum ambo parum propensam in eum voluntatem gererent; Galliarum Rege conquerente, quod ingentibus periculis circumsepto, inani verborum jactatione contentus, nullam sibi opem tulisset: Cæsare vero, quod Gallis favendo, suis conatibus adversus, sibique infensus extitisset, ne re, quod maxime optaverat, Gallo præstaret, metu impeditum fuisse. Moronus vero, ac Grimanus legati ad pacem tractandam in Galliam a Pontifice missi, Lugduni nuntio pacis accepto, ægre, ut Pauli ratio haberetur, impetrare potuerunt. His itaque conditionibus XIIII. kal. octobris, quarto & quadragesimo anno supra quingentesimum ac millesimum a partu Virginis, pax apud Crepinium, in Suessionibus oppidum, inter Cæsarem, ac Regem inita est, quæ cunctorum excepta plausibus passim mortales summo gaudio affecerat: magna in orbe christiano publicæ lætitiæ signa edita; Deo Optimo Maximo ac Cælitibus supplicationes habitæ.

1544

*Moronus & Grimanus Card. ob pacem in Galliam missi.*

Sed qui Regum ingenia, præteritos eventus, aut superiores, aut pares difficulter pati assuetas mentes inspiciebant, vix sibi suaderi poterant, Cæsarem aut Belgico patrimonio, quo amplitudo Austriacæ domus niteretur, atque prope in visceribus Galliæ esset, decessurum; aut Insubrum impe-

1544 rium, pro quo tantum laborum, impensarum, ac molestiarum insumpserat, Gallis collaturum; mirandumque videbatur, Cæsarem Britannico fœdere, Germanicæ gentis robore subnixum, in Gallico solo victoria elatum, ad eas conditiones pacis descendisse, quibus victus potius, quam victor videretur, Rege illius, quod bello nunquam assequi potuerat, compote per concordiam facto, ut necessitate coactum cum Rege transegisse plerique crederent; neque diuturnam pacem fore arbitrarentur; cum verendum esset, ne, ut sunt Gallorum subita, atque novarum rerum cupida ingenia, Mediolani imperio parto, eo minime contenti, latius in Italia dominari, ac extincta fere Neapolitani regni jura, novo hoc principatu aucti, rursus exsuscitare vellent; cum Allobrogum Duci, licet pristino imperio recepto, tot vires non sufficerent, ut Regi posset obsistere, atque in assidua rerum suarum hæsitatione, & metu versari cogeretur. Interea, dum pax inter Cæsarem, ac Regem agitaretur, Britanniæ Rex a consiliis pacis alienus Boniam expugnaverat, atque Anglicis præsidiis confirmaverat; Motrellumque oppidum valde munitum aggressus, magna vi oppugnare cœperat. Cum universæ fere Gallorum copiæ Cæsaris metu liberatæ eo contendissent, Rex, Motrello relicto, Bononia commeatu, ac bellicis apparatibus munita, Caletum, inde in Angliam proficiscitur, universis Gallorum copiis, Delphino Regis filio Duce, Anglorum discedentium vestigiis ita insistentibus, ut novissimum pene agmen consequerentur, multisque sarcinis exuerent, conversisque signis, Bononiam inopinantem adorirentur.

*Bononia ab Anglis expugnata. Henrici Regis in Angliam reditus.*

Antequam pax confecta esset, post annum, quo Provinciam multis incommodis, atque oneribus affecerat, Chariadenum dimittendum Rex censuit. Is a Stechadibus insulis ad Sabatia vada, mox ad Ilvam insulam contendit; inde Telamonem delatus diripuit; Herculis portum incendit; Orbatello frustra tentato, Egelium insulam vastavit, oppido expugnato, multos mortales captivos fecit; indeque in Aenariam insulam directo cursu exscensione facta, omnes propemodum incolas in servitutem abduxit. Eadem acerbitate in Prochytam usus, in Puteolanum sese sinum invexit, Puteolosque expugna-

*Chariadenus a Gallis dimissus Italiæ oras diripit.*

gnare conatus, cum irrito eventu res ceſſiſſet, Brutianis deformatis litoribus, magna præda abducta, Liparas adiens, oppidum obſtinata adeo, atque terrifica oppugnatione concuſſit, ut incolas ad deditionem compelleret, quos adverſus jusjurandum abripi, & in triremes invehi juſſit, ut ingentis ſupellectilis, & captivorum præda onuſtus Byzantium rediret. Inde protenſo navigationis curſu, cum Corcyram deflexiſſet, amice a Reipublicæ magiſtratu ſalutatus, nulla incolis injuria illata, Byzantium iter arripuit, Polino cum Gallicis quinque triremibus, ac nonnullis navibus Naupactum uſque comitante: atque ita Turcicæ claſſis metu Mediterranei maris oræ, Italiæque litora omnino ſoluta ſunt. 1544

*Lipara a Chariadeno capta & direpta.*

*Polinus cum Gallicis triremibus Naupactum usque Chariadenum comitatur.*

Ab acerrimo igitur bello ad pacem Regum revocatis animis, & barbarorum claſſibus intra Helleſpontum ſubductis, reſpirare chriſtiana reſpublica videbatur, cum bellorum reliquiæ, in extremi Belgii finibus Anglo, atque Gallo dimicantibus, inſediſſent. Ceterum obortæ tranquillitatis ſpei haud parum officere duo conſpiciebantur; alterum diſſentientes de religione ſententiæ; cum pernicioſis imbuta erroribus, invicem Germania diſſideret, jamque virus in dies adeo ſe efferret, atque obreperet, ut Galliæ, & Italiæ quoque imminere videretur; ad quod propellendum, & extinguendum vehementioribus, atque acrioribus remediis opus eſſet: alterum vero belli Turcici ſuſpicio, cum aſſiduis rumoribus increbreſceret, maximos a Suleimano ad Pannoniam, & Daciam proximo vere invadendam apparatus fieri; qui licet ſummam ex Chriſtianorum Principum nuper inita concordia moleſtiam percepiſſet, majores undique vires cogebat, quo graviorem Auſtriacis timorem incuteret. Itaque Vormaciæ conventus indictus fuerat, ubi Ferdinandus Romanorum Rex, & Granvelanus Cæſaris nomine, qui tunc, ne Bruxellis diſcederet, podagra detinebatur, affuere. In eo cum nihil vel ad religionis controverſias definiendas, vel ad Turcarum vim avertendam perficeretur, certos homines, qui de concordia agerent, Cæſar, ac Ferdinandus mittere Byzantium decrevere; quod certius ut aſſequerentur, ad explorandam Suleimani mentem, atque ad tutum iter conficiendum publicam fidem poſcendam a Franciſco Rege nuntium mitti petiere. Id cum haud gra-

*Vormaciæ conventus.*

*Franciſcus Rex Vignolum in Cæſaris gratiam Byzantium mittit.*

1544 gravate se facturum polliceretur, Vigneum, ex Gallica nobilitate virum, ad Suleimanum designavit, atque per Monlucium legatum Senatui significavit:

## M. D. XXXXV.

1545 *A Gallorum Regum pietate, ac religione nunquam se deflexisse; societatem, atque amicitiam cum barbaro Rege coluisse, qua, si occasio sese objiceret, ad Christianorum Principum commodum uteretur: id nunc usu venire, ut, Cæsare, ac Ferdinando cum Suleimano inducias pacisci cupientibus, Vigneum summis itineribus Byzantium contendere juberet, quo tuto itineris habendi facultate impetrata, reversus, Cæsaris legato una comes accederet.* Hieronymus Adurnus Ferdinandi nomine e Vienna urbe per Daciam, ac Mœsiam Byzantium proficiscitur, statimque pestilentia correptus excessit. Cæsar Gerardum Vellwicum, insigni eruditione, & linguarum scientia præditum, ad Suleimanum misit; qui Venetias accedens, una cum Monlucio Regis legato Venetis triremibus Epidamnum devectus est. Adurno defuncto, Nicolaus Siccus a Ferdinando sufficitur; ei quoque triremes, quæ in Illyricum ducerent, a Senatu datæ. Id vero Regum nomine a Venetis petierant, ut legato in mandatis darent, quibuscumque posset officiis, quæ pro Cæsare, & Ferdinando Byzantii negotia agitarentur, juvaret. Hoc Senatus amicis Regibus facile præstitit; legatum admonuit, ut in iis peragendis summa prudentia, ingeniique dexteritate uteretur, ne, inclinatis ad suspicandum gentis animis, de Reipublicæ mente hæsitatio injiceretur; cum satis constaret, non deesse qui Venetis maligne obtrectando, Suleimano suspectos reddere conarentur; infidam illorum amicitiam, nutantem pacem asserentes, ut inde a barbaris cuncta Venetorum consilia, atque acta exactius observarentur.

*Hieronymi Adurni a Ferdinando Rege Byzãtium oratoris designati obitus.*

*Gerardus VellWicus a Cæsare Byzantium missus.*

*Nicolaus Siccus in Byzantina legatione Adurno suffectus.*

Sub id tempus de finium controversiis inter Ferdinandum, ac Rempublicam denuo agitari cœptum est, Cæsare ad id cohortante, ut detersis undique simultatum causis, firmioribus nixa radicibus pax, atque amicitia in dies incrementa sumeret. Velle se, ut quæ ad Maranum oppidum spectarent, ea

*Tractationes inter Ferdinandum Regem & Venetos de finium controversiis dirimẽdis.*

ita

ita componerentur, ut satis Reipublicæ fieret: neque ab eo Ferdinandus frater dissentire videbatur. Itaque Regum fratrum nomine Antonius Queta Venetias advenit: Francisco Contareno, ac Hieronymo Grimano, qui Francisco Sanuto vita functo suffectus est, negotii pertractandi mandata dantur, ut ea, quæ Tridenti agitata fuerant, perficerentur. Francisco Michaelio fisci advocato, ac Justinopolitano magistratui mandatur, ut cum Cæsaris legatis de Histriæ provinciæ finibus decernerent. Cividalis quoque Carnici magistratui, Vicetiæ, ac Veronæ præfectis, ut in eorum finibus idem efficiant, præcipitur. De Marani oppido in Cæsaris aula disceptari placuit; quinque supra septuaginta aureorum millia, reliquis sublatis controversiis, Veneti ex Bononiensi fœdere se soluturos pollicentur. Hæc Byzantium perlata, malevolorumque hominum vocibus, ac vanis, ut plerumque fit, rumoribus aucta, Turcarum animos permovebant, quod Rempublicam Ferdinando, & Cæsari in eorum exitium conjunctam suspicarentur, pecuniamque ad cogendas, atque instruendas copias a Venetis Cæsari ministrari dicerent, licet veritatis lumine quæ Reipublicæ officere videbantur *. Ceterum magnis curis Patres solicitabantur, veriti, ne proferendi imperii cupiditate, quietis impatientes Principum animi ad aliorum perniciem, ac præsertim Italiæ eximio concordiæ bono abuterentur; cum Cæsar se Aureliano Duci, Regis filio, cum Insubrum dote neptem, aut filiam nuptui daturum tandem statuisset. Itaque quo belli suspiciones ab Italia averterent, Byzantinis induciis caveri curabant, ne earum tempore Cæsari, ac Ferdinando Italiam armis lacessere liceret. Rustenus nominatim Venetis, uti Regis amicis induciarum legibus caveretur, se velle significavit. Si quis adversus eos arma movisset, is fœdera violasse censeretur. Inde subobscuris illata sermonibus quorumdam animis dubitatio irrepserat, Venetos occulto induciis adversari: quæ res Cæsarem permovit, ut Mendozzium legatum Tridento, ubi tunc erat, Venetias reverti juberet. Is Senatus auctoritatem, atque operam ad inducias perficiendas petiit, ut amicam Rempublicam Cæsarem nominaturum pollicitus. Senatus, ne Cæsari deesset, omne studium, ut induciæ perficerentur, adhibeat, legato apud Suleimanum mandat. Sed re Byzantii agi-

1545

*Cæsar filiā aut neptem Duci Aureliano cum Insubrum dote conjugere decernit.*

*Turcæ Venetos induciis comprehendi velle.*

*Mēdozzius a Cæsare Venetias mittitur.*

*Induciæ annuæ iter Austriacos & Turcas.*

1545 agitata, ad annuas tantum inducias deventum eſt, quibus elapſis, denuo miſſis legatis, de iis prorogandis ageretur.

Cæſar ſuſpicione Turcici belli ſolutus, multa animo de componendis religionis diſſidiis, de ſedandis Germaniæ tumultibus agitabat; cum eo res deveniſſent, ut, niſi conſtanter admodum, atque intrepide ingruenti malorum cumulo obſiſteret, Divina omnia, atque humana acri disjecta tempeſtate permixtum iri animadverteret; cum præcipui Germaniæ proceres, & civitates, avita abjecta religione, ſacris immutatis, libertatis ſpecioſo nomine illecti, a cervicibus Imperii jugum excutere viderentur: ac Cæſar, qui, ut illos ſibi conciliaret, Tridenti Synodum haberi, non abſque Summi Pontificis querelis, ſtatuerat; cum nihil ſe profeciſſe ob id intelligeret, Didacum Mendozzium, apud Venetos oratorem, Tridentum proficiſci juſſerat. Quo frenum exultanti, cunctaque audenti licentiæ injiceret; elatos nimium, Romanoque Pontifici adverſos animos coerceret; alia via incedendum ratus, armis agendum eſſe cenſebat; idque eo facilius ſe conſequi rebatur poſſe, quod, induciis cum Suleimano pactis, pace cum Gallis firmata, totus jam in hoc bellum incumbere poterat. *Aureliani Ducis obitus.* Sed Aureliani Ducis obitu, repente magna mutatio rerum omnium ſequuta eſt, qui in ætatis flore gravi valetudine correptus intra paucos dies, incredibili Franciſci patris dolore, extinctus eſt, qui temporis momento orbatum filio, magnis imperii incrementis ſe exutum animadverteret. Quocirca denuo recrudeſcere bellum, iiſdem jactari fluctibus chriſtianam rempublicam pertimeſcendum erat; ni bellum Anglicum, in quo ingentes theſauros Rex abſumpſerat, avertiſſet, quod hinc atque inde feſſis populis haud diuturnum fore credebatur; *Induciæ inter Galliæ & Angliæ Reges.* jamque de concordia utrinque agi per certos homines, induciis trimeſtribus pactis, cœptum erat.

Ita quieſcentibus armis, non ſine adventantis belli ſuſpicione, ac metu annus præterlabitur, quo Reſpublica, pace licet frueretur, in Jaderenſium finibus moleſtia vacua non fuit, *Turcarum præfecti agros Jadertinos occupare conantur.* cum finitimi Mœſiæ, & Cliſſæ præfecti, male in Venetos animati, prædæ ſpe ducti, partem agri Jadertini occupare niterentur, in qua novem ſupra quadraginta pagi continebantur, quos ad Nadini, & Lauranæ oppida, nuper in Suleimani poteſta-

teſta-

1545

testatem redacta, spectare contenderent, atque incolis gravissimis minis, ac pœnis, ne ulli, præterquam Suleimano obtemperarent, interdixerant. Nova hæc, & inopinata Venetis cum rei ipsius gravitate, tum Jaderæ civitatis tuendæ causa fuere. Verum id jus Reipublicæ iis in locis erat, ut cum circumjectus ager ad urbem, non ad minora oppida pertineret, præfectorum tantummodo libidini, atque avaritiæ obsistendum esset. Re cognita, Suleimanus negotium ad Chersegi præfectum, ac duos judices, quos *Cadi* Turcæ vocant, rejicit, qui cum Venetis ea de re statuerent. A Patribus negotium Marco Antonio Franciscio, scribæ a Secretis, committitur, qui Byzantio a legato in Illyricum hujus ipsius negotii causa missus fuerat: sed res diu multis contentionibus extracta non nisi post aliquot annos perduci ad exitum potuit. Hoc eodem anno Petrus Landus, Princeps, senio confectus, nam quintum & octogesimum annum exegerat, ex humanis excessit, magistratibus domi, ac foris integre, & prudenter perfunctus, cum sex annos, decemque menses Rempublicam gessisset: in funere a Michaele Barocio laudatus est, in divi Antonii Fano conditus: duæ pro foribus illius marmoreæ inspiciuntur statuæ; altera classis imperatorem, altera Principem exprimit. In defuncti locum Franciscus Donatus summo Patrum consensu Princeps creatus est.

*Suleimanus Chersegi præfecto, Veneti Marco Antonio Franciscio negotium finium demandant.*

*Petri Landi Principis obitus.*

*Franciscus Donatus Princeps creatur.*

## M. D. XXXXVI.

1546

QUi Principum animus, quive reipublicæ christianæ status esset, ineunte anno M. D. XXXXVI. ambigendi locus non erat; in Cæsare, ac Rege, Aureliani Ducis obitu, consopita veterum injuriarum semina reviviscere cœperant. Spe Mediolani potiundi Rex dejectus, Allobrogum Duci Subalpina oppida pernegare; Cæsar Germaniæ tumultibus distineri, iisque, ne statim in Regem arma converteret, remorari. Inter hæc Pontifex Farnesiæ familiæ amplificandæ desiderio æstuare: novo, atque inexpectato consilio Parmæ, & Placentiæ urbes Petro Aloysio filio beneficiario jure tradiderat, ea conditione, ut singulis annis octo aureorum millia pensionis nomine Ecclesiæ penderet, Camertiumque principatum, ac Ne-

*Franciscus Rex Cisalpina oppida Allobrogum Duci denegat.*

*Paulus Pontifex Parmam & Placentiam Petro Aloysio tradit.*

pe

1546 pe jura, quæ paulo ante Octavius filius obtinuerat, eidem cederet. Quæ adeo molesta Cæsari fuerant, ut nullis officiis adduci posset ad earum civitatum titulos Petro Aloysio concedendos, quos ab eo Pontifex, uti Insubrum Principe, petebat. Varia igitur animo agitare; Cæsari, ac Regi æque suspectus esse; Venetis ea pericula ob oculos ponere, quibus Italia, inter Gallos, atque Anglos pace facta, Cæsare Ratisponensibus comitiis Germanorum Principum perdomitis animis, objiceretur: nulla re magis imminentia hæc mala averti, aut propelli posse, quam si consociatis consiliis, ac viribus cum sanctissima Apostolica Sede Respublica in Italiæ incolumitatem, ac dignitatem incumberet. Atque ad prospensum illius in Venetos studium declarandum, ut Petrus Aloysius filius legatum ad Senatum mitteret, curavit. Fuit is Augustinus Landus, per quem Petrus Aloysius initam dignitatem Patribus significavit, seque, & ditiones suas Reipublicæ detulit. Utrisque gratiæ actæ. Ceterum sicuti ea vehementer a Senatu Pontificis consilia probabantur, quibus Italiæ saluti, ac tranquillitati prospiceretur; ita ab iis abstinebat, quæ ad novas res illius animum magnis æstuantem curis, atque ad evehendos domesticos impensissime intentum magis incenderent; rerum usu edoctus, eam pacis retinendæ optimam rationem esse, qua cum Regibus amicitiam servando, nulli plus æquo adhæreret, seduloque suas ditiones protegeret. Quapropter Guido Ubaldus, Urbini Dux, copiarum præfectus, qui *Gubernator* vulgo dicitur, creatur. Quindecim aureorum millia, quibus centum cataphractos, totidemque levioris armaturæ equites aleret; quinque vero millia illi stipendio tribuuntur: tempore belli dena millia insuper adjecta, ea lege, ut levioris armaturæ equites alios centum adduceret: ad alendos equos assignatæ in menses septuaginta partes e tributis, quæ singulæ libris quattuor pecuniæ minutæ circiter extimantur. Is honore hoc auctus Venetias accessit, atque in divi Marci basilica de more imperatorium vexillum ingenti populi plausu, ac lætitia a Principe accepit.

*Augustinus Landus a Petro Aloysio Farnesio Venetias missus.*

*Guido Ubaldus, Urbini Dux, Venetarum copiarum præfectus eligitur.*

Interea Cæsar, Ratisponæ indictis comitiis, Germanos vocaverat, ut de iis, quæ ad religionem attinent, ageretur. Verum quamvis ipse præsens adfuisset, ut Principes, qui *Protestan-*

1546

*Protestãtes nationis Germanicæ Synodum & postea Tridenti Concilium postulant.*

*testantium* nomen usurpabant, eo convenirent, obtinere non potuerat; ita ut, colloquiis nonnullis in ea civitate habitis, irrito conatu, magna cum acerbitate animorum, discederetur, majoribusque in dies difficultatibus religionis negotium implicaretur; ac qui primo, Tridenti Concilium ut cogeretur, poposcerant, examinatisque, & discussis controversiis, ab illius decretis minime recessuros affirmarant, nunc Germanicæ nationis Synodum flagitabant, qua peracta, liberum Tridenti Concilium haberetur. Ea res cum haud parum Cæsaris animum commovisset, nullumque dissidiis exitum speraret, nisi armis ageretur, Pontificem libentius audire cœpit, qui, ut se metu Concilii eximeret, ac filium in Parmæ, & Placentiæ civitatum possessione confirmaret, haud exigua cum pecuniæ, tum militum subsidia, quidquid viribus, quidquid auctoritate posset, ad gravissimas controversias bello definiendas pollicebatur. Cæsaris animum jam plerisque Principibus, & Germaniæ civitatibus infensum incendebat; generoso impetu ad Imperii dignitatem, quam infidi homines protercre conarentur, defendendam hortabatur: nihil prætermittebat, quo stimulos per se incitato & currenti adderet. Verumtamen ex iis, qui circa Pontificem assidue versabantur, plerique maxime intimi atque necessarii, nimium ardentes Pontificis spiritus sedare, atque a bello avocare nitebantur, cum illius eventus in utramque partem versando, atque expendendo periculi plenos prospicerent. Si Cæsari victoria afflaret, timendum esse, ne tanta inde illi potentia, & vires accederent, ut Ecclesiæ, atque adeo Italiæ universæ formidolosus evaderet; cum ea sint hominum, ac præsertim Principum ingenia, ut nullis prosperis rerum, & quantumvis felicibus eventis ad majora adspirantis animi libido flagrans extingui nequeat. At si contra accideret, verendum, ne, victo Cæsare, ac profligato, ferocissimæ Teutonicorum gentis incredibili odio in Summos Pontifices debacchantis exercitus, jugis superatis Alpium, in Italiam descenderent, illamque terrificis excursionibus percurrendo, Romam religionis caput invaderent.

*Paulus Pōtifex Cæsarem ad bellum contra Protestãtes accendit, subsidia pollicetur.*

*Pauli Pōtificis necessarii illum a bello avocare nituntur.*

Verum ita Pauli Pontificis menti Germanica expeditio insederat, ut quidquid moræ injiceretur, id omne victoriæ cursum remorari arbitraretur. Cæsar itaque cum Pontifice fœdus adver-

1546

*Paulus Pōtifex & Cæsar fœdus adversus Germanos ineũt.*

adversus Germaniæ Principes, & civitates iniit : eo vero Venetos comprehendi obstinata adeo multorum adseveratione vulgatum fuit, ut Reipublicæ legati, qui Ratisponæ tunc erant, Senatui significaverint, Cæsaris copiis quinque millia Venetorum peditum adscripta nominari. Pontifex, quod valde honorificum sibi esse arbitraretur, adversus Romanæ Ecclesiæ hostes bellum gerere, in ecclesiasticis ditionibus, atque in Hetruria delectus militum haberi jussit: duodecim peditum millia, equites quingenti conscripti fuere; iis cum summo imperio Octavium Farnesium nepotem præfecit; peditum præfecturam Alessandro Vitellio, equitum Joanni Baptistæ Sabello tribuit. Copiæ Bononiam convenere. Pontifici petenti, ut per Veronensem agrum in Rhætos se conferre possent, satis a Senatu factum est. Commeatus abunde ejusdem jussu in itinere suppeditatus. Idem quoque iter Cæsareanis militibus, Senatu jubente, patuit. Ad Cæsaris exercitum variæ ex multis regionibus copiæ affluxerant; ex Pannonia, Hispania, Gallia Cisalpina: complures etiam ex Germania, e Norico, Sicambris, ac Sennonibus, ut ad quadraginta peditum, & quinque equitum millia conficerent. Eodem tempore Joannes Federicus, Saxonum Dux, & Philippus Hessiæ Lantgravius, fœderis principes, Germaniæ civitates, ac proceres ad societatem solicitabant, copias parabant, Germanicam se libertatem tueri dictitantes; quos sibi adjunxerant, eos fideles Imperio futuros jurejurando obstringentes, quod Carolus per vim occupare, ac suæ ditionis facere niteretur. In hoc cunctis, & Germanicæ præsertim genti pergratum libertatis nomen facile consensere; Vitembergæ Dux, Comes Palatinus, Augustæ, Argentorati, Ulmæ, Francofurti, Norimbergæ civitates. Ulmæ comitiis vocatis, legatorum undique magnus concursus fuit : de belli apparatu actum; nec multo post copiæ Donavertum ad Danubium prope Noricum tanto numero convenere, ut ad peditum octoginta, equitum decem millia accederent; tormenta bellica centum ac triginta numerarentur. His subnixi Cæsaris vires frangere posse sibi persuadebant, tantumque in nonnullis spes sese offerebat, ut imparatum, atque immunitum nullis prope Germanici roboris copiis succinctum, Germania prorsus exturbari, & excludi posse arbitrarentur.

*Octavius Farnesius Pontificiarum copiarum imperator.*

*Alexander Vitellius peditum, Joannes Baptista Sabellus equitum præfecti.*

*Germaniæ Principum bellici apparatus.*

Atque

Atque ut externos milites, ac præsertim Italos averterent, ad Senatum literas officii, atque observantiæ plenas Ulma comitiorum nomine dedere, quibus ab amica Republica, quam summo semper studio a Germanis cultam fuisse testarentur, peterent, ne iter per suos fines iis copiis concederet, quas in eorum exitium Cæsar ducturus esset, ut Germanicam non modo gentem, sed cunctas provincias intolerando jugo servitutis opprimeret. Iis literis Senatusconsulto responsum est; pergratam nobilissimæ gentis, ac Principum Venetæ Reipublicæ amicitiam semper extitisse, atque in posterum fore; paribus illam benevolentiæ, atque honoris officiis coluisse. Ceterum quod planæ, atque apertæ Reipublicæ ditiones sint, ni magna armorum vis adhibeatur, transitum militibus intercludi non posse; id tantum adversus hostes facere Rempublicam consuevisse. Ac paulo post Saxonum Principis, & Philippi Lantgravii literæ, quas Balthassar Alcherius, Britanniæ Regis a secretis, Patribus detulit, supervenere, in quibus arma pro libertate se induisse affirmabant, centumque aureorum millia mutuo a Venetis petebant. Ad hæc Senatus, omnia Principibus felicia, ac prospera se optare; ne quæ flagitabant pecuniæ subsidia præstaret, pace, quæ cum reliquis illi intercederet Principibus, quam conservari omnino vellet, detineri: si secus faceret, atque ob eam causam bellum subiret, eisdem pro illorum in Rempublicam benevolentia molestum futurum. Per eos quoque dies ab Augusta Vindelicorum civitatis nuntii cum literis urbem adiere, quibus mercatores, ac negotiatores suos, quorum complures Venetiis morabantur, & quotidie ob Germanicos tumultus frequentiores, ut sibi, rebusque suis tutius consulerent, confluebant, enixe commendabat. His perbenigne a Senatu responsum est, Augustanos cives, Germanosque omnes haud vulgaribus benevolentiæ officiis exceptos, atque uti Venetos semper habitos fuisse; idem in posterum se facturum, & publica æquitate, ac liberalitate rebus eorum consulturum.

*1546*

*Germanorum Principum ad Venetos literæ.*

*Senatus responsum.*

*Balthassar Alcherius ad Venetos literas Saxonii Principis & Lantgravii affert.*

*Senatus responsum.*

*Augustæ Vindelicorum nuntii Venetias adeunt.*

His fœderatorum Germaniæ Principum literis, ac nuntiis nonnulli in suspicionem adducebantur, Venetos, qui nimiam Cæsaris potentiam vererentur, occulta Principibus de ratione belli administrandi consilia dedisse. Augebantur ambigendi

1546 causæ, quod sub id tempus Suleimani nuntius, quem *Chiausium* vocant, Venetias accessisset: quamobrem & Germanorum procerum, & Turcarum Cæsaris infensissimorum hostium viribus ad illius auctoritatem, ac nimium sese extollentem potentiam obtundendam, & debilitandam uti Venetos, falso jactabant. Obrepsit quoque ea suspicio Cæsaris animo, qui Ratisponæ Bernardo Naugerio, ac Dominico Mauroceno legatis ad se vocatis, ea omnia exposuit, perque Mendozzium oratorem Senatui significavit. Verum haud difficile fuit maligne inustam Reipublicæ notam detergere; cum Cæsaris hostibus de pecunia minime commodatum esse constaret; immo iter copiis per Venetos fines concessum fuisset: Suleimani vero nuntius, ut de Illyrici finium controversiis cum Patribus ageret, Venetias venisset; quibus intellectis, magnam animo cepisse voluptatem Cæsar visus est. Dum summa contentione, ac studio utrinque ad tantum bellum necessaria compararentur, repente rumor undique pervasit, Cæsarem concordiam cum Germanis iniisse, pro qua conficienda missis ultro citroque nuntiis, agitatum fuisse certum erat. Inde suspicio non levis Patres incessit, cum repletam magnis Italiam copiis animadverterent, quæ reliquis Italis Principibus imparatis, quoquo se verterent, magnos motus, rerumque perturbationes essent edituræ. Itaque ad omnes eventus comparare se, atque instruere. Pontifex, quo Patribus omnem hujuscemodi suspicionem depelleret, Reipublicæ legato ostendit, se Italiæ tranquillitatis, ac quietis studiosum semper fuisse; illi noctes, diesque animum, & operam dedisse, quæcumque ad incolumitatem, atque incrementum Reipublicæ spectarent, sedulo meditatum: de sua igitur voluntate minime ambigerent; communibus cogitationibus, & consiliis utrasque tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ ditiones, atque adeo universam Italiam conservari posse.

*Suleimani nuntii Venetias adventus.*

Verum negotio pacis turbato, Germani, qui *Protestantes* vocabantur, ut Italorum copias, quas adventare in dies afferebatur, Germaniæ itinere intercluderent, ex Augusta, Ulma, & Vitembergicis ditionibus, Clusam, inter montium angustias sitam arcem, contendunt; quæ statim deditione ab iis recepta est, præsidioque illi, & Fiessæ, quæ duo omnino viæ sunt,

*Clusa, & Fiessa a Germanis capta.*

1546

*Italicæ copiæ per Noricum Cæsareano exercitui se adjungunt.*

*Ingolstadiũ a Cæsare captum.*

sunt, quibus ex Italia in Germaniam iter habetur, imposito, discessere. Sed Pontificiæ, ac Cæsaris copiæ, itinere ad Oenipontem verso, in Noricum se inferunt; inde Ratisponæ reliquis Cæsaris copiis adjungunt. Cæsar cum universo exercitu, ac trigintasex æneis tormentis adversus hostem, qui tunc circa Ingolstadium morabatur, proficiscitur: oppidum occupat; loco opportuno castrametatur, atque prope adeo ex utraque parte Cæsaris, atque hostium castra erant, ut ad tormentorum jactum consistentibus, justi prælii minime periculo facto, minutis tantum certaminibus dimicaretur, magnaque globorum vis hinc, atque inde terribili fragore jaceretur. Hoc ingenti totius Germaniæ tumultu, ac dissidiis exortum bellum eum exitum habuit, ut cum paulatim hostes debilitare, quam certaminis aleam subire satius esse Cæsar arbitraretur; terrorem sæpius incutiendo, nonnulla oppida vel deditione, vel vi occupando, eo fœderatos adegerit, ut vel pecuniæ difficultate, vel tributorum acerbitate dissentientes jam laborarent, ac pristinum vigorem remitterent. Cum vero Ferdinandum, a Mauritio Saxonum Duce adjutum, Joannis Federici ditiones cum magna militum manu ingressum nuntiaretur, tantus terror hostes affecit, ut ingens illorum exercitus, compluribus signa deserentibus, ac dilabentibus, concideret. Inde cunctarum fere civitatum, & Principum animorum mutatio consequuta est, qui incredibili Cæsaris felicitate fracti, veniam delicti deprecantes, sese illi subdidere, ut quatuor mensium spatio potentissimæ gentis fastum retuderit; Smacaldicum fœdus disjecerit; Imperii decus, ac dignitatem non modo constantissime retinuerit, sed etiam felicissime auxerit. Inde pontificiæ in Italiam copiæ revertuntur. Alexander Farnesius, Cardinalis Legatus, Romam proficiscens, Venetias accessit, eximiaque in se publicæ, ac privatæ benevolentiæ, & singularis in Pontificem voluntatis argumenta tulit.

*Ferdinãdus Rex Joannis Federici Saxonis ditiones invadit.*

*Germani Principes veniam a Cæsare petunt.*

*Alexandri Farnesii Cardinalis Venetias adventus.*

Ceterum tam brevi parta, atque omnium populorum concelebrata vocibus Caroli felicitas Pontificis animum varie agitabat: modo Venetorum consilia; modo rerum eventus secum reputare; adhuc Tridenti Concilium patere, licet belli, & grassantium morborum metu nonnulli discessissent:

Rr 2 Cæ-

1546 Cæsarem ad Germanos, quos nuper devicerat, sibi conciliandos multa concessurum: non filii securitati satis prospectum, gravissimi, ac difficillimi belli curis Cæsare soluto: inde manifeste conqueri, nullam gloriam, quod unum propositum mortalibus laborum præmium videtur, suo nomini partam, quippe quæ universa Cæsari communi omnium consensu, ac prædicatione tribueretur: nulla sibi emolumenta; nullam pecuniam communem fuisse: non sibi, aut consilia belli, pacisque communicata; nullum impensarum, ac laborum, nisi inanem tulisse fructum. Cæsar contra, nondum debellatis hostibus, adversus pacta, & promissa copias Pontificem in Italiam revocasse; bello, quod hortatu, ac suasionibus suis suscepisset, nondum confecto, auxilia subtrahi; suarum copiarum famam imminui: adhuc Joannem Federicum Saxonum Ducem, atque Hessiæ Lantgravium superesse, qui vel sanguinis nobilitate, vel populorum benevolentia plurimum in Germania possent. Hæc acerbe nimium a Pontifice, & Carolo jactabantur.

*Pax inter Reges Galliæ, & Angliæ Francisci Bernardi opera conficitur.*

Dum ea in Germania gererentur, gravis, ac periculosi belli, quod terra, marique gesserant, & diuturnæ Bononiæ obsidionis Galliæ, atque Angliæ Reges pertæsi, ad pacis studia se convertere; & in ea conficienda Francisci Bernardi, Venetæ nobilitatis patritii, Maphæi nepotis, qui magna in Britannia mercaturæ negotia obibat, singularis virtus, atque maximis in rebus pertractandis eximia ingenii dexteritas enituit. Is, cum frustra ea in re gravissimi viri insudassent, ab Henrico ad Franciscum concordiæ ineundæ causa missus, negotio suscepto, plurimisque difficultatibus summa prudentia explicatis, citro ultroque commeando, tantum effecit, ut, conciliatis Regum animis, bello finis imponeretur, paxque certis conditionibus fieret, quibus Galli Bononiam, quam per multos menses obsederant, pecuniæ ingenti vi Britannis persoluta, præstituto tempore reciperent. Bernardus vero vix juventæ annos ingressus præclarum apud cunctos laudis fructum tulit; atque ab Henrico equestri decoratus dignitate, censu, qui singulis annis in Britannia illi penderetur, donatus est. Sed ubi Venetias rediit, pensioni renun-

*Bononia a Gallis recipitur.*

*Franciscus Bernardus equestri dignitate decoratus.*

renuntiavit, quod lege vetitum ſit, ne ab exteris Principibus ex Veneta nobilitate patritii præmia ulla, aut cenſus accipiant. Reges pacem ſancitam Senatui per literas, perque oratores ſuos ſignificarunt, petiitque Henricus a Patribus, ut veteris amicitiæ conciliandæ cauſa legatum, uti antea conſueverant, in Angliam mitterent, cum ea tempeſtate Senatus ſcriba publica negotia eo in regno curaret. Itaque Bernardus Naugerius ad Henricum legatus deſignatus eſt. 1546

*Bernardus Naugerius in Angliam legatus deſignatus.*

Cenetenſes per eos dies Patres adiere, ac de inſolenti, & acerbo Marini Grimani Cardinalis imperio conqueſti ſunt, qui cives varie vexatos ad ultimam prope deſperationem adegiſſet. Eſt Ceneta Venetæ ditionis oppidum, Tarviſio finitimum, quod ſuperioribus tempeſtatibus e Pannonum aſpero dominatu a Venetis ereptum, poſtea Carrarienſibus juſto bello ademptum, beneficiario jure Cenetenſibus Epiſcopis conceſſere. Ii ſacramentum Venetis dicebant: civibus ad urbanos magiſtratus provocandi facultas erat: incolæ tributa, ſalarium, vectigal Reipublicæ pendebant; munera militaria obibant; remiges, ſi opus eſſet, ad claſſem inſtruendam mittebant: ita ſupra centum ac triginta annos ea civitas regebatur. Fervidum, atque elatum Cardinalis ingenium provocationis jus adimere civibus nixum, magnos ea in urbe tumultus, & ſeditiones excitaverat. Senatus tantam rei indignitatem minime ferendam ratus, quam beneficiario jure Grimanus auctoritatem obtinebat, eam lege lata, ad ſe evocare ſtatuit, qua prætor, uti in aliis oppidis, & civitatibus Reipublicæ fit, Cenetenſibus daretur. Lex majoribus comitiis confirmatur, ſtatim Jacobus Surianus prætor creatus eſt, qui oppidi adminiſtrationem publico nomine ſuſcepit, incredibilique lætitia, ac plauſu Cenetenſium excipitur. Ea de re cum Pontifice Maximo Grimanus mirum in modum conqueritur, quod Veneti Eccleſiæ jura occupaſſent, nulla Apoſtolicæ Sedis, nulla Summi Pontificis ratione habita, Antiſtite ejecto, magiſtratui curam, atque imperium mandaſſent. His commotus Pontifex cum Nicolao Pontio legato graviter agit; petit, ut, re in integrum reſtituta, lex Senatus abrogetur; Cardinalis Cenetæ reſtituatur. Senatus quæ facta fuiſſent, jure facta contendit; civitatem Venetæ ditionis eſſe; incolas non modo Cenetenſes, verum Rempublicam uni-

*Cenetenſes de Marino Grimano Cardinali eorum Epiſcopo apud Venetos cōqueruntur.*

*Jacobus Surianus Cenetenſiū prætor eligitur.*

1546 versam a Cardinali injuria affectam; cives ærumnis prope confectos suam opem implorasse: quid faciendum esset? an subditorum querelas rejicere? an aures obstruere? insueto, ac pessimo exemplo immodici ingenii libidinem pati? temperatum civium Venetorum imperium Cenetenses exoptasse, petiisse, magistratum lætis acclamationibus, obviam effusa civitate, accepisse. Verum Pontifex minime his aquiescebat; legis abrogationem flagitabat. Dum hæc hinc, atque inde agitantur, Cardinalis Grimanus Romæ excessit: ejus obitu dissidiorum fomite sublato, Pontifici enixe petenti gratificandum Senatus censuit, cum eum, quem in Grimani locum Pontifex nominasset, Cenetensibus, uti antea consueverat, jus dicere statuisset. Itaque Michael Turrianus Utinensis Cenetæ antistes suffectus est, qui illius gubernacula, Senatu permittente, suscepit.

*Marinus Grimanus Cardinalis Romæ obiit. Michael Turrianus Grimano suffectus.*

Eodem anno Liburnorum sævæ ac prædæ assuetæ gentis audacia adeo excrevit, ut maria infesta reddendo, eos, qui mercaturæ exercendæ causa ultro citroque commeant, haud parvis incommodis afficerent, ac nonnunquam per Venetos fines in Turcicas sese inferendo ditiones pecora abigerent, homines captivos redderent. Inde quotidie ingentes Turcarum querelæ exaudiebantur, ut classem ad illos opprimendos in Adriaticum sinum Suleimanus missurus diceretur. Huic malo jam tum exorienti Senatus occurrens, ut biremium præfectus crearetur, decrevit; qui manu illarum comparata (quod impedito, ac vario locorum situ triremibus opportuniores viderentur) hostiliter piratas persequi, ac penitus excindere niteretur. Ii *Uscbocbi* vocitati, homines efferi, prædæ, & sanguinis avidi, multa in posterum facinora edidere: sæpius a Venetis repressi, vel locorum natura, quæ antiquitatis testimonio infamia latrociniis fuere, vel corporum pernicitate, atque astu, quo piraticam exercent, nunquam penitus extingui potuere.

*Uscbocborũ incursiones.*

Sub id tempus Maphæus Bernardus, patritius, qui divitiis, atque opum amplitudine inter ceteros cives eminebat, maximaque negotia in cunctis orbis regionibus obibat, perduellionis reus factus, cum in judicium vocatus, ex urbe discedens Ravennam petiisset, per insidias circa Pineam a tribus sicariis interceptus, compluribusque vulneribus confossus inter-

*Maphæus Bernardus Ravennæ interfectus.*

terfectus est. Cadaver cruentum, ac nudatum Ravennam delatum; inde loculo inclusum ad urbem ducitur. In divi Augustini fano exposito, cum propinqui egregiam funeris pompam pararent, Decemvirum jussu, ne id perficerent, prohibiti sunt. Iis, qui cædis auctores indicassent, magna a Decemvirum collegio proposita præmia; impunitas, ac duo aureorum millia, si eos, qui sibi mandata patrandi facinoris dedissent, patefacerent, pollicita. Præmio illectus miles, *Campana* cognomine, patria Cremonensis, qui propria manu Bernardum confecerat, scelus detexit, mandatique culpam in Ludovicum, & Marcum Antonium Eritios fratres, Maphæi ex sorore nepotes, atque Ludovicum Armium Bononiensem conjecit; qui locupletissimi viri bonis inhiantes, Campana facinoroso homine pecunia, ac pollicitis corrupto, ad avunculum obtruncandum per summum scelus usi fuerant. Eritii, atque Armius, qui Mediolano, Gonzaga consentiente, armatorum custodia septus, Venetias perductus fuerat, quæstioni subjiciuntur; crimen fatentur; in Ludovicum, atque Armium securi inter geminas columnas animadversum; Marcus Antonius, quem plene ea noxa non attigerat, perpetuo carceri mancipatur, quo paucos post dies effracto, aufugit. Indici absoluto ex publica fide pecunia numeratur; qui, ut plerumque scelestis, ac facinorum colluvione commaculatis hominibus evenit, haud multo post Romæ laqueo delictorum pœnas dedit.

1546

*Ludovicus & Marcus Antonius Eritii, & Ludovicus Armius, Bernardi necis rei, delicti pœnas luunt.*

## M. D. XXXXVII.

1547

ANni, qui subsequitur, initium duorum potentissimorum Regum Galliæ, atque Angliæ obitus memoria posteris insignem reddidit. Henricus Angliæ Rex, hujusce nominis octavus, cum triginta atque octo annos imperasset, excessit; Princeps alioqui magnæ virtutis, literisque, quod perraro in ea sublimi fortuna locatis accidit, apprime excultus, nisi Annam Boleniam, amore dementatus, Catharinæ priori uxori repudiatæ superinduxisset; atque ob id, cum illi a Clemente Pontifice sacris interdictum esset, ab avita religione deflexisset. Fuerat is propenso in Venetos animo; licet nonnun-

*Henrici Angliæ Regis obitus.*

1547 quam de illius benevolentia ob fœdus, quod Reipublicæ cum Cæſare intercedebat, cujus implacabilis hoſtis per multos annos fuit, remittere nonnihil videretur; atque ea de cauſa a legatis in Angliam mittendis Senatus abſtinuerat, publicaque negotia, ſcribis procurantibus, pertractabat, Jacobo Zambonio ea tempeſtate id muneris obeunte. Henrico Eduardus ſextus filius ſucceſſit, qui ſtatim per Muſſonem, eleganti ingenio virum, Zambonio patris obitum, ſuamque in Angliæ regno ſucceſſionem ſignificat; proclinatum in Rempublicam animum, veteris arctius confirmandæ amicitiæ, quæ Anglis cum Venetis interceſſiſſet, voluntatem oſtendit; petit, ut ad ſe legatus a Senatu mittatur: idem a Patribus Edmundus Arvellius Regis orator enixe flagitat. Fit Senatuſconſultum, ut orator, qui & Henrici obitum doleat, ac de regno Eduardo Reipublicæ nomine gratularetur, in Angliam mittatur. Dominico Bolano ſummo conſenſu is honos delatus eſt.

*Eduardus VI. Angliæ Rex.*

*Dominicus Bolanus orator in Angliam deſignatus.*

*Franciſci Galliæ Regis obitus.*

Nec multo poſt pridie kalend. aprilis Franciſcus Galliarum Rex, quatuor & quinquaginta annos natus, in Rambuletana arce ex humanis exceſſit: Rex, qui ſi parem virtuti, atque egregiis, quibus ornatus fuerat, dotibus fortunam habuiſſet, priſcorum Regum memoriam non æquaſſet modo, ſed etiam ſuperaſſet. Verum improſperi Ticini eventus, Hiſpanica cum illius, tum filiorum captivitas nonnihil felicitatem, ad quam natus videbatur, deformarunt: optime certe de ſcientiis, ac diſciplinis, deque doctis viris meritus, quos variis, ac Rege dignis præmiis affecit: in Latio, & Græcia conquiſitis undique immenſo ſumptu veterum monumentis, omnium linguarum voluminibus bibliothecam inſtruxit, in qua ad poſterorum utilitatem quidquid ſelecti, quidquid egregii exquiſitus labor adinvenire potuit, cumulavit. In Venetos præclara egregiæ voluntatis, ac ſtudii argumenta edidit, cum difficillimis temporibus perturbatis rebus, vix regnum ingreſſus, fœderibus cum Republica pactis, imperii recuperandi, conjunctis armis, ſocius extiterit, quibus Brixiæ, ac Veronę urbes in Reipublicæ poteſtatem conceſſere; quo facto Ludovici graves in Venetos injurias deterſiſſe, ac deleviſſe viſus eſt. Mox lætiori tempeſtate Venetis priſtina adſpiran-

1547

rante fortuna, eorumdem fœdera ſæpius expetivit, ut Reipublicæ auxiliis fultus nihil ab hoſtibus ſibi pertimeſcendum arbitraretur; licet non deeſſent, qui memoria ſuperiora repetendo, ea tempora objicerent, quibus, Gallicis copiis ad Ticinum profligatis, Rege capto, atque in Hiſpaniam perducto, mox libertate reſtituta, filiis oppigneratis, Reſpublica bellum grave, atque atrox pro ejus, filiorumque libertate ſuſcepiſſet: at ille medio armorum ſtrepitu, nulla Venetorum ratione habita, minime, ut decebat, communicatis conſiliis, ad pacem cum Cæſare deſcendiſſet, circumſeptam undique periculis, & caſibus Rempublicam reliquiſſet. Verum ea ſuprema imperii lex, vel inſita quadam naturæ vi, vel corrupti dominandi cupiditate animi jampridem extitit, ut complura publicæ incolumitatis, ac ſalutis nomine ſibi Principes indulgeant. Verumtamen qui probe ſingula inſpexerit, ingentes ex Franciſci amicitia Rempublicam fructus tuliſſe intelliget. Franciſco vita functo, Henricus ejus nominis ſecundus, octo ac viginti annos natus, regni gubernacula ſuſcepit. Duo a Senatu legati ad eum deſignati ſunt, qui publicam ex patris obitu moleſtiam, atque ex ampliſſimo, & nobiliſſimo regno parto lætitiam teſtarentur; Victor Grimanus, Matthæus Dandulus.

*Henricus Rex Franciſco ſu. ſuccedit.*

*Victor Grimanus, Matthæus Dandulus oratores in Galliam deſignantur.*

Brevi intervallo duobus potentiſſimis Regibus, qui magna animorum contentione cum Cæſare dimicaverant, ſublatis, jam nullus amplius felicitatis illius curſum remorari poſſe videbatur, cum ei nullus ea tempeſtate Princeps obſiſtere, atque currenti fortunæ frenum injicere poſſe cenſeretur. Inde illi cuncta affluere, ac ſupra vota accidere; nam cum totus in bellum Saxonicum incubuiſſet, Joannem Federicum magna celeritate inſequutus, ut illi in penitiora, ac tutiora ſuarum ditionum loca ſeſe inferendi facultas eriperetur, Albi amne trajecto, cum ad pugnam conſerendam coegiſſet, ingentem adeo victoriam retulit, ut Ducem captivum in poteſtate haberet, qui ad eum in media Locherana ſylva conſiſtentem ſupplex ſiſteretur: mox Joachimi Brandeburgici Electoris, ac Principis Clivenſis, cujus ſorori Saxo matrimonio junctus erat, obſecratione, & precibus delinitus, ac flexus Cæſar, his vitam Duci conditionibus donavit; ut dignitate Electoris

*Joanes Federicus Saxonum Dux a Cæſare profligatus & captus.*

exu-

1547 exutus, agris, oppidisque paucis exceptis, mulctatus, arma, atque omnia tormenta ænea, rerumque bellicarum apparatus Cæsari traderet. Fractis, ac prostratis Saxonum Ducis viribus, Lantgravius consternatus, atque a Cæsaris tantum clementia salutis sibi præsidium quærendum ratus, Halam, ubi tunc Cæsar erat, profectus, & ad illius genua provolutus, demississime veniam petiit, atque iis legibus obtinuit, ut quatuor ex suis ditionibus urbes continuo traderet; loca nonnulla munita dirueret; certam pecuniæ vim penderet; bellicas machinas Cæsari præberet; vitam illius beneficio incolumem haberet; interea captivus detineretur. Itaque pacatis Germaniæ rebus, Augustæ Vindelicorum comitiis indictis, magno Principum, ac nobilium virorum numero stipatus, cum Joanne Federico Saxone captivo triumphantis specie urbem ingreditur. Multa in eo ad Cæsaris res provehendas decreta; in iis ut Principes ac liberæ civitates eam pecuniæ summam conferrent, qua peditum viginti, quatuor equitum millia ad Imperii majestatem retinendam, si opus esset, cogerentur, quibus Austriaci quoque cum eorum ditionibus defenderentur; atque iisdem fœdera cum Principibus, ac liberis civitatibus perpetuo intercederent.

*Philippus Lantgravius ad genua Cæsaris provolutus.*

*Augustæ Vindelicorũ comitia a Cæsare indicuntur.*

Hæc tam brevi tempore a Carolo prospere, ac feliciter confecta, ut Caji Cæsaris verba paulo immutata pronunciaret: *Veni: Vidi: Deus vicit*, cunctorum Principum animos insueto blandientis fortunæ splendore perstrinxerant; cum adjunctis oppidis, atque urbibus, hostibus fractis, & captis, Germania prope universa edomita, minime contentus, ad majora consequenda summo studio niteretur; atque imperio in Italia augendo sedulo, ac vehementer operam impenderet. Ob id Senarum in Hetruria urbem, civilibus dissensionibus distractam, quadringentorum Hispanorum militum præsidio imposito, reluctantem perdomuerat; Populinum securitatis specie, puero Jacobi Appiani nuper defuncti filio ejecto, ad se attrahere conabatur, ut situ ad maritimas res obeundas opportuno in Hetruriæ litoribus mari Tyrrheno immineret. Mediolanum quoque urbem ingenti tormentorum numero, & Hispanorum militum præsidio muniverat; cives, ut ei, quem Insubribus Ducem diceret, obtemperaturos pollicerentur, jure juran-

*Cæsar Senis præsidiũ imponit.*

*Populinum Cæsar adipisci nititur.*

rando adegerat. Jam enim ſtatuerat Philippum filium ex Hiſpania eam ob cauſam in Italiam vocare, Helvetioſque ad Mediolani imperium tuendum fœderibus obſtringere nitebatur. 1547

Id quoque Cæſaris rebus peropportune contigerat, quod pax inter Gallos, atque Anglos inita turbari cœperat, cum unica ex regia ſobole Scotorum puella Eduardo Anglorum Regi, uti pactum fuerat, matrimonio jungere regii tutores nollent. Eam ſibi injuriam fieri Angli minime paſſi, bellum Scotis minabantur, qui ad Henrici Galliarum Regis opem confugerant, Reginæ connubium cum dotali Scotiæ jure filiorum uni, cui vellet, polliciti: qua ex re grave bellum inter Anglos, ac Scotos exortum fuerat. Henrico vero, cujus auxiliis præcipue Scoti nitebantur, difficillimo bello implicito, Cæſari majoribus in dies acceſſionibus fortuna blandiri videbatur, ut cuncti, qui ingenia Principum, ac nullis terminis coercitas illorum cupiditates metirentur, ex ea Cæſaris incredibili felicitate valde ſibi pertimeſcerent; Pontifexque in primis, cui multæ cum Carolo diſſidiorum cauſæ intercedebant: nimia Imperatorum incrementa: Concilium, quod Caroli auctoritate, poſt decretum de illo Bononiam transferendo, adhuc Tridenti habebatur: domeſtica familiæ decora: Parmæ, ac Placentiæ imperium filio tributum, necdum a Cæſare confirmatum: quocirca a nullo magis illius faſtum, & cupiditatem, quam ab Henrico Galliarum Rege obtundi poſſe cenſebat. Ob id Divi Georgii Cardinalem in Galliam proficiſci juſſerat, ſpecie, ut illius regni antiſtites mitti a Rege Bononiam peteret; re, ut illum ad Cæſaris vires nimium ſeſe efferentes frangendas incitaret. Quod ut facilius ab eo impetraret, affinitatis juribus arctius ſibi obſtringendum ratus, ut Horatio Farneſio, Petri Aloyſii filio, nepoti, Regis filia notha conjux fieret, obtinuerat, ope, ſtudio, atque auctoritate illi affuturum ſe pollicitus. Ea juvenile Regis pectus libenter excipiebat, ut regni ſui primordia militari gloria illuſtriora redderet.

*Diſſidium inter Anglos, & Scotos.*

*Scoti ad Galliæ Regis opem cōfugiunt.*

*Paulus Pōtifex ſancti Georgii Cardinalē ad Regem Galliæ legatum miſit.*

*Henricus Galliæ Rex Horatio Farneſio filiam deſpondet.*

Quapropter ad Italicas res converſus, ſui in ea provincia ſtudioſos fovere cœpit, benevolentiæ ſigna in eos edere, præmiis afficere. Petrum Strozzium ad divi Michaelis militiam,

quæ

1547 quæ ea tempestate summo in honore habebatur, adscripsit; ut homine vivido ingenio, quietis impatiente, qui magnam Florentinorum exulum, atque aliorum bello victitantium hominum manum secum trahebat, ad Italiæ res perturbandas aptissimo, si opus foret, uteretur. Pontificis vero assiduis adhortationibus, ac stimulis incitatus, ad suas partes Venetos pertrahere, atque societatis jure adstringere, Caroleo Protonotario Venetias misso, omni studio contendebat. Qui cum Monlucio ordinario legato Patribus exposuit, Henrico Regi quotidie pro bono publico excubanti nihil opportunius, atque his temporibus necessarium magis videri, quam, fœdere cum Pontifice, ac Republica sancito, ad communium rerum tuitionem conspirare; ut justo præsidio quisque munitus tuto præsenti quiete frueretur; neque aliorum pateret injuriæ: id ut facilius Henricus consequeretur, nihil eorum, quæ ad Galliæ regni tutelam attinerent, prætermittere. Legatis Senatusconsulto responsum est: Regis prudentiam, atque in commune bonum propensum studium vehementer Senatum probare: egregiis illius exemplis adductum, quæcunque ad Venetum imperium defendendum opportuna censerentur, diligenter curare: idem reliquos Italiæ Principes facturos arbitrari; cum insitum cunctis natura sit, ut se, resque suas summa contentione tueantur: sperare animorum conjunctionem, ad quam, si rebus suis prospectum vellent, cogerentur, pro firmissimo aggere, ac munimento adversus eos, qui armis lacesserent, futurum; idque unum modo sufficere. Ejusmodi erant ea tempestate illorum, qui Rempublicam regebant, consilia, ut bellorum tumultus ab Italia, quoad fieri posset, amovendos, neque vanæ spei ostentatione præsentem rerum statum immutandum arbitrarentur.

*Caroleus Protonotarius ab Henrico Venetias mittitur.*

*Senatus responsum.*

Sed reliquorum Principum diffidentibus inter se animis, ac nova quotidie mente agitantibus, recens dissensionum seges oritur, Petro Aloysio, Pauli Pontificis filio, a nonnullis Placentiæ civibus in illius exitium conjuratis, propriis in ædibus confosso, & cæso, qui cruentum illius cadaver plebi ostentantes, universa civitate commota, objecto nomine libertatis, incenderant; idque non sine Ferdinandi Gonzagæ consensu perpetratum fama vulgaverat, qui a Placentinis vocatus, urbem

*Petri Aloysii Farnesii cædes. Ferdinandus Gonzaga Placentiæ præsidium Cæsareum imponit, & Parmam aggreditur.*

bem ſtatim ingreſſus, Hiſpanorum præſidio impoſito, Cæſareæ ditionis effecerat. Neque eo contentus, oppidis multis, atque arcibus occupatis, ſe ad Parmam obſidendam comparabat, ab oppidaniſque, ut ſe dederent, petierat, nequicquam Octavio, Caroli genero, de acerbiſſima ſibi illata injuria conquerente. Hoc Gonzagæ facto cuncti Italiæ Principes, ac populi adeo exarſere, ut non tantum ille undique probris, ac maledictis proſcinderetur; verum jam erumpere recondita Cæſaris intimis ſenſibus conſilia palam dicerentur; nihil ſanctum, nihil ab imperii cupiditate intactum; quæ vi difficile aſſequi foret, ea per dolos, atque inſidias tentari, & obtineri. His undique crebreſcentibus vocibus adductus Gonzaga, ut, quæ geſta erant apud Venetos, qui eam rem moleſte tulerant, purgaret, Joannem Baptiſtam Schizzium, e Mediolanenſi Senatu, Venetias proficiſci jubet, qui a ſe omnem confecti criminis maculam detergeret, atque a noxa immunem teſtaretur. Se a Farneſii interfectoribus vocatum, quin Placentiam Cæſaris nomine reciperet, efficere non potuiſſe, ut interea de illius mente, quam rectam, atque in commune bonum maxime proclivem ſciret, doceretur. Senatus filii caſum per literas, perque Joannem Antonium Venerium oratorem cum Pontifice conqueritur; qui, ut erat magno animo, ingentem fortunæ ictum fortiter tulit, atque a privato luctu ad domeſticas clades reparandas ſe convertit. 1547

*Joannes Baptiſta Schizzius a Gonzaga Venetias mittitur.*

Inde cum tota Ciſalpina Gallia fluctuaret, arma, ac milites a Cæſareanis, & ab iis, qui Farneſiorum partes ſequebantur, compararentur; quo rebus ſuis proſpiceret, legatum in continentem mittere Senatus decrevit, ut Reipublicæ copias luſtraret; oppida, atque arces inviſeret, imperioque tuendo in primis ſtuderet. Stephanus Theupolus legatus creatus eſt. Metaurenſium Dux, copiarum Reipublicæ ſummus præfectus, Roma, ubi, Senatu permittente, ad concelebrandas cum Victoria, Petri Aloyſii Farneſii filia, Pontificis nepte, nuptias profectus fuerat, revocatur. Antonius Tifernas, tormentorum præfectus, Brixiam ingredi jubetur. Theupolus legatus Veronam contendit; militum præſidia iis in urbibus augentur; ordinum copiæ inducuntur. Inter has vel belli, vel inſidiarum ſuſpiciones Pontifex tantarum rerum indignitate commotus, ira

*Stephanus Theupolus legatus in Continenti eligitur.*

*Guido Ubaldus Urbinas Venetias advocatur.*

1547 ira ſupra ætatem fervidus, injuriarum impatiens, denuo ad fœdus Senatum invitabat. Caſa, illius apud Rempublicam Nuntius, Patrum animos incendit: idem Henricus, ac ſummus equitum Magiſter per Franciſcum Juſtinianum efficiunt: non amplius deſide cunctatione utendum, jam ad extremum ventum eſſe, quo ingentia deſperatus prope morbus remedia exigeret. Quid porro expectandum? an ut immani jam fere impendentis ruinæ pondere preſſi cuncti Itali Principes, inevitabili exitio proſternantur, atque obruantur? Sed Patres in novos demittere fluctus Rempublicam nolebant, ſi ſemel bellum in Italia exoriretur, nullum laborum, nullum periculorum finem fore rati: nil cauſæ eſſe, cur adverſus potentiſſimum Principem, humanæ felicitatis apicem attingentem, armis inſurgerent, quem finitimum, ac prope in Venetæ ditionis viſceribus haberent; cum præſertim nullas ſibi ab eo illatas injurias recenſerent, quæ tanti eſſent, ut a quietis otio, ſummis laboribus, ac vigiliis parto, ad difficile, ac periculoſum bellum traducerentur. Huc accedebat, quod nullum officii, & egregiæ voluntatis genus in Rempublicam Carolus prætermitteret. His fiebat, ut quemadmodum ſe, ſuaque defendere Patribus ſtatutum, ac fixum animo eſſet, ita ab iis ſocietatibus, quibus in bellum haud difficulter prolabi poſſent, omnino recedendum cenſerent. Ad hæc, ſub idem tempus Juſto Juſtio a Ferdinando ad Suleimanum miſſo, in quinquennium induciis pactis, Cæſar iis expeditus curis, quibus belli Turcici ſuſpicione detinebatur, & prævalido copiarum numero ſuffultus, ægre bello peti poſſe videbatur.

*Pauli Pontificis & Hĕrici Regis officia ut Venetos ad effœdus ineundum impellerent.* Vide *Jo. Caſae* hac in re duas Orationes Lugduni editas, & *Proſis Florentinis* adjectas, Vol. I. parte II. Florentiae, 1716. in 8.

*Juſtus Juſtius a Ferdinãdo Rege Byzantium miſſus quinquĕnii inducias cũ Turcis paciſcitur.*

## M. D. XXXXVIII.

1548 NAmque omnes cogitationes, & curas a Pannonico bello in Perſicum Suleimanus tranſtulerat, Tamaſſum Perſarum Regem armis aggreſſurus, ne per otium adverſam ſibi natura, atque inſtitutis gentem majores ſumere ſpiritus, atque incrementa ſineret, militarique gloriæ, ad quam ſupremo animi impetu ferebatur, novos titulos adderet. Inde haud difficile fuit inducias cum Ferdinando, ac Cæſare paciſci, quibus triginta aureorum millia pro Hungaricis ditionibus tributi loco ſin-

ſingulis annis pendere Ferdinandus deberet. Utrinque Venetorum mentio facta, cautumque, ut, ſi quis eorum, qui hoc fœdere comprehenderentur, bellum alteri inferret, pro hoſte a reliquis haberetur. Iiſdem induciis Henricus Galliarum Rex, ceterique Principes, etiam ſacri continebantur; in quibus ſanciendis eo ſtudio a ſummis Regibus, eaque animorum contentione certatum fuerat, ut Cæſar ad Franciſci Regis pollicita præſtanda Henricum filium obſtringi peteret; Henricus contra, ne Cæſari induciarum tempore in quemquam Chriſtianorum Principum arma inferre liceret, cavendum curaret; legatumque Cotonium magnis itineribus Byzantium mitteret, ut totum induciarum negotium inverteret; cum nullam aliam ob cauſam Cæſarem illas expetiviſſe, quam ut, Byzantino metu ſolutus, Gallias invaderet, affirmaret: neque ferendum eſſe, ut qui tot proſperis eventis brevi tempore tantas acceſſiones Imperio feciſſet, adeo præemineret, ut ejus dominandi libidinem, quam pro lege haberet, reliqui damno, quod reſarciri non poſſet, ſubire cogerentur. Eodem officii genere, Venetias in Byzantii itinere accedens, cum Patribus functus eſt, ut Senatum ad inducias impediendas incitaret; quem ab ea re cum alienum eſſe intelligeret, iter proſequutus, re confecta, Byzantium pervenit, atque a Suleimano literas ad Cæſarem, ac Ferdinandum obtinuit, quibus libenter ad inducias ea mente deſcendiſſe diceret, ut armis eo tempore non ageretur; in eos, qui ſecus feciſſent, bellum moturum. Regi quoque Galliarum ſcripſit, ſe induciis perficiendis illum inter veteres amicos recenſuiſſe; ſi bello interim a Cæſare laceſſeretur, eidem hoſtem futurum. Licet vero quæ ad Rempublicam inter amicos recenſendam ſpectarent, ea tantum Senatus procuraſſet; attamen quin ſuſpicione aliqua æmuli Principum animi aſpergerentur, vitare nequiit; cum Henricus Cæſaris, ac Ferdinandi res curæ magis Senatui fuiſſe diceret, quam ſuas; atque acerbe conquereretur, Venetum legatum literas ad Senatum dediſſe, quibus ſui nullam in induciis conficiendis mentionem factam fuiſſe affirmaret. Cæſar vero, ut ad pacem cum Henrico arctius ſervandam obſtringeretur, id totum ex Venetorum conſiliis, atque officiis profectum ajebat; ut inde renovandi in Italia belli, quod illis per-

1548

*Henricus Galliæ Rex Cotonium oratorem Byzantium mittit*

*Suleimani ad Cæſarem & Ferdinandum Regem literæ.*

1548 permoleſtum foret, occaſio tolleretur. Verum haud difficile fuit ejuſmodi hæſitationes diluere, cum neque de quo Henricus conquerebatur, Reipublicæ legatum unquam ad Senatum ſcripſiſſe, Rex certior factus eſſet; neque de iis, quæ inter Cæſarem, ac Regem agitarentur, egiſſe, Carolo compertum fuerit.

*Sabbas Pirata a Laurẽtio Amulio, classis legato, captus & interfectus.*

*Ruſteni Baſſe in Venetos mina ob Sabbæ necem.*

Sed poſt pactas inducias ea res contigit, quæ pene pacem inter Suleimanum, ac Venetos interturbavit. Nam, piratis maria omnia ea tempeſtate infeſta reddentibus, atque ſæve negotiatores, ac navigia diripientibus, cum Venetæ claſſis legatus Laurentius Amulius publicos humani generis hoſtes perſequeretur, ac forte in prædonum caput, Sabbam dictum, incidiſſet, impetu in illius navigium facto, fugientem inſectatus cepit, captum interficiendum curavit, ut hominem Chriſtianis, ac præſertim Reipublicæ rebus infenſiſſimum, qui innumera damna Venetis navigiis, ac negotiatoribus intulerat, e medio tolleret. Ejus necem Ruſtenus, qui Suleimano ad bellum in Perſidem profecto, Byzantio præerat, graviter adeo tulit, ut illam armis vindicaturum minaretur. Amulii factum tueri Senatus nitebatur, quod homo peſſimo ingenio, & ingenti ſcelerum cumulo fœdatus, qui innoxios, atque immerentes imperio Veneto ſubjectos magnis cladibus affecerat, ſublatus eſſet; quem fugientem, atque in noſtros tormenta explodentem, dum tetra aer circumfuſus caligine involveretur, minime agnitum præfectus in ſuam poteſtatem redegiſſet. Eum, ſi adhuc, ut maxime optaret, vita frueretur, Byzantium miſſurum, ut meritas criminum pœnas lueret. Ceterum cum ex Amulii literis ad Decemviros datis clam Sabbam ſuo juſſu interfectum intelligeretur, quod ea res pacis conditionibus adverſa eſſet, quibus, ne in eos, qui certamine commiſſo ſuperfuere, ſæviatur, ſed vivi Byzantium mittantur, cavetur: ut ſtatim Amulius, abrogato illi imperio, ſub cuſtodia ad urbem revocaretur, ejus prætoria armamentis exueretur, Senatus decrevit: negotium Jaderæ magiſtratui commiſſum. Verum Amulius rei exitum animo proſpiciens, jam claſſe in Illyrico relicta, ut Senatus judicium ſubterfugeret, in Apuliam ſe receperat. Hæc Reipublicæ apud Suleimanum legato, quibus Ruſteni animus flecteretur, ſignificantur: Marcus Antonius Franciſcius,

*Laurentius Amulius in jus vocatus in Apuliam proficiſcitur.*

ſcius, Senatus ſcriba, qui tum ea, quæ ad fines Venetorum in Illyrico ſpectarent, curabat, Byzantium eſt miſſus, ut Reipublicæ mentem, ac ſervandæ cum Suleimano pacis ſtudium Rusteno, & purpuratis teſtaretur. Amulius exilio mulctatus, poſtea, cum Suleimani ira reſediſſet, in patriam revocatus, priſtinis honoribus reſtitutus eſt. Hæc mari. 1548

*Marcus Antonius Franciſcius Senatus ſcriba; Byzantium mittitur. Laurentius Amulius exilio mulctatur, & poſtea revocatur.*

Cum vero inſita vel dominandi libidine, vel atroci invidia Regum pectora extimularentur, licet aperte ad bellum non deſcenderent; occulto non modo, verum palam multa moliebantur. Cæſar, Germanis Principibus perdomitis, gradum ſibi ad monarchiam obtinendam ſtruere nitebatur, atque ut eam ampliſſimorum regnorum poſſeſſionem una cum Imperii titulis Philippo filio, Hiſpaniæ Regi, quem unicum habebat, deferret, meditabatur. Albano Duci, ut illum ex Hiſpaniis ad ſe in Belgium traduceret, mandaverat. Verum ad eam rem perficiendam, ut Ferdinandi fratris, Romanorum Regis, voluntas accederet, neceſſe erat, qui Maximilianum filium in ſpem regiæ ſucceſſionis educaverat, jam tum alti animi, atque eximiæ virtutis ſpecimen edentem; eique Carolus conjugem filiam deſignaverat, atque in Hiſpaniam mittere decreverat, ut filio abſente, regni illius gubernacula ſuſciperet. Interea Ferdinandum fratrem ingentibus promiſſis adortus, illi Vitembergæ principatum; Maximiliano filio Bohemiæ regnum permittebat.

*Cæſar Philippum filium in Belgium acceſſit.*

*Cæſaris ad Ferdinandum Regem pollicita, ut Imperium Philippo concederet.*

At Henrici Galliarum Regis animus, quamvis rerum in Italia novandarum deſiderio flagraret, ob idque ſocium ſibi Pontificem adſciſcere niteretur, Parmam juvare auxiliis adverſus Carolum pollicitus; attamen, exacta jam ætate Pontifice in interitum vergente, deterrebatur, veritus, ne concordiæ ratione aliqua propoſita, a Cæſare, cui affinitate jungebatur, ad ſuas partes traduceretur. Pontifex tot familiæ, ac ſibi inflictis injuriis accenſus, ad vindictam ardenti ſpiritu rapiebatur, Placentiamque Farneſianis ereptam pati nequibat. Verum ancipiti conſilio modo Carolum ad eam urbem Octavio genero reſtituendam per nuntios incitabat; modo de fœdere cum Henrico agebat, cui tanquam Caroli cupiditati propugnaculo objecto, familiam commendaret; nonnunquam eas ab Eccleſia divulſas civitates, eidem iterum adjungere meditabatur; ali-

1548 aliquando Venetos ad Italiæ decus, ac libertatem defendendam adversus impotentem Cæsaris dominandi libidinem hortabatur, pro qua excubare dies, noctesque diceret, in iis semper cogitationibus defixus, quibus Italiæ incolumitati, a qua suorum domesticorum salus sejungi non posset, consuleret. De Venetis quoque interdum conquerebatur, quod nimium Cæsari adhærerent, illiusque amicitiam pluris æquo æstimarent. Suspiciones frequenter de Henrico in animum demittebat, quod Parmam non Octavio Caroli genero, sed Horatio genero suo servare se velle diceret, veritus, ne urbe opportuno loco sita ad Insubrum res turbandas uteretur.

*Christophorus Madrutius Cardinalis Tridenti Concilii restitutionem petit.*

*Cæsaris per Mendozzium oratorem Concilii causa obnunciatio.*

*Paulus Pontifex legatos ad Concilium Tridentum mittere pollicetur.*

Hisce assiduis curis distractus Pontifex conficiebatur, neque vero quem exitum rebus suis speraret, habebat: cum interea nullum religioni dissidiis laboranti præsens remedium adhiberetur, adhuc Concilii Patribus partim Tridenti, partim Bononiæ morantibus; cum in Augustanis comitiis anno elapso celebratis Principes cuncti Tridentini Concilii decretis obtemperaturos polliciti fuissent, atque Christophorum Madrutium Cardinalem Romam misissent, qui, ut Concilium Tridenti, Bononiensi abrogato, rursus restitueretur, impetrare non potuerat. Inde Carolus Didaco Mendozzio legato injunxerat, ut coram Pontifice, Cardinaliumque Collegio Cæsaris nomine, ad quem Conciliorum protectio, atque executio spectaret, obnuntiaret: impendentium periculorum, & cladium, quas gravissimas, ac prope innumeras fore, ni Concilium Tridenti haberetur, autumaret, culpam omnem in Pontificem, non in se recasuram: ob id Deum Optimum Maximum & Cælites cunctos, de quorum religione, ac cultu ageretur, testes invocare. Cum nihil ea obnuntiatio profuisset, a Pontifice Cæsar flagitabat, ut Legatos Tridentum mitteret; ad id vero se adduci, licet ægre, ac difficulter, Pontifex patiebatur: ut Germanicæ genti, nonnihil Romanæ Ecclesiæ immutatis moribus, satisfaceret, se in Cæsaris gratiam Legatos missurum pollicitus. Verum dum cunctatione in tam gravi negotio Pontifex utitur, Cæsar Catholicorum, atque eorum, qui partes Luteri sequebantur, conventu advocato, ut labentibus rebus prospiceretur, atque utcumque controversiis compositis, dissidia tollerentur, edictum promulgavit, quo multa iis, qui a Catholica Ecclesia desciverant,

rant,

-rant, *interim* permitterentur, dum de illorum dissentientibus sententiis a Concilio decerneretur. Id factum moleste admodum Pontifex tulit, atque a Germanica legatione Sfrondato Cardinali evocato, Fani Episcopum optimis moribus, & doctrina excultum nuntium ad Cæsarem misit, qui de iis, quæ gesta fuerant, expostularet, acta rescindi peteret, quæcunque posset Germanicæ genti per Legatos Pontificem concessurum polliceretur. Mox Pighio, ac Veronensi Episcopis in Germaniam missis, prolapsis rebus, nullum remedium morbo sævienti afferri potuit, quin in dies augendo sese, ac proferendo, ingenti totius reipublicæ christianæ malo per alias quoque provincias grassaretur. Hujus pestis ne aliqua labes imperium Venetum afficeret, diligens, & admodum severa Venetorum cura, ac diligentia extitit, qua effectum est, ut eam urbem, in quam ex totius orbis regionibus innumeræ gentes confluunt, nulla morbi illius contagia attigerint. 1548

*Cæsar edictum promulgari jussit, Interim vocatum.*

*Paulus Pontifex Fani Episcopum ad Cæsarem mittit ut acta rescinderet.*

*Pighius & Veronæ Episcopus a Pontifice in Germaniam missi.*

*Venetorum sedulitas ad hæreses a suis ditionibus arcendas.*

Dum hæc fiunt, diversisque curis, irrequieto studio Principum mentes solicitantur, Maximilianum Ferdinandi filium, nuper filia connubio juncta, generum sibi adscitum, Carolus in Hispaniam proficisci jusserat, ut, Philippo in Germaniam proficiscente, Hispaniarum administrationem susciperet. Illi per Reipublicæ fines iter habenti, Vicetiæ, ac Veronæ præfecti obviam ivere, Senatusque nomine liberaliter excepere. Philippus vero ad patrem in Belgium iturus, Barcinonæ cum classe, cui Andreas Auria imperabat, solvens, V. kalend. decembris Genuam pervenit. Ea in urbe Italorum Principum legatos obvios habuit; Federicum Baduarium, præclara juventa insignem, qui id muneris obiret, Senatus delegit: is, Patrum nomine Genuæ Philippo consalutato, per Venetas ditiones comitatus est. Nulla publicæ Venetorum liberalitatis, ac studii erga præpotentem Principem, Cæsarisque filium officia, atque argumenta desiderata sunt; pons peregregie ornatus Athesi amni, qua transeundum erat, instratus fuit; eum ad Veronensium fines, nobili, ac frequenti plurimorum corona stipatus Veronæ præfectus excepit, magno variis ex locis mortalium numero visendi studio confluente. Inde ex agro Veronensi Tridentum profectus, per Germaniam in Belgium ad Cæsarem Bruscellis commorantem transiit, qui, ut assiduo metu

*Cæsar, filia fratris filio unita, illum in Hispaniam mittit.*

*Veneti Maximilianum ad fines Reipublicæ excipiunt.*

*Philippus Rex ab Auria Genuam perducitur.*

*Federicus Baduarius orator ad Philippum Regem.*

Ger-

1548 Germanos Principes ſolveret, atque ab immani ſumptuum mole aliqua ex parte liberaretur, magnam Hiſpanorum manum, qui illi in Germania militaverant, in Italiam miſerat, Mediolanumque prævalidis munitionibus circumcingi juſſerat; quamplurima ex Germania bellica tormenta, partim ex occupatis urbibus ablata, partim a proceribus dono accepta, ſulphureique pulveris vim eodem importari præceperat; quæ Tridento ſecundo Atheſi amne ut Veronam, inde in Inſubres deferrentur, petenti, a Senatu conceſſum eſt. Hæc eo impenſiore cura a Cæſare fiebant, quod nullis caſibus a ſe Mediolanenſe divelli imperium decreverat, atque illud veluti tutiſſimum munimentum objicere adverſus Gallos ſtatuerat, quos nunquam quieturos, ſed novas quotidie res in Italia moturos ſciret: atque eo magis, quod Henricus ſuperiore anno, Salaſſiorum Principe ejecto, eam ſibi ditionem adjecerat; neque, ut ea, quæ in Subalpinis oppida fuerant occupata, Allobrogum Duci reſtitueret, vnquam adduci potuerat; verum ſub id tempus (an occulta aliqua ſpe, an ſuarum in Italia inviſendarum urbium ſtudio, incertum) repente præter omnium expectationem, magno Gallorum nobilium numero, atque haud parva militum manu comitante, Alpes tranſgreſſus, ſe Auguſtam Taurinorum contulerat. De Regis adventu certior Senatus factus, Bernardum Naugerium, qui tum præturam Patavinam gerebat, ad Regem legatum miſit, qui officii plena legatione perfunctus, mox Patavium reverſus eſt. Rex paucos dies in Subalpinis commoratus, remenſis Alpibus, in Galliam rediit. Complures ex illius comitatu urbis ſpectandæ ſtudio Venetias advenere, inter quos principes Galliæ viri, Vindocini Dux, Guiſius maris præfectus, qui publico hoſpitio excepti, ac perhonorifice habiti ſunt.

*Cæſaris ſententia de Mediolanenſi imperio retinendo.*

*Henricus Galliæ Rex, ejecto Principe, Salaſſiorum regionem occupat.*

*Henricus Rex Taurinum ſe confert.*

*Bernardus Naugerius ad Regem Galliæ orator mittitur.*

*Libri Sexti & Tomi I.*
**FINIS.**



